[redacted]

[redacted]

B

IX.

Acq 3139

43
4 F
8

HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOMUS OCTAVUS.

HISTORIA ECCLESIASTICA

PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS OCTAVUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 408. USQUE AD AN. 432.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EM.

ROMÆ MDCCLXXX.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

BENEDICTO MAURITIO
CABALLICENTIUM DUCI.

GASPAR SACCARELLUS
TAURINENSIS
CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTER
FELICITATEM.

APud eruditos fere omnes commune eſt, quæ litteris abs ſe prodita in vulgus efferunt, ſi magno Principi nuncupata velint, plura e

veſtigio adferre, quibus id jure meritoque factum, aut excuſatione certe dignum declaretur. Petuntur hæc autem, uti probe Tullius monuit, plerumque aut ex benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe ſibi id utile futurum. Ego vero, Celſiſſime Princeps, tua incredibili plane Clementia unice fretus, octavum hoc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ volumen Tibi confidenter inſcribo, acceptumque maxime futurum auguror. Hanc enim, qua unus omnium præſtas, admirantur in Te omnes, non modo præſtantes pietate & doctrina, quibuſcum familiares conferre ſermones ſæpiſ-

ſime conſueviſti; verum etiam infimæ cujuſque conditionis homines, quos tanta humanitate complecteris, ut quaſi pater filios adloqui quodammodo videaris. Hanc ſummis ad Cælum laudibus extulerunt, non ſubalpinæ tantum, ſed exteræ quæquæ Gentes; eæque potiſſimum, quas cum non ita pridem inviſeres, adeo Tibi devinxiſti, ut Inſubres præſertim, Venetique, tuas maximas virtutes adhuc celebrantes, ſingularis plane Clementiæ memoria magnopere delectentur. Ipſe vero expertus hanc ſæpe fui, cum mihi ſextum hujuſce Hiſtoriæ volumen ad Te deferre, vel aliquid rogaturo co-

ram adire contigit. Itaque nihil unquam dubitare potui, quin alteram hanc operis ejuſdem partem benigne ac peramanter excipere pergeres, tuoque patrocinio tuereris. Secundum præterea ipſius volumen dulciſſimo Parenti Tuo Carolo Emmanueli (qui tamdiu laudabitur, cum memoria præclariſſimorum Principum manebit), tertium Victorio Amedeo Sardiniæ Regi, Fratri Tuo cariſſimo, ſextum denique Tuo amantiſſimo Nepoti Carolo Emmanueli Pedemontis Principi, ipſis benigne probantibus, nuncupaſſem; tot profecto, tantiſque beneficiis a Regia Familia cumulatus hactenus, quidni op-

tima quæque de Te ſperarem, atque operis, auctoriſque tutelam benigniſſime ſuſcepturum certe confiderem? Cæteras Tuas laudes lubens hic equidem copioſeque perſequerer; undenam vero in tanto ipſarum ſplendore exitum haberet oratio; quidve non ubique gentium pervulgatum prædicaret? Summam tamen ab ineunte uſque ætate in Deum pietatem non prætermittam, & incredibile ferme Religionis ſtudium, unde reliqua omnia uberrimo veluti e fonte proficiſcuntur, ac potiſſimum cum Majoribus cæteris, tam optimis Regibus Patri, Fratrique Tuo decus accedit. Quod enim ad Religionis

Hiſto-

Hiſtoriam illuſtrandam pertinet opus hoc, Tibi eximio ejuſdem cultori, ac vindici, injucundum nunquam eſſe poſſe, mecum quiſque facile intelligit. Oro igitur, obteſtorque, Celſiſſime Princeps, ut qua ſemper polles Benignitate peramanter excipias, atque fauſta & felicia omnia continuo tibi, Regiæque Familiæ adprecantem, patrocinio ſuſtentes: Tua hinc clementia apertius patebit; meumque erga te obſequium nulla unquam delebit oblivio.

AP-

APPROBATIONES.

Octavum volumen Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ per annos digeſtæ, ac eruditis obſervationibus illuſtratæ a Clariſſimo viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Romani de Urbe Presbytero, voluntati Rmi Patris Pii Schiara Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, obſecutus percurri attenteque legi; nihilque in eo quod aut catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur inveni; quin cum eam annorum ſeriem hoc volumen excurrat, ab anno ſcilicet 408. ad annum 432., in quibus tum Pelagiana, cum Neſtoriana hæreſis exorta, in ipſis fere incunabulis extinctæ & condemnatæ fuerint, maximam cum utilitate delectationem in iis excurrendis percipient hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſacræque eruditionis ſtudioſi; quare publica luce dignum cenſeo. Dabam ex Bibliotheca Vaticana Kal.Junii 1780.

Steph. Evodius Aſſemanus Archiep. Apameæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

Octavum hoc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumen Cl. viri P. Gaſpari Saccarelli, quod Rmi P. S. Pal. Apoſtolici Magiſtri juſſis obtemperans legi, eamdem, ac præcedentia, eruditionem, methodum, ac diligentiam utique præſefert; quare quin publica luce donetur, quid obſtet, non video.

Joſeph Theoli S. Theol. D.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Fr. Antonius Marcucci Epiſcopus Montis-Alti Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Pius Thoma Schiara Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 408. INNOCENTII PAPÆ 8.
HONORII IMP. 16. & 14. THEODOSII JUNIORIS 7. & 1.
COSS. ANISIO BASSO, ET PHILIPPO.

1. A Funere & luctu octavum exordimur volumen, ab Arcadii ſcilicet Imp. obitu; hiſque triſtiora adhuc ſubjicimus. Ea quippe calamitoſa tempora attingimus, ut in præfatione ad ſæculum quintum adnotavimus, cum Barbarorum incurſionibus utrumque Imperium quaſſatum pene ac concuſſum adeo eſt, ut ipſa Roma Gentium omnium olim Domina, hoc ipſo anno ab Alarici exercitu primum obſeſſa, ſequenti vero capta, ac direpta fuerit, ut mox narrabimus. Arcadius itaque, qui in Chryſoſtomi exilium, aut etiam mortem conſenſerat, *non diu poſt mortem ejus exceſſit e vita, Baſſo & Philippo Coſſ. Kal. Maji*, ait Socrates. Cum imperaſſet cum patre Theodoſio annis tredecim, poſt patris obitum annis quatuordecim; *vixit annos unum & triginta, relicto filio Theodoſio adhuc octenne*. De anno, quo Arcadius obiit, una eſt ſcriptorum ſententia, de die tamen nonnulli diſſident, quem ante diem decimam Kal. Septemb. aut unde-

JESU CHR. AN. 408. Arcadii imp. obitus.

Socrat. lib. 6 13. lib. 7. 1.

Zoſim. lib. 5

Murat. Pag. Baſnag. ad hunc an.

Jesu Chr. an. 408.

cimo Kal. Septemb. obiiſſe ſcribunt; Socratis tamen verior eſt ſententia, quam Theodorus lector, & auctor Miſcellæ, aliique confirmant, atque Kal. Maii Arcadium vitam finiiſſe non eſt dubitandum. Præter Theodoſium, quem Imperii reliquit hæredem, feminas etiam habuit Arcadius, id eſt Flacillam Caeſario & Attico Coſſ. natam anno 397., Pulcheriam, Arcadiam, deinde Marinam anno 403. in lucem editam, ut narrat auctor chronici Alex. Is porro inertia magis, quam rebus geſtis ſuum nobilitavit Imperium, nam cum uxori, Eunuchiſque impenſius famularetur, res publicas æque ac Chriſtianas neglexit; apud quem poſt Eutropium primum locum tenebat Oſius coquorum olim Præfectus, officiorum magiſter ab eo creatus. Unde Claudianus lepide cecinit:

Claud. in Eutropium lib. 2.

Sed prima poteſtas
Eutropium præfert, Hoſio ſubnixa ſecunda,
Dulcior hic ſane cunctis, prudenſque novandi
Juris, & admoto qui temperat omnia fumo.

An Iſdegerdes Rex Perſarum Theodoſii junioris tutelam ſusceperit.

2. Cumque utriuſque Imperii turbatæ res eſſent, atque inter ſe ob Illyricianas provincias diſſentirent Arcadius & Honorius fratres, Arcadius moriens, qui filium impuberem, ac vix ſeptennem Imperii hæredem relinquebat, timens ne ſe ſublato, aut perfidorum inſidiis, aut Honorii potentia opprimeretur, inuſitato quidem conſilio, ſed exitu feliciſſimo, Theodoſium puerulum Iſdegerdis Perſarum Regis tutelæ commiſit, ac commendavit, ut narrat Procopius. Rex autem Perſarum Iſdegerdes magnitudine animi jam ante clariſſimus, cum oblatas ſibi tabulas legiſſet, mandata Arcadii non eſt aſpernatus, &, quamdiu vixit, Imperium Theodoſio conſervavit, ac litteris ad Senatum Romanum datis, Theodoſii Auguſti tutelam ſe ſuſcipere declaravit; eadem cum Procopio narrat Agathias, & Theophanes, qui addit Iſdegerdem miſiſſe Antiochum virum moribus, & eruditione egregium, ut pueri curam gereret, quo *maxime plura pro chriſtianis ſcribente, atque ita chriſtiana lex per totam Perſidem dilatata fuit*, ait Theophanes. Auctor vero Miſcellæ Iſdegerdis ad Senatum CP. litteras ea de re ſcriptas his verbis refert: *Arcadio dormiente, meque curatorem filii conſtituente, qui ſuppleat locum direxi. Ne quis ergo puero inſidias conetur, ne prælium intolerabile contra Romanos inſurgat.* Hanc tamen Rom. Impe-

Procop. de bello Perſ. lib. 1. cap. 2.

Agath. lib. 4. 12.
Miſcell. auctor. lib. 13.

imperii, junioriſque Imperatoris tutelam Iſdegerdi delegatam, quam, Procopio auctore, hiſtorici paſſim narrant, vix veroſimilem, ac fictitiam fuiſſe adnotavit Tillemontius, quin meram redolere fabulam ſcribit Baſnagius, quam primum a Procopio vulgatam ceteri tranſcripſerunt; dubitandi tamen ratio, eaque graviſſima inde facile occurrit, quod ſcriptores Theodoſii ætate coævi, aut ſaltem Procopio viciniores, ut Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Zoſimus, aliique, ne verbum habent, quin de Imperii Orientalis, & Theodoſii tutela Iſdegerdi ab Arcadio delegata ea narrant, quæ cum Procopii narratione conciliari vix poſſunt, Socrates etenim Imperii ſummam apud Anthemium fuiſſe narrat, virum ſui temporis prudentiſſimum; Sozomenus vero Theodoſii *curatricem*, *ac totius Imperii* Pulcheriam ſororem fuiſſe commemorat, *quæ licet nondum quindecim annos nata*, *ſupra ætatem tamen ſapientem ac vere divinum ſenſum accepit*, quæ quidem aliquot ab hinc annis contigiſſe ſuo loco inferius videbimus, nam hoc anno decennium vix Pulcheria attigerat. Id denique confirmat Zoſimus, dum ait: *Stilicho cupiebat in Orientem proficiſci*, *reſque Theodoſii conſtituere*, *qui Arcadii filius erat adhuc juvenis*, *ac tutelæ indigus*, *& ipſe Princeps Honorius idem illud iter ſuſcipere cogitabat*, *ut quæ ſtabiliendo pupilli hujus Imperio facerent*, *ordinaret*; eademque narrat Sozomenus, qui cum Zoſimo adnotat, Honorium Stilichonis conſilio ab Orientali itinere ob imminentes barbarorum incurſiones deterritum fuiſſe, quæ ſane cum Iſdegerdis injuria tentata fuiſſent, ac tanti apud nos ſunt, ut etſi Iſdegerdi delegatam tutelam omnino non evertant, dubiam tamen reddant.

Bar. an. 408. *Pag. ibid. Tillem. hiſt. Imp. tom.* 6. *pag.* 2. *&* 597.

Socrat. lib. 7. 1.

Sozom. lib. 9. 1.

Zoſim. lib. 5. 4.

3. Dum autem Stilicho *ſumptis ſecum quatuor legionibus in Orientem proficiſci parabat*, magna rerum mutatio contigit, graviſſimæque clades Occidentali Imperio acciderunt, atque in primis cum Zoſimo adnotandum eſt, quod cum Honorius Imperator Mariam Stilichonis filiam ſibi deſpondiſſet, ea e vivis exceſſit, *Imperator autem Honorius*, *ſororem ejus Thermantiam ſibi matrimonio jungi petebat*. *In hoc Stilicho quidem non adſcenſurus videbatur*, *ſed urgebat Serena*, *atque operam dabat*, *ut Honorium alteri filiæ copularet*, ait Zoſimus.

Honorii nuptiæ cum Thermantia.

Sozom. lib. 9. 4.

Zoſim. lib. 5.

4. Nuptiis celebratis, triſtiora ſecuta ſunt, nam Alaricus, qui in Norico hactenus, & Epiro ſubſtiterat, ſuperatis repente Alpibus, iterum in Italiam cum exercitu irrupit, ac lega-

Alaricus in Italiam irrumpit.

Zoſim. lib. 5.

Jeſu Chr. an. 408.

legatos ad Stilichonem miſit, pecuniam promiſſam poſtulans; quibus acceptis, Stilicho Ravenna diſcedens, Romam perrexit cum Imperatore ac Senatu conſilia collaturus; cum ergo diu multumque diſputatum eſſet, utrum adverſus Alaricum bellum gerendum eſſet, vel pax pecunia redimenda, Stilichonis tandem ſententia prævaluit, ut auri librarum quatuor millia pax redimeretur; cumque plurimi in Stilichonis ſententiam deſcendiſſent, Lampadius vir genere, & dignitate præſtans: *Non eſt iſta pax, ſed pactio ſervitutis*, coram omnibus exclamavit; veritus tamen Stilichonis iram, dimiſſo Senatu *ad proximam quamdam Chriſtianorum eccleſiam profugit*, ait Zoſimus, eamdemque cum Alarico pactionem, uti Romanæ majeſtatis indignam, Hieronymus adnotavit: *Quis hoc credet? Quæ digno ſermone hiſtoriæ comprehendent? Romam in gremio ſuo, non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare? immo ne pugnare quidem, ſed auro, & cuncta ſupellectile vitam redimere? Quod non vitio Principum, qui vel religioſiſſimi ſunt, ſed ſcelere ſemibarbari accidit proditoris, qui noſtris contra nos opibus armavit inimicos.*

Hier. epiſt. 123. n. 17.

Stilichonis perfidia ejuſque interitus.

5. Stilichonis perfidiam apertius prodiderunt Philoſtorgius, & Oroſius, cujus conſilia in eo collimaſſe narrant, ut Imperium filio ſuo Eucherio traderet. Eamque ob rem, & potionem Honorio Imp. & genero ſuo præbuiſſe, qua procreandæ ſobolis facultas adimeretur, ac adeo manifeſte, ac ſine ullo metu tyrannidem exercuiſſe ſcribit, ut etiam nummos percuteret, *in quibus præter ipſius effigiem nihil deerat*. Perfidiæ tamen ſuæ ſubitas pœnas dedit, nam cum hoc anno Ravennæ eſſet, ibique Imperatoris epiſtolæ perveniſſent, ut ſub cuſtodia detineretur; *Recognita, Stilicho, intempeſta nocte, vicinam quamdam Chriſtianorum eccleſiam ingreſſus eſt*, ait Zoſimus; cumque illuxiſſet dies, milites eccleſiam ingreſſi, inde ereptum, paulo poſt obtruncato capite interfecerunt; unaque cum ipſo quamplurimi amici, & familiares eumdem habuerunt exitum, atque inter eos Eucherius ejus filius, quem fuga elapſum, Arſacius & Terentius Eunuchi aſſecutum Imperatoris juſſu Romam interficiendum deduxerunt: ſicque *ut unum puerum purpura indueret, totius generis humani ſanguinem dedit*, ait Oroſius, qui ſubdit: *Occiſus eſt & Eucherius, qui ad conciliandum ſibi favorem paganorum, reſtitutione Templorum, & everſione Eccleſiarum imbuturum ſe Regni primordia minabatur: paucique cum*

Philoſtorg. lib. 12. cap. 12.

Oroſ. lib. 7. 38.

Zoſim. lib. 5. p. 102.

Oroſ. ut ſup.

cum iiſdem ſatellites tantarum molitionum puniti ſunt. Ita minimo negotio, paucorum pœna, Eccleſiæ Chriſti cum Imperatore religioſo, & liberatæ ſunt, & vindicatæ. Ut autem, ſubdit Zoſimus, *homines ſtudioſi, tempus mortis ejus non ignorent, ſciant id accidiſſe ad diem decimam Kal. Septemb., Baſſi Philippique conſulatu, quibus conſulibus & Arcadius Imp. fato functus eſt.*

6. *Stilichone extincto, cunctæ res aulicæ Olympii arbitratu adminiſtrabantur*, ait Zoſimus. Is quippe Stilichonis conſilia Honorio detexerat, atque ut pœnam ſumeret incitaverat, cujus famam multis probris lacerat Zoſimus; Chriſtiani tamen ſcriptores, quibus major habenda eſt fides, Olympium laudant, præceteris vero Auguſtinus duabus epiſtolis ad eum datis, ejus pietatem, ac religionem commendat. Honorius interea Stilichonis inſidiis liberatus, nonnullas hoc anno leges dedit, ac primo idibus Septemb. Mediolani de indulgentiis debitorum, qua Italiam ab annonariæ functionis munere, & glebali penſione liberavit; quarto autem idus Decemb. de littorum & itinerum cuſtodia hanc legem vulgavit: *Hoſtis publicus Stilicho novum atque inſolitum repererat, ut littora & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad hanc Imperii partem pateret acceſſus. Hujus iniquitate rei moti, & ne rarior ſit diverſarum mercium commeatus, præcipimus hac ſanctione, ut littorum deſiſtat ac portuum pernicioſa cuſtodia, & eundi ac redeundi libera ſit facultas Dat. IV. id: Decemb. Ravennæ Baſſo, & Philippo Coſſ.* Die 25. Septemb. Adverſus proſcriptos hæc ſtatuit: *Si quis ex proſcriptorum numero comitatum noſtræ ſerenitatis, ſive mœnia æternæ urbis intraverit, deportatione plectetur. Dat. X. Kal. Octob. Baſſo & Philippo Coſſ.* Stilichonis autem aliorumque ejus cauſa proſcriptorum bona fiſco addicenda eſſe altera lege juſſit, data octavo Kal. Octob. Hanc autem provinciam (proſcriptorum bona fiſco inferendi) Heliocrati demandatam fuiſſe narrat Zoſimus; qui cum miti eſſet ingenio, remque remiſſius ageret, multis etiam clam ſignificaſſet, ut quocumque poſſent, res ſuas occultarent, Ravennam adducebatur *poenas luiturus, niſi quamdam in eccleſiam Chriſtianorum ſe recepiſſet.* Altera tandem lege Kal. Decembris, ad Valentem Domeſticorum Comitem data, eos, qui a catholica religione diſſidebant, intra Palatium militare prohibuit.

7. Stilichonis caſum graviſſimas tum in Aula, cum in Im-

Olympius Stiliconis locum occupat.

Auguſt. epiſt. 96. 97.

Cod. Theod. l. 4. de Indulg. debit. leg. 1. de Litt. & Itin. cuſtodia.

l. 10 de pœnis, & de bonis proſcript.

Zoſim. lib. 5. pag. 104. & 108.

Ethnici & hæretici in Africa tumultuantur.

JESU CHR. AN. 408.

Imperio excitaſſe turbas, ex horum temporum hiſtoria patebit; exemplo ſint, quæ in Africa hoc eodem acciderunt anno, nam Stilichone ſublato, Ethnici, ac Donatiſtæ, leges contra ſe eo vivente, inſcio, vel invito Honorio latas fuiſſe jactantes, ac proinde, quaſi cum ipſo extinctæ eſſent, adverſus catholicos acerbius agentes, totam Africam tumultibus, & cœdibus iterum impleverunt, itaut etiam Epiſcopi periclitarentur, quorum aliqui interempti, alii plagis aut verberibus vexati fuerint. Qua de re permoti Africani Epiſcopi Carthagine convenientes, legationem ad Imperatorem Honorium tertio idus Octobris deſtinarunt; quemadmodum in Codice canonum ecclesiæ Africanæ de eadem legitur: *Baſſo & Philippo Coſſ. tertio id. Octob. Carthagine in ſecretario baſilicæ Reſtitutæ*. Eam legationem ſuſceperunt Reſtitutus & Florentius Epiſcopi; ſynodo Auguſtinus non adſuit, ut ejuſdem epiſtola ad Olympium data teſtatur, dicens: *Ego tamen licet nullum conſilium cum eis communicare potuerim, &c.* privatis tamen litteris Olympium, qui defuncti Stilichonis officia gerebat, enixe rogavit, ut Africanæ eccleſiæ tranquillitati ſecuritatique conſuleret, atque ab Honorio reſcriptum in Africa vulgandum obtineret, quo leges adverſus Paganos & hæreticos latæ confirmarentur; ut eadem epiſtola pluribus Auguſtinus exponit.

Labb. concil. tom. 2. pag. 1120.

Auguſt. epiſt. 97.

Honorii leges adverſus Paganos, & hæreticos.

Cod. Theod. l. 43. de hær.

8. Auguſtini, ceterorumque Africæ Epiſcoporum votis pleniſſime ſatisfecit Honorius, nam decimoctavo Kal. Decemb. generali conſtitutione ad Curtium Præfectum Prætorii data, quæcumque contra Donatiſtas, ceteroſque hæreticos, aut ethnicos hactenus ſtatuta fuerant, confirmavit. *Omnia quæ in Donatiſtas, qui & Montenſes vocantur; Manichæos, ſive Priſcillianiſtas; vel in Gentiles a nobis generalium legum auctoritate decreta ſunt, non ſolum manere decernimus, verum in executionem pleniſſimam effectumque deduci*, jubemus, ita ut horum, vel Cœlicolarum loca eccleſiis traderentur. Alteram quoque contra Ethnicos ſpecialim 17. Kal. Decembris hoc eodem anno Honorius legem vulgavit, qua inter cetera juſſit, ut ſi quæ ſupererant ſimulacra in templis deſtruerentur; ædificia vero templorum, quæ in civitatibus, vel in oppidis, vel extra oppida ſunt, ad uſum publicum vindicarentur, data Epiſcopis licentia, ut hæc ipſa prohiberent. Judices autem, eorumque officia viginti librarum auri pœna conſtringebantur, ſi hæc eorum fuerint diſſimulatione neglecta. *Dat.*

XVII.

XVII. Kal. Decemb. Romæ Baſſo & Philippo Coſſ. ideſt vulgata Romæ, nam eo tempore Ravennæ Honorius erat. Harum legum occaſione S. Auguſtinus ad Donatum Africæ Proconſulem ſcribens, hortatur, ut leges in Donatiſtas latas quam primum vulgaret, ut ea ratione a tumultibus excitandis, cœdibuſque prohiberentur; Donatum tamen impenſe enixeque rogavit, ne juxta legum ſeveritatem adverſus Donatiſtas ageret, nec eos etſi noxios capitali ſupplicio addiceret. *Corrigi eos cupimus, non necari*, inquit, *nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis, quibus digni ſunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint, quos pœniteat peccaſſe*. Ad eumdem Donatum Africæ Proconſulem alia ejuſdem Honorii lex extat, octavo Kal. Decemb. vulgata, qua Donatiſtas, Judæoſque coercendos iterum jubet.

Auguſt. epiſt. 100.

Cod. Theod. l. 9. de pœnis.

9. Qui autem Cœlicolæ eſſent, quorum mentio in ſupralaudata Honorii lege decimoctavo Kal. Decemb. edita, alibique paſſim occurrit, & in Auguſtini epiſtolis, in obſcuro eſt. In Africa tamen eos fuiſſe, hactenus dicta indicant. Hos quidem ethnicos in Africa fuiſſe ſcripſit Baronius, ſic dictos a cultu cæleſtis idoli, quam ſententiam hoc anno retractans, Apoſtatas a chriſtiana fide potius, quam ethnicos fuiſſe putavit, eos præcipue, qui, chriſtiana fide abjurata, ad Judæorum ſuperſtitionem tranſibant, ita tamen ut Judaicum nomen, utpote cunctis abominabile, refugerent. Minus tamen ab eruditis hæc probantur, ac Cœlicolas Chriſtianos judaizantes fuiſſe contendunt, qui Chriſtianæ religionis ſacramenta, & Judaicæ ſuperſtitionis ritus unaſimul obſervabant, quorum nomen novum, & crimen inauditum fuiſſe Theodoſii lex anno ſequenti promulgata teſtatur, eoſque novi etiam baptiſmi inventores fuiſſe Auguſtinus indicat his verbis: *Jam enim miſeramus ad Majores Coelicolarum*, qui Epiſcopi locum tenebat, *quem audieramus novi apud eos baptiſmi inſtitutorem extitiſſe, & multos illo ſacrilegio eduxiſſe, ut cum illo, quantum ipſius temporis patiebantur anguſtiæ, aliquid loqueremur &c.* Novo itaque ſuperſtitionis ſcelere Coelicolæ aſpergebantur, quod aut de apoſtatis a chriſtiana fide, aut de Judæis dici non poterat.

Cælicolæ qui eſſent.

Cod. Theod. l. 43. de hæret.

Epiſt. 43.

Bar. 408. n. 26.

Pag. ad. an. 408. n. 12. 13. & 14.

Baſnag. an. 408.

Gothofred. in Cod. Theod. ad tit. de hær. & de pœnis.

Cod. Theod. l. 10. de Jud.

Auguſt. epiſt. 44. cap. 6. n. 13.

10. Cum de legibus Imperatorum agimus, adnotare juvabit, in Oriente Judæos Theodoſii lege fuiſſe repreſſos, ne ſub prætextu feſti Purim, ſeu fortium, quod in memoriam liberationis populi ab inſidiis Amani agebant, Chriſtianæ religio-

Judæorum temeritas in Oriente repreſſa.

Eſther. cap. 7.

Jesu Chr. an. 408. ligioni inſultarent, ac Jeſu Chriſto Crucifixo, ſub Amani nomine & prætextu, illuderent, quorum temeritatem hac lege coercendam juſſit Theodoſius: *Judæos quodam feſtivitatis ſuæ ſolemni Aman ad pœnæ quondam recordationem intendere, & Sanctæ Crucis aſſimilatam ſpeciem, in contemptum Chriſtianæ fidei ſacrilega mente exurere, provinciarum rectores prohibeant, ne locis ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant, ſed ritus ſuos infra contemptum chriſtianæ legis retineant: ammiſſuri ſine dubio permiſſa hactenus, niſi ab illicitis temperaverint. Dat. IV. Kal. Jun. ſeu Jan. Baſſo & Philippo Coſſ.* Hoc etiam tempore Judæus quidam paralyſi laborans, ſuſcepto baptiſmate divinitus ſanatus eſt. Cum etenim per plures annos paralyticus in lecto fuiſſet, ac omnia medicorum remedia fruſtra expertus eſſet, ad Chriſtianorum baptiſmum tandem confugit, hunc ſolum verum, ac ſalutarem ſibi medicum fore ſperans. Quare primis fidei rudimentis edoctus, eum in lecto jacentem ad Baptiſterium deferri juſſit Atticus CP. Epiſcopus; ex fonte vix egreſſus, repente ſanatus eſt. Quam mirabilem curationem Chriſti potentia noſtris etiam temporibus oſtendere dignata eſt, ait Socrates, *quæ quidem effecit, ut multi Gentilium ſuſcepta fide ad Baptiſmum accederent. Judæi vero licet miracula requirant, ne præſentibus quidem miraculis adducti ſunt ad fidem.*

Cod. Theod. l. 18. de Jud.

Judæus paralyticus per baptiſmum curatus. *Socrat. lib. 7. cap. 4.*

Roma ab Alarico obſidetur.

11. Stilichonis ſupplicio, res ſuas in melius mutandas fore ſperabant Romani, at fruſtra, tempus quippe advenerat quo:

Urbs antiqua ruet, multos dominata per annos;

Virgil. Æneid. lib. 2.

utpote quæ non ſolum Idololatriam hactenus in ſinu ſuo foverat, auctoritateque firmaverat, ſed etiam vitiis, ac præcipue effuſa libidine exundabat. Unde Salvianus cum de vitiis Romanorum multa adnotaſſet, tandem ſubdit: *Putamus poſſe nos ſalvos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo a Romanis admittitur, & a Barbaris vindicatur.* Romanorum itaque ſcelera Alaricum renitentem fere ad urbem advocarunt, hæc dexteram ejus ferro armarunt, quem Dei inſtinctu urbis obſidionem ſuſcepiſſe, vel ipſi ethnici teſtantur, de quibus Claudianus cecinit:

Salvian. de provid. lib. 6. p. 364.

Claud. de bello Goth. v. 542.

Hor-

Hortantes his adde Deos: non ſomnia nobis,
Nec volucres; ſed clara palam vox edita loco eſt:
Rumpe omnes, Alarice, moras: hoc impiger anno,
Alpibus Italiæ ruptis, penetrabis ad urbem.

Id ipſum Alaricus ipſe teſtatus eſt, ut Socrates, & Sozomenus narrant, qui de Urbis obſidione, direptioneque verba facientes, ſubdunt: *Fertur porro virum quemdam venerabilem, profeſſione monachum, eum*, ideſt Alaricum, *dum Romam proficiſceretur, monuiſſe, ne tot ac tantis lætaretur malis, neve cæde ac ſanguine delectaretur. Cui Alaricus: Ego, inquit, non ſponte eo proficiſcor, ſed neſcio quis me quotidie ſollicitat ac ſtimulat, ita dicens: Perge urbem Romam vaſtaturus.* Hæc Socrates, eademque Sozomenus, his addens: *Qui mente valebant, hæc Romanis ex Dei indignatione eveniſſe perſpiciebant, ob vindictam eorum, quæ præ luxu atque intemperantia erga cives ſimul ac peregrinos injuſte egerant.* Luctuoſam tragœdiam enarrans Philoſtorgius adnotat ob Stilichonis filiique ejus Eucherii necem ad Urbem obſidendam excitatos fuiſſe Barbaros, qui ſub Alarico militabant, ac primo cum pacem bello præferret Alaricus, pœcuniam non magnam a Stilichone promiſſam ſibi dari petebat, *& obſides Ætium atque Jaſonem, illum Jovii, hunc Gaudentii filium*, paratus & ipſe ex ſuis obſides dare. Honorius tamen pecuniam æque ac obſides negavit, nec tamen quæ bello gerendo, hoſteque arcendo neceſſaria erant paravit, quin duces exercitui dedit, qui ſui contemtum in animis hoſtium excitare poſſent, equitatui ſcilicet Turpillionem, pedeſtribus vero copiis Varanem. Itaque Alaricus, non expectato adventu fratris ſui Ataulphi, cum copiis, quas in Pannonia collegerat, in Italiam ingreſſus, Aquilejam & urbes ordine tranſpadanas celeri curſu præteriit, Concordiam inquam, & Altinum, & ſecundum hanc Cremonam. Quumque flumen trajeciſſet, nullo hoſte occurrente, per Flaminiam, & Picænum Romam uſque profectus, cuncta depopulatus eſt. Interea Romani Serenam Stilichonis uxorem, quam Gothis favere ſuſpicabantur, ſupplicio affecerunt, ſperantes Alaricum ea ſublata diſceſſurum ab Urbe, ait Zoſimus, quo loco violati numinis Serenam dediſſe pœnas, ethnicus auctor adnotat; quod ſcilicet Theodoſii tempore Rheæ, ſeu matris Deorum templum ingreſſa, Mundum muliebrem Idolo

Socrat. lib. 7. 9.
Sozom. lib. 9. 6.
Philoſt. lib. 12. 3.

JESU CHR. AN. 408. ablatum collo ſuo adhibuerit, quæ quidem ſicut & alia his ſimilia ethnico ſcriptori condonanda ſunt. At Alaricus Serena extincta Urbi inſidens, non ſolum portas univerſas concluſerat, ſed occupato Tiberi, commeatus ſubminiſtrationem e portu impediebat; cumque in dies ſubſidium urbi venturum Romani ſperarent, aliquanto tempore ſuſtinuerunt, creſcente tamen quotidie fame, ac peſtilentia graſſante, ſpe ſua fruſtrati, legationem ad Alaricum mittere, ac pacem petere coacti ſunt.

Romani auro obſidionem ſolvunt; Templaque deorum expoliant, Zoſim. p. 106.

12. Legationis Principes fuere Baſilius origine Hiſpanus, Præfecti dignitatem olim adeptus, cui Joannes adjunctus eſt, qui cum Alaricum adiiſſent, iſque *verbis omnem barbaricam inſolentiam ſuperantibus uteretur; non aliter ſcilicet ſe finem obſidionis facturum, niſi & aurum omne, quod in urbe foret, & argentum accepiſſet, præterea quidquid ſupellectilis in Urbe reperiret, itemque mancipia barbara*, cumque legatorum alter Alarico reſpondiſſet, quid iis, qui in urbe erant, relinqueret: Animas, reſpondit Alaricus. Ob reſponſi feritatem commoti Romani, alteram ad eum legationem mittunt, *& utrinque plurimis in medium prolatis, placuit ab urbe ſolvi quinquies mille libras auri, & præter has tricies mille libras argenti, & quater mille tunicas ſericas, & ter mille pelles coccineas, & piperis pondus, quod ter mille libras æquaret*. Ut autem tanta auri, argentique ſumma colligeretur, Deorum templa, & ſimulacra expoliata ſunt, quod ut maximum piaculum pro more lamentatur Zoſimus. Pace interea his conditionibus firmata, pecuniaque numerata: *Alaricus tridui forum permiſit urbanis, exeundi licentia per quaſdam portas eis conceſſa; quum & e portu ſubvehendæ annonæ copiam eis feciſſet. Poſtea quam cives reſpiraſſent...... Roma Barbari diſceſſerunt, & caſtra quibuſdam in locis circa Tuſchiam metati ſunt*. Quæ deinde ſecuta ſint anno ſequenti dicenda reſervamus; nonnulla tamen quæ obſidionis tempore in urbe acciderunt ſunt adnotanda.

Innocentius Papa a Zoſimi calumnia vindicatur.

13. Atque inprimis Lætæ Gratiani quondam uxoris, ejuſque matris Piſſamenæ in pauperes liberalitas a Zoſimo commendatur, quæ, urgente fame, compluribus cibum ſuppeditarunt. At quod de Innocentio Pontifice addit, eum Ethnicis permiſiſſe, ut clam Diis ſacra facerent, omnino falſum eſſe probatur. Nam ut idem addit auctor: *Senatu in Capitolium aſcen-*

aſcendente, atque tum ibi, tum in foris urbanis ſacra peragente, nemo particeps eſſe inſtituti patrio more ritus auſus fuit; ſed hominibus illis e Tuſcia valere juſſis, ad demulcendum omni ſtudio Barbarum Romani ſe ſe convertebant. Si itaque cunctis ad ſacrificia paratis, nemo tamen auſus eſt iis adeſſe, quis, ut ab iis abominationibus abſtinerent, Romanos juſſit, aut ſuaſit, niſi Innocentius Romanus Pontifex? Sozomenus etiam narrat: cum obſidio diutius protraheretur, & fames ſimul, ac peſtis urbem premeret, qui in Senatu pagani erant, neceſſe eſſe dicebant, ut in Capitolio, & in aliis Templis ſacrificaretur. Etenim Etruſci quidam a Præfecto urbis ad hoc acciti, fulminibus ac tonitruis Barbarum hoſtem ſeſe abacturos ſpondebant; idque a ſe factum eſſe jactabant Narniæ, quæ urbs eſt Tuſciæ, quam prætergrediens Alaricus, tunc cum Romam contenderet, haudquaquam ceperat. *Verum iſtos nihil Urbi profuturos fuiſſe exitus declaravit. Certe qui mente valebant*, inter quos Innocentium Pontificem numerandum eſſe nemo dubitat, *hæc Romanis ex Dei indignatione eveniſſe perſpiciebant ob vindictam eorum, quæ præ luxu atque intemperantia erga cives ſimul ac peregrinos egerant*. Hæc Sozomenus, quibus aperti mendacii arguitur Zoſimus, dum Innocentium Pontificem, ut clam Diis ſacrificaretur, permiſiſſe tradit.

JESU CHR. AN. 408.

Sozom. lib. 9. 6.

14. Ut imminentes Urbi clades calamitateſque declinaret Melania ſenior, cum Melania altera ſeu juniore, & Piniano ejuſdem marito, & Albina nuru, aliiſque peregrinationis ſociis, in Siciliam hoc anno tranſiit, ubi cum aliquanto tempore ſubſtitiſſet, in Africam poſtea transfretavit, ut ſuo loco videbimus. Melania Senior poſt mariti obitum, Publicola filio Romæ relicto, in Orientem anno 371. una cum Ruffino tranſierat, eodemque Ruffino comite, anno 397. Romam redierat, ibique cum eſſet, exhortationibus, exemploque plurimos a vitiis Seculi, aut ab Idolorum ſuperſtitione liberavit; inter eos Apronianum, quem ex Idolorum cultu ad Chriſtianam fidem non ſolum perduxit, ſed ut una cum uxore ſua continentiam ſervaret, eidem perſuaſit. Ubi vero Urbi cladem imminere vidit: *Cum ſuam quoque neptem confirmaſſet Melaniam*, ait Palladius, *una cum ejus marito Piniano, & catecheſi inſtituiſſet Albinam nurum ſuam, uxorem filii ſui* (Publicolæ ſcilicet), *& perſuaſiſſet his omnibus vendere, quæ habebant*, Roma eos eduxit, atque ut Urbe excederent, perſuaſit. Senioris Melaniæ exemplum

Melania ſenior cum ſociis in Siciliam tranſit.

Pallad. hiſt. Lauſ. cap. 118.

Jesu Chr. an. 408. Melaniæ junioris elogium. Pallad. cap. 119.

plum imitata eſt Melania junior, quæ Piniano nupta cum duos amiſiſſet filios, *tantum eam cepit odium matrimonii*, ait idem Palladius, *ut dixerit marito ſuo Piniano filio Severi, qui erat ex Præfectis: Si volueris quidem mecum habitare, ut ratio dictat, te Dominum agnoſco. Sin autem hoc tibi genus videtur grave utpote juveni, res omnes meas tibi habe, & ſolam ſine me eſſe corpore liberam*. Cujus votis cum ſatisfeciſſet Pinianus, ambo in continentia vixerunt, etſi Melania vigeſimum vix annum attigiſſet. Mundo itaque renuncians, ſerica indumenta eccleſiis diſtribuit, parteque prædiorum maxima diſtracta, collectam pecuniam in Palæſtinam, Ægyptum, aliaſque regiones, pauperibus, monachiſque diſtribuendam miſit.

Conſtantinus in Britannia Auguſtus dicitur. *Zoſim. lib. 5. in fine, & lib. 6.*

15. Quo tempore Gothorum irruptionibus tota Italia afflicta fuit, eodem ceteræ Occidentalis Imperii provinciæ variis cladibus affectæ ſunt, atque imprimis ab Honorio Britannia defecit. Hinc narrat Zoſimus, cum adhuc Arcadius imperaret, uno aut altero ab hinc anno litteras Romam ad Honorium delatas fuiſſe, quibus nunciabatur, *Conſtantinum jam perduellem, ex Inſula Britannia tranſvectum, ad tranſalpinas gentes acceſſiſſe*. Primum quidem ſeditione facta, Marcum quemdam milites Britannici in ſolio regio collocarunt; at paulo poſt, eo necato, tanquam moribus eorum non reſpondenti, Gratianum in medium producunt, & purpura coronaque cinctum, ſeu Principem obſervantes comitabantur. Verum & poſt menſes quatuor huic quoque Imperium abrogant, & vitam; ac Conſtantino rerum ſumma traditur. Is ubi Juſtinianum, & Nevigaſtium Celticis militibus præfeciſſet, Britannia relicta transfretavit in Gallias hoc vel ſequenti anno; eademque de Marci, Gratiani, & Conſtantini in Britannia tyrannide narrat Sozomenus. Beda vero: *Anno ab incarnatione Domini quatercenteſimo ſeptimo, tenente Imperium Honorio Aug. filio Theodoſii minore, apud Britannias Gratianus municeps tyrannus creatur, & occiditur; hujus loco Conſtantinus ex infima militia, propter ſolam ſpem nominis, & ſine merito virtutis eligitur, qui continuo, ut invaſit Imperium, in Gallias tranſiit*. Quid ibidem egerit Conſtantinus, quantaque felicitate Gallias omnes uſque ad Rhenum, & ad Alpes, quæ Italiam a Galliis dividunt, Hiſpaniamque Imperio ſuo adjunxerit, aliquantoque tempore retinuerit, iidem Zoſimus, & Sozomenus, aliique narrant, de quibus nonnulla inferius adnotaturi ſumus.

Sozom. lib. 9. 11. Beda hiſt. Angl. lib. 1. cap. 9.

16. Bri-

16. Britanniæ defectionem præceſſerat Vandalorum, Svevorumque in Gallias irruptio, de qua anno ſuperiori Proſper in Chronico: *Vandali, & Alani, Gallias trajecto Rheno pridie Kal. Januarii ingreſſi ſunt*. Zoſimus vero: *Arcadio ſexto, & Probo Conſſ. Vandalio Svevis, Alanis permixti ſuperatis hiſce locis*, ideſt Alpibus, & Rheno, *nationes tranſalpinas vaſtarunt, editaque ingenti cæde, Britannicis etiam exercitibus formidabiles extiterunt*. Quantam vero ibidem ſtragem ediderint Barbari, Hieronymus in ſua ad Ageruncíam epiſtola, uno aut altero ab hinc anno data, his verbis narrat: *Innumerabiles, & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occuparunt, quidquid inter Alpes & Pyreneum eſt, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, &, o lugenda reſpublica! hoſtes Pannonii vaſtarunt. Etenim Aſſur venit cum illis. Moguntiacum, nobilis quomdam civitas, capta, atque ſubverſa eſt, & in eccleſia multa hominum millia trucidata, Vangiones longa obſidione deleti, Remorum urbs præpotens, Ambiani, Arrebatæ, extremique hominum Morini. Tornacus, Nemetæ, Argentoratus, translatæ in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque populorum, Lugdunenſis, & Narbonenſis provinciæ, præter paucas urbes populata ſunt cuncta. Quas & ipſas foris gladius, intus vaſtat fames. Non poſſum abſque lacrymis Toloſæ facere mentionem, ut hucuſque non rueret, ſancti Epiſcopi Exuperii merita præſtiterunt. Ipſæ Hiſpaniæ jamjamque perituræ, quotidie contremiſcunt, recordantes irruptionis Cimbricæ, & quidquid alii ſemel paſſi ſunt, illæ ſemper timorem patiuntur. Cetera taceo, ne videar de Dei deſperare clementia &c.* Hæc aliaque Hieronymus, quibus alia addere ſuperfluum judicamus.

> JESU CHR. AN. 408. Vandali, Svevi, aliæque gentes, Gallias invadunt. *Zoſim. lib. 6.*
>
> *Hier. epiſt. 123. pag. 901.*

JESU CHRISTI AN. 409. INNOCENTII PAPÆ 9.
HONORII IMP. 17. ET 15. THEODOSII IMP. JUN. 8. ET 2.
COSS. HONORIO AUG. VIII. ET THEODOSIO AUG. III.

1. De rebus Romanis verba facturi, cum Zoſimo adnotamus, quod cum in Ethruria Alaricus cum exercitu eſſet, pace nondum firmata, *quod Imperator nec obſides dediſſet, nec Alarici poſtulatis omnibus ſatisfeciſſet*, ab Senatu legati Ravennam miſſi ſunt, Cæcilianus, Attalus, & Maximianus, ut de-

> Romanorum ad Honorium Imp. legatio. *Zoſim. lib. 5. p. 107.*

JESU CHR. AN. 409. deſperatis prope rebus, ab Honorio Imp. auxilia obtinerent. At irrita eorum legatio fuit, nam pacis conditionibus Olympius adverſabatur. Hinc *Theodoro præfectura urbana dejecto, eam Cæciliano tradidit* Honorius, *Attalum* ex legatis *alterum fiſco præeſſe juſſit*, utque urbanis rebus conſuleret, ſex millia Dalmatarum, quorum Valens dux erat, *qui tum audacia, tum robore corporum exercitus Romani quaſi caput erant*, ad Urbis cuſtodiam ire juſſit. At Valens indignum arbitrans ea per itinera proficiſci, quæ ab hoſte non obſervarentur, in hoſtium manus imprudens irruit, ac præſidia urbi deſtinata in itinere amiſit. Vix ipſe cum Attalo, qui ab Senatu miſſus ad Principem fuerat, incolumis Romam pervenit.

Innocentius Pontifex ad Honorium legatus cum aliis proficiſcitur.

2. Tam inſperata accepta clade, diſperatiſque Romanorum rebus, cum ad urbis portas iterum Gothi adeſſent, ita ut ne portas egredi Romani auderent alteram ad Honorium Imp. legationem Senatus, populuſque Romanus miſit, *cum quibus & Romanus Antiſtes*, Innocentius ſcilicet, *proficiſcebatur. Aderant iiſdem & Barbari quidam ab Alarico miſſi, ut eos ab hoſtibus itinera infeſtantibus tutarentur*. Divino quippe conſilio factum eſt, ut Innocentius, *tanquam juſtus Loth ſubtractus a Sodomis, occulta providentia Dei apud Ravvennam tunc poſitus, peccatoris populi non videret excidium*, ait Oroſius. Legationis ab Innocentio initæ meminit etiam Sozomenus; ejuſque opera, Alaricus Ariminum tranſiit cum Jovio Præfecto prœtorii de pace ineunda tractaturus; graviſſimas tamen ab Honorio pacis conditiones exigebat Alaricus, ut ſcilicet in annos ſingulos certa auri, annonæque menſura ſibi daretur, utramque Venetiam, & Noricos, & Dalmatiam ſibi ſuiſque incolendam traderet, ac utriuſque militiæ magiſter diceretur, ut ita armatus Romanorum cervicibus ſemper adſtaret. Quare Honorius aurum quidem, annonamque quantam petiiſſet ſe daturum promiſit, *dignitatem vero, aut officium, nunquam ſe vel Alarico vel ejus gentilibus conceſſurum*, addidit. Unde *Alaricus ob negatam ſibi dignitatem indignatus, perinde ac ſi contumelia affectus fuiſſet, illico tubæ ſigno dato, Romam verſus contendit*. Sozomenus tamen, & Zoſimus addunt, eum paulo poſt pœnitentia ductum, quod urbem perdere nollet, Epiſcopos aliquos deſtinaſſe, *qui ſimul & legatione fungerentur, & auctores Honorio eſſent, ne culpa ſua ſineret eam Urbem, quæ jam a pluribus quam mille annis magnæ parti Orbis imperaſſet, Barbaris*

Oroſ. lib. 7. 39.
Sozom. lib. 9. 7.
Sozom. Zoſim. ut ſup.

ris vaſtandam dari, nec tantas ædificiorum moles hoſtili flamma deleri, ſed potius moderatis admodum conditionibus pacem componeret, ac modicam annonam, aurique partem tantum expoſcens cum duobus Noricis. Jovius tamen, qui Ravennam reverſus, Honorium juramento obſtrinxerat, ne umquam cum Alarico pacem faceret, has Alarici conditiones admitti poſſe negabat.

Alaricus urbem obſidet; Attalum Romani Imperatorem dicunt. Zoſim. lib. 6. Sozom. lib. 9. 8.

3. Repulſam itaque paſſus Alaricus, ad obſidionem Urbis iterum converſus, & Romano portu occupato, Urbem brevi ad eas anguſtias annonæ caritate redegit, ut tyranni legibus colla ſubmittere cogeretur. *Itaque ſuſceptis Alarici legatis*, ait Zoſimus, *ad urbem eum arceſſebant, ac veluti juſſi fuerant, Attalum Præfectum urbis ſublimem in auguſto ſolio collocabant, purpura coronaque cinctum. Is continuo Lampadium Præfectum prætorio dicit, & Marcianum Præfectum urbanum conſtituit. Copiarum præturas tum ipſi Alarico, tum Valenti tradit... Hinc regio cum ſatellitio pergebat ad Palatium, & poſtridie in Senatum ingreſſus, orationem inſignis arrogantiæ plenam habuit, qua ſe Romanis univerſum Orbem terrarum adquiſiturum, & his ſimilia potiora magnifice additabat*, & ut cuncta, quæ Imperatorem decebant, ageret Imperator umbratilis, Tertullum quemdam conſulem dixit, ac ſtulta opinione perſuaſus, ſine pugna Carthaginem, totamque Africam occupandam fore, ſpreto Alarici conſilio, quo mediocres copias illuc mittendas ſuadebat; ad deturbandos Honorii duces, Conſtantinum quemdam, nullis ad id perficiendum idoneis copiis ablegatis, illuc deſtinavit, qui ut in Africam appulit, ab Heracliano captus, & occiſus eſt; qui etiam in portubus, ac littoribus Africæ cuſtodes appoſuit, mercatorumque naves Romam navigare prohibuit, unde fames iterum Urbem invaſit.

Attalus adverſus Honorium exercitum educit, atque Imperio dejicitur. Zoſimus lib. 6. Sozom. ut ſup.

4. Interea dum Africanæ expeditionis exitus incertus adhuc eſſet, *Attalus expeditionem adverſus Imperatorem Ravennæ degentem ſuſcipit*, qui ea clade perturbatus, legatos Romam miſit, ſocietatem Imperii Attalo exhibens: nomen quidem Imperatoris Honorio relicturum ajebat Attalus, nec integrum ei corpus conceſſurum. Cum itaque Imperio deturbandus eſſet Honorius, ac fugam meditaretur, collecta ad id non exigua navium multitudine, adventu ſex legionum, quæ ex Oriente advenerunt, Ravennæ manendum ſtatuit, donec certiora de rebus Africanis nuncia accepiſſet; quatuor autem militum

mil-

Jesu Chr. An. 409. Sozom. lib. 9. 8. millia inſperato Ravennam appuliſſe narrat Sozomenus. Interea cum Africana expeditio Attalo infauſta ceſſiſset, ac urbs couſque diriſſima fame laboraret, ut cogente fame, *caſtaneis loco panis uterentur cives, & humanus carnes quoſdam comediſſe ſuſpicio eſſet*; Romam rediit *Attalus tanquam ea de re cum Senatu conſulturus*. At cum omnia Alaricus in ſui poteſtatem redigiſſet, de abolendo Attali Imperio cum Honorio agere cœpit, & cum univerſi extra urbem conveniſſent, Attalus inſignia Imperii depoſuit, ſimul etiam comites ejus cingula depoſuerunt, & Honorius præteritorum veniam omnibus conceſſit, ita ut eum honoris gradum, eamque dignitatem ſinguli retinerent, quam prius habebant. Attalus vero una cum filio ſuo apud Alaricum remanſit, haudquaquam ſibi tutum deinceps fore ratus, in ejus poteſtatem ſe dare. Attali abdicationem Ethnicos & Arianos permoleſte tuliſſe adnotat Sozomenus, & Zoſimus, primi enim: *Gentilium ſuperſtitionem eum amplexurum eſſe ſperabant, & Templa ac ſacrificia patria dieſque feſtos eis redditurum; Ariani vero eccleſiarum poteſtatem iterum ſe adepturos ſperabant*, utpote a Sigeſario Gothorum Epiſcopo Ariano baptizatus, atque idcirco, & omnibus ipſis, & Alarico gratiſſimus habebatur. Infelicem Attali exitum paucis his verbis Oroſius narrat: *Quid de infeliciſſimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor, & mori lucrum fuit? In hoc, Alaricus, Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto, citius his omnibus actis pene quam dictis, mimum riſit, & ludum ſpectavit Imperii*. Et paulo poſt: *Attalus itaque tamquam inane Imperii ſimulacrum, cum Gothis uſque in Hiſpanias portatus eſt: unde deſcendens navi, incerta moliens, in mari captus, & ad Conſtantinum Comitem ductus, deinde Imperatori Honorio exhibitus, truncata manu, vitæ relictus eſt*. Hæc Oroſius, quæ tamen poſt annos aliquot accidiſſe ſcimus.

Zoſim. p. 115. Sozom. lib. 9. cap. 9.

5. Attalo exauctorato, *non multo poſt Alaricus cum alpes occupaſſet*, ait Sozomenus, *locus eſt ſexaginta circiter ſtadiis Ravennæ diſtans, cum Imperatore ſermones habuit de pace*. Cum tamen juſto & inſcrutabili Dei judicio, barbarorum ſtragibus, vaſtationibuſque urbs tradita eſſet, ubi pacis iucundæ ſpes refulſerat, gravius inde bellum exarſit. Nam Sarus quidam natione barbarus, ac rei militaris peritiſſimus, qui trecentos plus minus milites circa ſe habebat, cum ob priorem ſimultatem ſuſpectus eſſet Alarico, fœdus inter Romanos & Gothos haud-

qua-

quaquam e re ſua fore conſideravit. Itaque cum ſuis repente irruens, quoſdam ex Barbaris interfecit; quam ob cauſam ira ſimul ac metu percitus Alaricus, eadem qua venerat via revertitur, & Romam iterum obſeſſam proditione cepit, ſuiſque diripiendam dedit, ut ſinguli quantum poſſent, Romanorum opes diriperent, & deprædarentur: *Ob reverentiam tamen erga Petrum Apoſtolum, Baſilicam, quæ circa illius tumulum magna eſt & ſpatioſiſſima, inviolatam eſſe juſſit: atque hæc res impedimento fuit, ne Urbs Roma funditus interiret. Nam qui illic ſervati erant, quorum ingens fuit multitudo, urbem denuo inſtaurarunt*, ait Zoſimus, in quibus ejuſdem hiſtoria deſinit, utpote fine carens. Jesu Chr. an. 409.

6. Præcipua autem, quæ in urbis expugnatione, & devaſtatione geſta ſunt, his verbis narrat Oroſius: *Adeſt Alaricus, trepidam Romam obſidet, turbat, irrumpit, dato tamen præcepto prius, ut ſi qui in ſancta loca, præcipueque ad Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos in primis inviolatos ſecuroſque eſse ſinerent: Tum deinde in quantum poſſent, prædæ inhiantes, a ſanguine temperarent*. Interea accidit, ut diſcurrentibus per Urbem Barbaris, Gothorum quidam chriſtianus ſacram Deo virginem jam ætate provectam in quadam Eccleſiaſtica domo reperiret. Cumque ab ea aurum, argentumque expoſtulaſſet, illa ſumma conſtantia eſſe apud ſe plurimum ait, & mox protulit. Cumque ea attonitus Gothus conſideraret: *Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt*, ait virgo, *præſume, ſi audes: de facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus ad reverentiam religionis timore Dei, & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit*. Alaricus vero continuo ea reportari ad Apoſtoli baſilicam imperavit: virginem etiam, ſimulque omnes, qui cum ea ſe adjunxiſſent Chriſtiani, eadem cum defenſione deduci. Itaque non ſine omnium admiratione diſpoſita aurea atque argentea vaſa portabantur, exertis undique ad defenſionem gladiis, hymnos Deo Romanis, Barbariſque concinentibus, ait Oroſius, eademque Caſſiodorus.

Apoſtolorum Petri & Pauli baſilica a barbarorum furore illæſa ſervatur. *Oroſ. lib. 7. 39.*

Caſſiod. var lib. 12. epiſt. 20.

7. Vidit ne unquam Roma talem triumphum, ait Baronius? Spectavit illa ſæpius victores duces ſuos trahere victos hoſtes, & ſuperatos Barbaros vinctos duci a militibus captivos, numquam tamen intuita eſt victos Romanos ad Jovem Capitolinum vincentes barbaros redditos obſequentes cum pom-

Chriſtianæ religionis vis, & gloria. *Bar. 410. n. 28.*

JESU CHR. AN. 409.

pa perducere. Sed vidit hoc tempore in triumpho Chriſti tantum Roma miraculum, victores Gothos Arianos, hæreticos, hoſtes Eccleſiæ, Imperii perduelles, truces barbaros, ſpontaneo obſequio, longiſſimo itineris tractu ſequi victos, non in Capitolium, ubi idololatriæ ſedes erat, ſed in Vaticanum, ubi veræ Religionis ſuper firmam petram, titulo Petri, ſolida jacta fuerant fundamenta. Vidit (quod majoris gloriæ erat) Romanos illos idololatras hoſtes licet implacabiles Chriſti, volentes, ſed invitos, refractarios, ſed ſponte currentes, ſalutis cupidos concito gradu ferri ad eum, qui Salvator eſt omnium nominatus; ut jam certo experirentur exemplo, de Chriſto intelligendum eſſe decantatum olim oraculum Sibyllinum de Rege venturo, ad quem confugerent, qui ſalvi eſſe cuperent: cum unam hanc tantum ſcirent victis patere ad vitam viam, in reliquo autem non ignorarent quod:

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Sicque pertinaces atque rebelles facto profiteri coacti ſunt, quod verbis obſtinate negarent. Vides igitur Imperium Chriſti vincentibus Barbaris imperare, & Romanos Deorum cultores, invitos licet ad ſpontaneum obſequium cogi?

Quid Marcellæ acciderit; ejuſdem obitus.

Iſai. 15.
Pſalm. 78.
Virgil. Æneid. lib. 2.

8. Urbis excidium, vaſtationemque multis lacrymis proſequutus eſt Hieronymus, ac Iſajæ vaticinium uſurpans ajebat: *Moab nocte capta eſt, nocte cecidit murus ejus*; ac illud Pſalmiſtæ: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* deinde:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, ut poſſit lacrymis æquare dolorem?
Urbs antiqua ruet, multos dominata per annos.

Hier. epiſt. 127.

Quid vero tunc temporis Marcellæ, nobiliſſimæ feminæ acciderit, idem Hieronymus ad Principiam ſcribens narrat: *Cum interim in tanta confuſione rerum, Marcellæ quoque domum cruentus victor aggreditur; ſit mihi fas audita loqui, immo a ſanctis viris viſa narrare, qui interfuere præſentes, qui te dicunt in periculo quoque eis fuiſſe ſociatam. Intrepido vultu excepiſſe dicitur introgreſſos; cumque poſceretur aurum, & defoſſas opes vilis excuſaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæſam fuſtibus, flagelliſque, ajunt non ſen-*

ſiſſe

ſiſſe tormenta; *ſed hoc lacrymis, hoc pedibus eorum proſtratam egiſſe, ne te a ſuo conſortio ſepararent*; *ne ſuſtineret adoleſcentia, quod ſenilis ætas timere non poterat. Chriſtus dura corda mollivit, & inter cruentos gladios invenit locum pietas. Quumque & illam, & te, ad Apoſtoli Pauli baſilicam barbari deduxiſſent, ut vel ſalutem vobis oſtenderent, vel ſepulcrum in tantam lætitiam dicitur erupiſſe, ut gratias ageret Deo, quod te integram ſibi reſervaſſet*; *quod pauperem illam non feciſſet captivitas, ſed inveniſſet*; *quod egeret quotidiano cibo*; *quod ſaturata Chriſto non ſentiret eſuriem*; *quod & voce, & opere loqueretur*; quam paulo poſt obiiſſe his verbis ſubdit: *Poſt aliquot dies, ſano, integro, vegetoque corpuſculo obdormivit in domino, & te paupertatulæ ſuæ, imo per te pauperes reliquit hæredes, claudens oculos in manibus tuis, reddens ſpiritum in tuis oſculis, dum inter lacrymas tuas illa rideret conſcientia vitæ bona, & præmiis futurorum &c.* Hæc de Marcellæ obitu Hieronymus, cujus memoria pridie Kal. Febr. Martyrologio Rom. recolitur.

Jæsu Chr. an. 409.

Hieronymi de urbis excidio querelæ. *Præf. in lib. 1. comment. in Ezech.*

9. Cumque commentarios in Ezechielem elucubraret Hieronymus, uno eodemque tempore de Marcellæ, & Pammachii obitu, ac de Urbis obſidione ac direptione nuncios accepit; ob quam rem turbatus: *Tranſire cupiebam*; poſt Commentarios in Iſaiam; *& extremam ut dicitur manum operi imponere prophetali*; *& ecce ſubito mors mihi Pammachii, Marcellæ, Romanæ urbis obſidio, multorumque fratrum, & ſororum dormitio nunciata eſt. Atque ita conſternatus obſtupui, ut nihil aliud diebus ac noctibus, niſi de ſalute omnium cogitarem, meque in captivitate ſanctorum putarem eſſe captivum*; *nec poſſem prius ora reſerare, niſi aliud certius diſcerem, dum inter ſpem & deſperationem ſollicitus pendeo, aliorumque malis me crucio. Poſtquam vero clariſſimum terrarum omnium lumen extinctum eſt, immo Romani Imperii truncatum caput, & (ut verius dicam) in una Urbe totus Orbis interiit*; *obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui de bonis, &c.* Hæc Hieronymus, quibus indicat uno eodemque anno, ideſt labenti, Pammachium, atque Marcellam Romanæ nobilitatis præcipuos, ſanguine etiam, vitæque inſtituto conjunctos obiiſſe; in quorum laudem Epitaphii loco ea ſint, quæ idem Hieronymus in præfatione in Danielem habet: *Obſecro vos Pammachi & Marcella unicum Romanæ ſanctitatis exemplar, junctos fide,*

Jesu Chr. An. 409.

ſanguine, ut conatus meos veſtris orationibus adjuvetis.

Chriſtianæ fœminæ in pudicitia ſervanda conſtantia.

Sozom. lib. 9. 10.

10. Egregium quoque pudicitiæ exemplum Chriſtiana mulier tunc edidit, cujus meminit Sozomenus. Cum in tantæ Urbis expugnatione multa acciderint, ego id, quod eccleſiaſtica hiſtoria dignum mihi tum videtur contigiſſe, in præſentia commemorabo, ſcilicet facinus viri Barbari, & mulieris in cuſtodienda caſtitate. Barbarus quidem opinionem Arii; mulier vero Nicæni Concilii fidem ſequebatur. Hanc cum juvenis quidam ex militibus Alarici eximia forma præditam vidiſſet, captus pulchritudine trahebat ad ſtuprum. Cum autem reluctaretur mulier, totiſque viribus obſiſteret, ne quid obſceni pateretur, Barbarus nudato gladio mortem ei minatus eſt. Et levi brachio, utpote qui ob amorem parcere eî vellet, ſuperficie tenus collum percuſſit. Tum mulier multo cruore perfuſa, cervicem gladio ſubjecit, optabilius eſſe ducens, ut cum caſtitate moreretur, quam ut poſt eum cui legitime nupſerat, alium virum experta, ſuperviveret. Sed cum Barbarus adhuc terribilius irruens, nihil proficeret, admiratus caſtitatem mulieris, duxit eam in Baſilicam Petri Apoſtoli. Cumque eam tradidiſſet Eccleſiæ cuſtodibus, ſimulque ſex aureos ad victum ei comparandum; ut marito ſervaretur præcepit.

Gothi Apoſtolorum & martyrum baſilicas honore proſequuntur.

Auguſt. de civit. Dei lib. 1. cap. 1. & 7.

De pietate iis exhibita, qui ad Baſilicas Apoſtolorum confugerant, & honore iiſdem a Gothis exhibito, hæc adnotat Auguſtinus ad Marcellinum ſcribens: *An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus propter Chriſtum Barbari pepercerunt? Teſtantur hoc Martyrum loca, & baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione Urbis ad ſe confugientes ſuos alienoſque receperunt. Hucuſque cruentus ſæviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illo deducebantur a miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa loca pepercerant; ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipſi alias truces atque hoſtili more ſævientes, poſteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuiſſet, tota feriendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Sic evaſerunt multi* (Gentiles ſcilicet) *qui nunc Chriſtianis temporibus detrahunt; & mala quæ illa civitas pertulit, Chriſto imputant*; eademque inferius adverſus Gentiles adnotat.

Quamplurimi urbe relicta Hieroſolymam petunt.

11. Quamplurimos Urbis deprædationem fuga evaſiſſe,

ſive

ſive etiam poſt captam urbem inde exceſſiſſe, Hieronymus narrat, qui non multo poſt tertium in Ezechielem librum inchoaturus, hæc mœrens, & dolens præfatur: *Vera ſententia eſt: Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt*; & alibi: *Nihil eſt enim opere & manu factum, quod non conficiat, & conſumat vetuſtas. Quis crederet, ut totius Orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipſa ſuis populis, & mater fieret, & ſepulcrum? Ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis Urbis, ſervarum, & ancillarum numero complerentur? ut quotidie ſancta Bethlehem nobiles quondam utriuſque ſexus, atque omnibus divitiis affluentes ſuſciperet mendicantes? Quibus quoniam opem ferre non poſſumus, condolemus, & lacrymas lacrymis jungimus: occupatique ſancti operis ſarcina, dum ſine gemitu confluentes videre non patimur, explanationes in Ezechielem, & pene omne ſtudium omiſimus, Scripturarumque cupimus verba in opera vertere, & non dicere ſancta ſed facere*; poſt plurima vero, nonnullorum avaritiam arguit, qui egenis neceſſaria negabant; & pannos eorum, ac ſarcinulas diſcutiebant, *aurum in captivitate quærentes*. De ſe ipſo autem ſubdit: *Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quod caligantibus oculis ſenectute, & aliquid ſuſtinentibus beati Iſaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere? qui etiam ad Solis dieique fulgorem litterarum nobis parvitate cæcantur*; & in ſequentis commentarii præfatione: *Cadit mundus & cervix noſtra non flectitur*. Rutilius vero de his, qui in inſulas Tyrrheni maris confugerunt, & præcipue de Igilii ſilvoſa hæc cecinit:

JESU CHR. AN. 409.
Præf. in lib. 3. in Ezech.

Rutil. itin. lib. 1.

Eminus Igilii ſilvoſa cacumina miror,
Hæc multos lacera ſuſcepit ab urbe fugatos.
Hic feſſis poſito certa timore ſalus.
Plurima terreno populaverat æquora bello
Contra naturam claſſe timendus eques.
Unum, mira fides, vario diſcrimine portum;
Tam prope Romanis, te procul eſſe Getis.

12. Hæc ipſe. Nonnulli etiam in Africam confugerunt; inter eos Proba cum nuru ſua Juliana, ambæ viduæ, atque Demetrias Julianæ filia, de quibus Hieronymus: *Quis hoc credat? Proba illa omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis*

Proba in Africam tranſiit.
Hier. epiſt. 130. n. 7.

in

[library stamp]

Jesu Chr. an. 409. *n Orbe Romano nomen illuſtrius; cujus ſanctitas & in univerſos effuſa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit; quam trium liberorum, Probini, Olybrii, & Probi non fatigarunt ordinarii Conſulatus, & cum incenſis direptiſque domibus in Urbe captivitas ſit, nunc habitus venundare dicitur poſſeſſiones, & facere ſibi amicos de iniquo mammona, qui ſe recipiant in æterna tabernacula. Vix Barbarorum effugerat manus, & avulſas de complexu ſuo virgines fleverat; cum ſubito intolerabili, quod numquam timuerat, amantiſſimi filii orbitate percutitur; & quaſi futura Virginis Chriſti avia, ſpe futurorum mortiferum vulnus excepit; probans in ſe verum eſſe, quod in lyrico carmine ſuper juſti præconio dicitur:*

Horat. lib. 3. ode 3.

Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ:

& poſt multa de juſtorum fiducia ex divinis oraculis petita, in crudeliorem tyrannum in Africa incidiſſe adnotat, ideſt in Heraclianum Honorii ducem, quem avaritia, libidine, & crudelitate, non ſolum Alaricum Gothorum Regem, ſed truculentiores tyrannos, quos hiſtoria, vel fabulæ comminiſcuntur, viciſſe adnotat. De Demetriade idem narrat Hieronymus, in hac Gothorum irruptione vita & pudicitia periclitaſſe: *Dudum*, ait, *inter barbaras tremuiſti manus, aviæ & matris ſinu & paliis tuebaris. Vidiſti te captivam & pudicitiam tuam non tuæ poteſtatis. Horruiſti truces hoſtium vultus, raptas virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti*, non omnibus tamen virginibus tam feliciter rem ceſſiſſe, ut a barbaris intactæ dimitterentur, contigit, quarum aliquas barbarico furore ſtupratas fuiſſe, ex Hieronymo loco mox citato conſtat; unde Auguſtinus: *Magnum ſane crimen ſe putant objicere Chriſtianis, cum eorum exagerantes captivitatem, addunt etiam ſtupra commiſſa, non ſolum in aliena matrimonia, virgineſque complures, ſed etiam in quaſdam ſanctimoniales.*

Hier. epiſt. 130.

Auguſt. de civit. Dei lib. 1. 26.

Injuſta ethnicorum querela ab Auguſtino confutata.

Auguſt. de civit. Dei lib. 3. 29.

13. Cum vero ethnici eam Urbis cladem chriſtianorum cauſa accidiſſe dicerent, eoſdem pluribus confutat Auguſtinus, longe graviora a ſuis civibus damna ſuſtinuiſſe Populum Romanum docens, quam in ea Gothorum vaſtatione, adeo ut poſt multa, fidenter aſſerat, una poſtrema Syllana tabula, plures Senatores jugulatos fuiſſe, quam tunc a Gothis expolia-

liatos; & alibi: *Ab urbe autem Roma quam multi exierunt*, & rediturí ſunt, quam multi manſerunt, *& evaſerunt? quam multi locis ſanctis nec tangi potuerunt*. Ac quæ tunc ſtrages, & calamitates acciderunt, inevitabili bellorum more facta fuiſſe addit: *Quidquid igitur vaſtationis, trucidationis, deprædationis, concremationis, afflictionis in iſta recentiſſima Romana clade commiſſum eſt, fecit hoc conſuetudo bellorum. Quod autem more novo factum eſt, quod inuſitata rerum facie, immanitas barbara tam mitis apparuit, ut ampliſſimæ baſilicæ implendæ populo, cui parceretur, eligerentur, & decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quod liberati multi a miſerantibus hoſtibus ducerentur, unde captivandi nulli, nec a crudelibus hoſtibus abducerentur: hoc Chriſti nomini, hoc Chriſtiano tempori tribuendum, quiſquis non videt, cæcus eſt, quiſquis laudanti reluctatur, inſanus eſt. Abſit ut prudens quiſquam hoc feritati imputet Barbarorum. Truculentiſſimas & ſæviſſimas mentes ille* (Chriſtus videlicet) *terruit, ille refrenavit, ille mirabiliter temperavit, &c.* Sed quid amplius? Idem Auguſtinus ſatis evidenti demonſtratione palam facit, impietate Gentilium talia pati commeruiſſe Urbem, cultu vero Chriſtianæ religionis factum, ne penitus interiret. Idque pro concione populum conteſtatus, publice profeſſus eſt, illa repetens quæ dicta ſunt de Rhadagayſo: nimirum non datum illi Urbem capere, qui majori venerat apparatu, quod Gentilis eſſet, Deorum cultor; ſed conceſſum id Alarico Chriſtiano, Deorum hoſti, in ipſorum deſolationem: quæ etiam alibi, ut patentia omnibus, ob oculos ponit. Ac tractatu ſingulari antiquam Ethnicorum querelam ſeu potius cantilenam adverſus Chriſtianos, quaſi ipſorum cauſa tot adverſa Urbi Imperioque acciderint, confutare coactus eſt, cui de Urbis excidio titulum præfixit.

JESU CHR. AN. 409.

Auguſt. de urb. excidio tom. 6. cap. 1.

Auguſt. de civit. Dei lib. 1. cap. 7.

14. Quanta autem Urbis amplitudo eſſet, quanta domorum, aut mœnium, quæ civium magnificentia, divitiæ, luxus, ex his, quæ Olympiodorus narrat, conjicere facile lector poterit; ait itaque: *E magnis Romanæ urbis domibus, omnia intra ſe unaquæque habuit, quæcumque mediocris etiam urbs habere potuit, hyppodromum, fora, delubra, fontes, varia balnea, hinc & ſcriptor ſic exclamat: Eſt urbs una domus, mille oppida continet urbs una, ſed & lavacra publica ingenti prorſus fuere magnitudine, e quibus quæ Antonianæ nominantur thermæ* *Phot. pag. 74.*

ad

Jesu Chr. An. 409.

ad commodiorem lavantium uſum, mille ſexcentia habuerunt ſedilia e marmore polito fabricata. Diocletianæ duplo fere plura. Quæ adhuc ſuperſunt veſtigia, nil exageraſſe Olympiodorum fatis evincunt, ſed cetera videamus: *Romanæ vero urbis mœnia ex Ammonis Geometræ dimenſione, quo tempore Gothi illam priore incurſione infeſtarunt, viginti & unius miliarii ſpatium in circuitu habere comperta ſunt. Multas Romæ familias annuos reditus e bonis accepiſſe quadraginta circiter auri centenarios*, ſeu quatuor centena millia aureorum, *abſque frumento & vino aliiſque ejus generis, quæ tertiam æquabant auri partem ſi venderentur.* Alteras vero poſt has, decem aut quindecim centenarios in cenſu habuiſſe addit. Probum Alypii filium in prætura, quam Joannis tyranni temporibus geſſit, auri centenarios duodecim expendiſſe narrat; Symmachum vero oratorem mediocris cenſus Senatorem, ante captam urbem, filio Symmacho præturam gerente, centenarios impendiſſe viginti. Maximum vero in filii præturam quadraginta centenarios expendiſſe adnotat. Hactenus ex Olympiodoro gentili ſcriptore Photius, de urbis Romanæ amplitudine, deque civium Romanorum divitiis, faſtu, & luxu, quæ omnia Barbaris in prœdam data ſunt, ut vix fragmenta, quaſi ex naufragio tabulæ quædam nunc ſuperſint.

Urbis Romæ & domorum amplitudo.

15. Triduum diripiendæ urbi militibus ab Alarico datum fuiſſe tradit Oroſius, ut notum omnibus fieret, Chriſtum caſtigatam urbem, non extinctam voluiſſe. *Tertia die barbari qua ingreſſi urbem fuerant, ſponte diſcedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, ſed ne tanto quidem, quantum ſeptingenteſimo conditionis ejus anno caſus effecerat; & ne quiſquam forte dubitaret, ad correptionem ſuperbæ, laſcivæ, & blaſphemæ civitatis hoſtibus fuiſſe permiſſum, eodem tempore clariſſima urbis loca fulminibus diruta ſunt, quæ inflammari ab hoſtibus nequiverunt.* Hæc autem adeo vera ſunt, ut Romanus populus Circenſium ceſſationem ægrius, quam urbis direptionem ferret: *Adeo parvo quodam & levi motu hæſitaſſe erga ſe parumper conſuetudinem voluptatum indubitatiſſime conteſtatus eſt, ut libere conclamaret, ſi reciperet Circum, nihil eſſe ſibi factum: hoc eſt, nihil egiſſe Romæ Gothorum enſes, ſi concedatur Romanis ſpectare Circenſes.* Unde Hieronymus de excidio urbis agens, ſub nomine & figura Hieruſalem, Romanorum & maxime ethnicorum cæcitatem, perfidiamque deplo-

Tribus diebus urbs direpta. *Oroſ. lib. 7. 39. Paul. Diac. hiſt. miſcel. lib. 13.*

Oroſ. lib. 1. 6. Rom. populus Circenſium ſtudioſiſſimus. *Hier. ad Auguſt. epiſt. 123.*

plo-

plorans habet: *Capta Hieruſalem tenetur a Nabuchdonoſor, nec Hieremiæ vult audire conſilia: quin potius Ægyptum deſiderat, ut moriatur in Taphnes, & ibi ſervitute pereat ſempiterna*, quibus etiam propheticum illud aptari poterat: *Percuſſi eos, & non doluerunt*.

Jesu Chr. an. 409.
Hieremiæ 43.
Hier. 5.

15. Facillimum quidem Alarico fuiſſet Romanum ſibi in Occidente Imperium vindicare, ſi in Honorium imparatum, otioque Ravennæ torpentem arma convertiſſet, & Urbem captam præſidio præſentiaque tenuiſſet; ſed *qui facit pondus ventis*, barbari Regis impetum alio divertit, ut manifeſto conſtaret caſtigatorem Urbi datum eſſe, non rectorem, ne Arianus Princeps celebratam omni ævo Romanorum fidem auctoritate ſua labefactaret. Inſano itaque conſilio Alaricus Urbe cum Gothis excedens, Romanorum ſpoliis onuſtus, Campaniam, Lucaniam, Brutioſque palabundi excurrerunt, ſtrages cœdeſque undique afferentes, ita ut Orientali quoque Imperio timens Theodoſius junior, Anthemio juſſerit, ut *ſtationes navium, portus, littora, omnes abſceſſus provinciarum, abdita quin etiam loca, inſulaſque* ſolertiſſime cuſtodiret, ſolis Honorii legatis pervias, ne fortaſſe Gothi ex Campania Brutiiſque ſolventes, Orientales provincias invaderent, ejuſque Imperio inſultarent.

Alaricus in Campaniam Lucaniam, Brutioſque proficiſcitur.
Job, cap. 28.
Cod. Theod. l. 2. *de cuſtodia littorum & itinerum*.

16. Cumque ethnici, ut diximus, Gothicam Urbis direptionem chriſtianis imputarent, ac ob ſpretum Deorum cultum id accidiſſe vulgarent, occaſionem inde Auguſtinus habuit aureos de Civitate Dei libros ſcribendi, quos hoc tempore inchoaſſe conſtat, ut idem ipſe teſtatur: *Interea Roma Gothorum irruptione agentium ſub Rege Alarico, atque impetu magnæ cladis everſa eſt. Cujus everſionem Deorum falſorum; mutorumque cultores, quos uſitato nomine Paganos vocamus, in chriſtianam Religionem referre curantes, ſolito crebrius, & amarius Deum verum blaſphemare cœperunt. Unde ego exardeſcens zelo domus Dei adverſus eorum blaſphemias, vel errores, libros de civitate Dei ſcribere inſtitui, quod opus per aliquot annos me tenuit*. In eamdem rem Demetriano chriſtianis exprobranti, publicarum calamitatum, ob neglectum Deorum cultum, chriſtianos auctores eſſe, reſpondit Cyprianus: *Non enim ſicut tua falſa querimonia & imperitia veritatis ignara jactat & clamitat, iſta accidunt, quod dii veſtri a nobis non colantur, ſed quod a vobis non colatur Deus &c.* Hæc aliaque in eam rem Cy-

Auguſtinus libros de civitate Dei contra Gentiles ſcribit.
Auguſt. retract. lib. 2.
Cyprian. epiſt. ſeu libro ad Demetr. pag. 129. *edit. amſt.*

Cyprianus, quæ longum eſſet excribere.

Paulinus Nolæ Epiſcopus ordinatur, a barbaris illæſus ſervatur.

Paul. epiſt. 49. 14. Murat. Paul. vita cap. 50. p. 87. Auguſt. de civit. Dei lib. 1. cap. 10.

17. Cum Gothi hoc anno Campaniam excurrerent, Paulinus *exigui gregis paſtor*, ut de ſe ipſo ſcribit, ideſt Nolæ Epiſcopus, & quidem quantum conjecturis aſſequi poſſumus, hoc eodem anno 409. ordinatus, cum Gothi capta Nola paſſim in miſeros cives prædæ cauſa ſævirent: *Paulinus noſter Nolenſis Epiſcopus, ex opulentiſſimo divite, voluntate pauperrimus, & copioſiſſime ſanctus, quando & ipſam Nolam barbari vaſtaverunt, eum ab eis teneretur, ſic in corde ſuo, ut ab eo poſtea cognovimus, precabatur: Domine non excrucier propter aurum & argentum, ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis; ibi enim habebat omnia ſua, ubi eum condere, & theſaurizare ille monuerat, qui hæc mala Mundo futura prædixit.* Quanta autem pietate Epiſcopatum illuſtraverit Paulinus, hujus loci non eſt pluribus immorari; id tantum cum Baronio adnotamus, turpiſſime erraſſe eos, qui Paulinum hoc tempore a barbaris captum, atque in Africam pro filii viduæ redemptione perductum fuiſſe ſcripſerunt, quod forſitan altero Paulino Nolano Epiſcopo accidere potuit, cum Vandali ſub Genſerico Rege ex Africa Romam primum delati anno 455., ac urbem direpti, in Campaniam deinde transgreſſi, ac demum in Africam redierunt. De Nolana obſidione nonnulla ſunt adnotanda, quam, protegente S. Felice patrono, e Barbarorum gladiis manibuſque ereptam fuiſſe ſcribit Baronius, ac Auguſtini auctoritate confirmat, qui in libro de cura pro mortuis agenda, quem ad Paulinum dedit, interrogatus ab eodem, an cuiquam prodeſſe poſſit, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam ſepeliatur, Auguſtinus mortuos vivis adeſſe probat, ex viſione, quam non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis ſe accepiſſe addit, ex his, quæ Nolæ acciderant, unde ait: *Hinc ſolvitur illa quæſtio, quomodo Martyres ipſis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſciunt mortui, quid agant vivi. Non enim ſolis beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus Confeſſorem apparuiſſe Felicem, cujus inquilinatum pie diligit, cum a Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis*; ex his autem Auguſtini verbis barbaricam irruptionem Paulinum & Nolanos evaſiſſe colligit Baronius; Auguſtinus tamen nequaquam id indicat, quin aperte teſtatur, captam tunc direptamque fuiſſe Nolam, *quando ipſam Nolam bar-*

Murat. Paul. op. p. 127. Bar. 410. 46.

Bar. ut ſup. & an. 441. n. 193; aut 451. Auguſt. de cura agenda pro mortuis cap. 16.

De civit. Dei lib. 1. 10.

barbari vaſtaverunt, cum ab eis, Paulinus, *teneretur*, multum ſane tum Paulinum cum Nolanos adjuvaſſe Felicem Martyrem, non ſolum *beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus*, ait Auguſtinus, eo quod Nola etiam capta direptave, piis viris in amiſſione rerum temporalium nihil perierit, eademque urbis rerumque vaſtitas, ac direptio ad æternæ vitæ profectum inſervire potuit. Felicis etiam protectio fortaſſe effecit, ut Barbari, urbe capta, a rapinis, cœdibus, ſtupris aliquatenus temperaverint; quod etiam Paulini exemplo confirmatur, qui cum in eorum manus incidiſſet, jamjam ut aurum divitiaſque proderet torquendus, cum *in corde ſuo*, ut narrat Auguſtinus, oraſſet dicens: *Domine non excrucier propter aurum & argentum, ubi enim ſint omnia mea tu ſcis*, nil damni in ſuo corpore paſſus eſt, nec tormenta ſuſtinuit. *Auguſt. de civit. Dei lib. 1. 10.*

18. Antequam Nola excedamus, ſcrupuli aliquot erudito viro eruendi ſunt, qui cum ex Auguſtino audiiſſet, Nolanis civibus apparuiſſe Felicem, ſe ſcrupulis vexatum fuiſſe adnotat: *Ne quid diſſimulemus, Felicis manifeſtatio ſcrupulos nobis multos injicit*, ait Baſnagius: vidit quippe vir ſagax & Calvinianæ communionis aſſecla, Sanctorum apparitiones, eorumque in ſublevandis hominum neceſſitatibus ſollicitudinem, vidit inquam hæc Catholicorum ſententiæ, pietatique, ac Sanctorum invocationibus favere, nil mirum itaque ſi Baſnagio ſcrupulos injecit, nam ut aperte teſtatur: *Ex Sanctorum viſitationibus ejuſmodi id detrimenti accepit Religio, quod cultus, & adoratio Martyribus exhiberetur*; quare Auguſtini teſtimonio Scripturæ auctoritatem opponendam cenſet, quam animarum beatarum in terram excurſibus obſtare confidenter tradit; multiſque diſputat, qua ratione, vel modo id fieri poſſit, num ſcilicet proprio aſſumpto corpore, vel mutuatitio & alieno. Hæc tamen ad rem non pertinent, aut ſaltem ad fidem non ſpectant, catholica etenim Eccleſia pie religioſeque Sanctos invocari definivit; qua ratione fidelium preces noverint, quommodo eorum neceſſitates videant, auxilio, interceſſione, præſentia aliquando adſint, curioſe non inquirit, Theologorumque diſputationibus hæc, hiſque ſimilia relinquit; unde fruſtra Baſnagius ſuum lectorumque torquet ingenium, dum in hiſce quæſtionibus plus juſto immoratur, qualemcumque etenim ſententiam probaverit, vel etiam quod tutius erit, etſi id nos ignorare fateamur, dummo-

Qua ratione Beatorum animæ hominibus apparere poſſint.

Baſnag. an. 410. n. 6. & 7.

Jesu Chr. an. 409. modo piam religioſamque Sanctorum invocationem eſſe fateatur, quidquid voluerit de Sanctarum animarum in terram excurſibus dicere per nos licebit. Cæterum non ſolum ſanctos Angelos hominibus ſæpe apparuiſſe, hominumque res curaſſe, ſed etiam Beatorum animas aliquando in terris apparuiſſe, ſive proprio aſſumpto corpore, aut mutuatitio, non quærimus; Scripturæ auctoritati repugnare Baſnagio negamus, quin ejuſdem ſacræ Scripturæ auctoritate, non ſemel id factum fuiſſe, ſcimus. Defunctus quippe erat Samuel Propheta, qui Sauli apparens, cum eo locutus eſt, quæve ventura ei erant, prænunciavit; *Cum vidiſſet mulier Samuelem &c.* deinde: *Intellexit Saul, quod Samuel eſset ... dixit autem Samuel ad Saul, quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer &c.* En itaque animarum ſanctarum ad homines excurſus, & ſermo, quæ quomodo fieri potuerint Baſnagio quærendum relinquimus., de quibus tamen plura apud Auguſtinum, ut Theologos prætercam, alioſque Patres occurrunt, quæ ſuæ conſcientiæ meticuloſæ, vel affectatæ inſcitiæ ſcrupulos tollent. Si hiſce contentus non erit, ad turbati animi evellendos ſcrupulorum aculeos aliud exemplum ex eadem Scriptura addimus, quo diſertius idem probatur. In libro quippe Machabæorum ſecundo legitur Judæ Machabæo apparuiſſe in ſomnis Oniam cum Jeremia Propheta, eoſque cum Juda & locutos fuiſſe, & ad prælium confortaſſe, cui etiam Jeremias gladium porrexiſſe dicitur, quo adverſarios populi Iſrael contereret; quæ etſi in ſomnis contigerint, veram tamen fuiſſe viſionem Scriptura teſtatur. His alia ex hiſtoria exempla addere, etſi graviſſimorum virorum auctoritate probata, cujuſmodi ſunt, quæ in actis Martyrum occurrunt, aut in Sanctorum Patrum ſcriptis, & maxime apud Auguſtinum ſuperfluum judicamus; nam facile objiceret Baſnagius ſacræ Scripturæ auctoritatem certiorem firmioremque eſſe, quam Auguſtini, quæ ſententia etſi vera ſit, catholiciſque cunctis probata, falſo tamen Patrum teſtimonia ſacræ ſcripturæ auctoritate repugnare ſcribit, ut ſatis ſuperque hactenus oſtendimus.

Reg. lib. 1. 28.

Mach. 2. 15.

Conſtantini rebellio firmatur.

19. Dum bello Gothico tota Italia flagraret, ceteræ Occidentalis Imperii provinciæ, aut civili bello, aut Barbarorum incurſionibus affligebantur. Britannias, Galliaſque Conſtantinus ſive Conſtantius occupaverat, qui cum Bononiam veniſſet, *ibique dies aliquot fuiſſet commoratus, omneſque ſibi conciliaſſet exercitus, ad Alpes uſque Galliam, & Italiam diſterminantes*

Im-

Imperium tuto jam poſſidere videbatur, ait Zoſimus. Cumque Stilico adverſus eum Sarum cum exercitu miſiſſet, re infecta paulo poſt in Italiam rediit. Conſtantius interea, Alpibus præſidio munitis, Galliarum ſibi principatum vindicavit, ac Conſtantem filiorum maximum Cæſarem dixit, & in Hiſpaniam ablegavit, *tum ut dilataret Imperii limites, tum etiam ut Honorii propinquorum potentiam exſcinderet*, ait Zoſimus. Conſtans vero in Hiſpaniam tranſgreſſus, Dydimium & Verenianum juvenes nobiliſſimos, qui ejus tyrannidi reſiſtere conati fuerant, una cum eorum uxoribus captos, ad patrem in Gallias captivos miſit, cujus juſſu interfecti ſunt. Horum fratres Theodoſius, Lagodiuſque fuga ſibi conſuluerunt, quorum alter in Italiam tranſiit, alter in Orientem.

JESU CHR. AN. 409. *Zoſim. lib. 6. p. 112.*

Zoſ. ut ſup.

20. His feliciter peractis Conſtantius Conſtantem Cæſarea dignitate jam exornatum, Auguſtum etiam Imperiique ſocium noncupavit, eodemque tempore, ideſt hoc anno, quo Honorius octies conſulatus honorem iniit, cum Theodoſio tertium, legatos ad Honorium miſit, condonari ſibi petens, quod Imperium ſibi tradi paſſus fuiſſet, non enim id ſe ſponte ſua rapuiſse, ſed a militibus coactum ſuſcepiſse ajebat. Cumque Ravenna tunc temporis ab Alarici exercitu pene obſideretur, Honorius, non ſolum veniam dedit, *ſed & Imperatoriam veſtem ei miſit*, & in Imperii ſocietatem admiſit, ut Olympiodorus etiam apud Photium enarrat. Jovium deinde Conſtantius ad Honorium miſit, ut pacem cum eo firmaret, ac veniam pro Dydimii ac Vereniani occiſione poſceret, ſe opem quamprimum rebus Italicis laturum promittens, vel potius Italico etiam Regno ejecturum, ut rerum eventus, aut conjectura edocuit, nam cum Conſtantius *Alpes Cottias ſuperaſſet*, ait Sozomenus, *Veronam venit urbem Liguriæ, & cum Padum amnem jam trajecturus eſset, eadem qua venerat via reverſus eſt, comperta morte Alarici, qui cum eſset magiſter militum Honorii, eoque nomine ſuſpectus, quod univerſum Occidentis Imperium in Conſtantium transferre vellet, tunc forte occiſus fuerat; quo quidem tempore Imperator, protinus ex equo deſiliens, palam gratias egit Deo, quod manifeſto inſidiatore eſset liberatus*. Conſtantius vero in Gallias rediens Arelaten ſe recepit, quo & filius ejus ex Hiſpania profugus paulo poſt advenerat, ubi non multo poſt capti, rebellionis pœnas dederunt, ut infra ſuo loco videbimus.

Conſtantinus, & Conſtans ab Honorio Imperio ſociantur. *Zoſim. lib. 5. p. 107*

Phot. pag. 69.

21. Ro-

Jesu Chr. an. 409.

Barbari in Hiſpanias irruunt.

Sozom. lib. 9. 12.

21. Romano autem Imperio id præceteris fatale fuit, quod cum Conſtantius & Conſtans Hiſpanias invaſiſſent, via Barbaris ad eas occupandas patuit; nam cum Conſtantii vires imminui cœpiſsent, Vandali, Svevi, Alani, reſumptis animis, Pyreneum montem propere occupaverunt, ſegnius agentibus iis, quibus Conſtans tranſitus cuſtodiam commiſerat. Annum & diem irruptionis Barbarorum in Hiſpaniam poſteritati tradidit Idacius in Chronico ad hunc annum: *Alani & Vandali & Svevi Hiſpanias ingreſſi æra 447. alii quarto Kal. alii tertio idus Octobris memorant die tertia feria, Honorio VIII. & Theodoſio Arcadii filio III. Coſs.* Cum Barbaris, qui remanſerant, Honorii milites conjuncti ſunt, ait Oroſius, *ubi actis aliquandiu magnis cruentiſque diſcurſibus, poſt graves rerum atque hominum vaſtationes, quarum ipſos modo pœnitet, habita ſorte, & diſtributa uſque ad nunc poſſeſſione conſiſtunt.*

Oroſ. lib. 7. 40.

Hiſpania dire vexata.

Auguſt. epiſt. 228.

22. Quam luctuoſa hæc Barbarorum irruptio fuerit, teſtis eſt Auguſtinus, qui Honorato interroganti, num Epiſcopo vaſtationis tempore fugere liceret, poſt plurima de Hiſpaniarum eccleſiis adnotat: *Non enim quiſquam eſt, qui dicat, Miniſtros manere oportere, ubi jam non fuerint, quibus neceſſe ſit miniſtrare. Ita quidem Sancti epiſcopi de Hiſpania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapſis, partim peremptis, partim obſidione conſumptis, partim captivitate diſperſis; ſed multo plures illic manentibus, propter quos maneret, ſub eorumdem periculorum denſitate manſerunt. Et ſi aliqui deſeruerunt plebes ſuas, hoc eſt, quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate divina; ſed humano vel errore decepti, vel timore ſunt victi.* Triſtiora adhuc de calamitatibus Hiſpaniæ narrat Idacius, de fame, & peſte eodem tempore cum Barbarorum ferocia ſœvientibus: *Debacchantibus per Hiſpanias barbaris, & ſæviente nihilominus peſtilentiæ malo, opes, & conditam in urbibus ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit, & miles exaurit. Fames dira graſſatur, adeo ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ. Matres quoque necatis, vel coctis per ſe natorum ſuorum ſint paſtæ corporibus. Beſtiæ occiſorum gladio, fame, peſtilentia, cadaveribus aſsuetæ, quoſque hominum fortiores interimunt, horum carnibus paſtæ, paſſim in humani generis efferantur interitum; & ita quatuor plagis, ferri, famis, peſtilentiæ, beſtiarum, ubique in toto Orbe ſævientibus, prædictæ a Domino per Prophetas ſuos adnuntiationes implentur:* Sa-

Saxa jacent, nulloque domus cuſtode tenetur,
Rarus, & antiquis habitator in urbibus errat.

Lucan l. 1. v. 26.

Horrenda dictu de Hiſpaniæ calamitatibus narrat Olympiodorus, cujus verba referre placet: *Dum Vandali Hiſpanias vaſtant, qui in muratas ſe urbes Romani receperant, eo inediæ adacti ſunt, ut invicem ſe laniando edere cogerentur. Ibi mulier una, quatuor liberorum mater, omnes devoravit, ad ſingulos prætexens, reliquos ſe alere, ac ſalvare velle, donec omnibus abſumptis, lapidibus a plebe obruta eſt.*

Olymp. apud Phot. p. 52.

23. Italorum æque ac Hiſpanorum inveteratam morum corruptelam in cauſa fuiſſe, cur Barbarorum incurſionibus traderentur, ſcribit Salvianus: *Quid Hiſpanias nonne vel eadem, vel majora forſitan vitia perdiderunt? Quas quidem cæleſtis ira etiamſi aliis quibuslibet Barbaris tradidiſſet, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed acceſſit hoc ad manifeſtandam illis impudentiæ damnationem, ut Vandalis potiſſimum, ideſt, pudicis Barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate Deus oſtendere voluit, quantum & odiſſet carnis libidinem, & diligeret caſtitatem, cum & Vandalos ob ſolam maxime pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam maxime impudicitiam ſubjugaret.*

Cur Hiſpania Vandalis tradita fuerit.

Salvian. de provid. Dei lib. 7.

24. Ante urbis expugnationem & direptionem, Melania ſenior cum Ruffino Aquilejenſi presbytero, peregrinationis ſocio, totaque familia, ideſt Albina nuru, & Melania juniore nepte, ejuſque viro Piniano, in Siciliam tranſierat, quo cum eſſet, non ſolum urbem a Gothis captam direptamque audivit, ſed Rhegium etiam Buttiorum nobile oppidum ab Alarico obſideri cernens, ut ſibi ſuiſque conſuleret, Sicilia ſolvens, in Africam, uno excepto Ruffino, qui in Sicilia paulo poſt obiit, transfretavit, ut narrat Ruffinus in epiſtola ad Urſacium, ſeu verius, ut probat Fontaninus ad Donatum; qua quidem epiſtola a Valeſio in lucem edita hæc leguntur: *Reddenda pollicitationi non tempeſtivum, ut ille ait, ſed tempeſtuoſum nobis tempus ac turbidum fuit. Quis enim ibi ſtylo locus eſt, ubi hoſtilia tela metuuntur, ubi in oculis eſt urbium agrorumque vaſtatio, ubi fugitur per marina diſcrimina, & ne ipſa quidem abſque metu habentur exilia; in conſpectu etenim, ut videbas, etiam ipſe noſtro Barbarus, qui Rheginum oppidum miſcebat*

Melania cum Piniano, aliiſque in Africam tranſit.

Fontan. hiſt. Aquilej. lib. 5. cap. 7. p. 287.

Valeſ. in Euſeb. lib. 6. cap. 38.

Jesu Chr. An. 409.

bat incendio, anguſtiſſimo a nobis freto, ubi Italiæ ſolum ſiculo dirimitur, arcebatur &c. ibidemque Melaniam cum ſociis fuiſſe, in fine epiſtolæ teſtatur, ac de Piniano addit: *Jam enim ex omnibus, quæ in lege ſcripta reperi, ſolæ ut puto in Deuteronomio deſunt oratiunculæ, quas ſi Dominus juverit, & ſanitatem dederit oculis, cupimus reliquo corpore ſociare, quamvis amantiſſimus filius noſter Pinianus, cujus religioſum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, injungat & alia &c.* Porro Piniani cœtus religioſus, qui pudicitiæ amore exilium elegerat, erant ambæ Melaniæ cum Albina, aliiſque, qui accedentibus ad urbem Gothis in Siciliam aufugerant, ut anno 408. adnotavimus.

Melania & Pinianus Tagaſtam, deinde Hipponem tranſeunt.

Epiſt. 124.

25. In Africam itaque Melania tranſiens, Carthagine ſolvens, inde Thagaſtam tranſiit, quo cum eſſet, Auguſtinus epiſtolam ad eos dedit, qua ſe excuſat, quod cum maximo eos inviſendi deſiderio teneretur, paſtorali tamen officio, ac hyemis aſperitate detentus, voti ſui compos eſſe non poterat; non defuturam tamen occaſionem, ut eos, quacumque in regione eſſent, conveniret. Interea Pinianus cum Melania juniore uxore ſua, Auguſtini præſentiæ, colloquiique impatientes Hipponem tranſierunt, eoque cum eſſent, non tam precibus quam tumultuoſis clamoribus Hipponenſis plebs, ut Pinianum Presbyterum ordinaret, Auguſtinum impulit ac pene coegit. Rem pluribus Auguſtinus in epiſtola ad Albinam perſequitur, ut ſe a ſuſpicionibus, & mala concepta opinione liberaret; inter cetera: *Dolorem animi tui, quem te ſcribis explicare non poſſe, conſolari æquum eſt, non augere, ut ſi fieri poteſt ſanemus ſuſpiciones tuas, non ut eis ſuccenſendo, venerandum cor tuum & Deo dicatum amplius perturbemus*; deinde narrat ſe populi clamoribus Pinianum Presbyterum poſtulantis tam fortiter reſtitiſſe, ut adderet, *ſi mea fide violata illum haberent presbyterum, me Epiſcopum non haberent*. Qua voce illi *aliquantulum inopinata mea reſponſione cunctati atque turbati, velut flamma vento paululum preſſa, deinde cœperunt multo ardentius excitari, exiſtimantes fieri poſſe, ut vel mihi extorqueretur illud non ſervare promiſſum, vel me tenente promiſſi fidem, ab alio epiſcopo ordinaretur. Dicebam ego, quibus poteram, qui ad nos in apſidem honoratiores, & graviores aſcenderant. Nec a promiſſi fide me poſſe dimoveri, nec ab alio Epiſcopo in Eccleſia mihi tradita, niſi me interrogato,*

Auguſt. epiſt. 126.

ac permittente, poſſe ordinari. Quod ſi permitterem, a fide nihilominus deviarem. Addebam etiam, nihil eos velle, ſi ordinaretur invitus; niſi ut ordinatus abſcederet. Illi hoc poſſe fieri, non credebant. JESU CHR. AN. 409.

26. Cumque multitudo pro gradibus conſtituta, cathedræ ſcilicet Auguſtini, ingenti cum clamore & ſtrepitu, in eadem voluntate perſeveraret, ac multa in Alypium Thagaſtenſem Epiſcopum convicia evomeret, quaſi Pinianum apud ſe retinere vellet, ut ejuſdem munificentia ſolus frueretur; quid agerent Auguſtinus, & Alypius pene ignorabant, nam ſi eccleſia excederent, metuendum fuit, inquit Auguſtinus, *ne magis me abſente tale aliquid facerent, & reverentia minor, & dolor ardentior. Deinde ſi cum Fratre Alypio diſcederem per populum conſtipatum, cavendum fuit, ne quiſquam in eum manum mittere auderet. Si autem ſine illo, quæ frons eſset exiſtimationis, ſi quid ei fortaſſis accideret, & viderer eum propterea deſeruiſſe, ut furenti populo traderetur? Inter hos æſtus meos, gravemque mœrorem, & nullius conſilii reſpirationem: ecce repente atque inopinate ſanctus filius noſter Pinianus mittit ad me Servum Dei, qui mihi diceret, eum ſe velle populo jurare, quod ſi eſset ordinatus invitus, ex Africa diſcederet*, e contra vero non receſſurum, ſi liberum a clericali officio vivere permiſiſſent. Cumque promiſſio juramento firmanda eſſet, novæ iterum utrinque difficultates exortæ ſunt, novique clamores; nonnulli etenim muſſitantes primo petebant, *ut adderetur eidem promiſſioni, atque jurationi, ut ſi quando illi ad ſuſcipiendum clericatum conſentire placuiſset, nonniſi in ipſa Hipponenſi Eccleſia conſentiret*; quibus cum Pinianus annuiſſet, nihilominus fluctuabat adhuc, quibuſnam verbis comprehendi poſſet illa promiſſio, propter neceſſitates ingruentes, quæ poſſent eum, ut abſcederet, cogere; ſimul etiam quod timeret, ne quis irruiſſet hoſtilis incurſus, qui eſſet diſceſſione vitandus. His Melania addendum putabat aeris etiam intemperiem, ob quam diſcedendum eſſet. Hinc cum ejus verba a diacono recitarentur, & omnia placuiſſent; ubi nomen neceſſitatis inſonuit, continuo reclamatum eſt a populo, quaſi fraude ſecum ageretur. Quod cum Pinianus vidiſſet, nomen neceſſitatis deleri permiſit. Cumque Pinianus promiſſionem ſuam ſubſcriptione firmaſſet, eamdem ne Auguſtinus, ceterique Epiſcopi ſubſcriberent, Melania obſtitit. Atque ita Hipponenſium tu- Pinianus ab Auguſtino Presbyter ordinatur.

JESU CHR. AN. 409.

multus aliquatenus ſopitus eſt, Pinianus tamen, & Melania, qui in abſide erant, non presbyterum ab Hipponenſibus expeti, ſed hominem divitem dixerunt, ac vim ſibi illatam fuiſſe teſtati ſunt.

Auguſt. epiſt. 125.

Pinianus Hippone recedit.

Epiſt. 126.

27. Cum ſe Hippone habitaturum Pinianus promiſiſſet, paulo poſt, neceſſitate quadam oborta, clam inde diſceſſit, ut ad Albinam ſcribit Auguſtinus: *Qui fuerint motus, vel linguæ hominum, quantum ſatis arbitratus ſum, ſanctitati veſtræ per commonitorium intimare curavi. Quiſquis itaque vobis contraria his, quæ narravi, forte narravit, aut mentitur, aut fallitur.* Baronius quidem Piniani juramentum, utpote per vim, & metum factum nullius roboris fuiſſe, ait; at alia fuit Auguſtini ſententia, ac juramentum aliquali etiam vi extortum religioſe obſervandum eſſe probat in epiſtola ad Albinam, quod etiam ad Alypium ſcribens confirmat; Pinianum tamen animo revertendi diſceſſiſſe putans, perjurii reum non fuiſſe ait. Quid poſtea evenerit non conſtat, auctor quidem vitæ Melaniæ junioris uxoris Piniani, eam in Ægyptum, atque inde in Palæſtinam, poſt annos ſeptem in Africam rediiſſe narrat. Quos circa annum 418. in Palæſtina fuiſſe inde patet, quod eo tempore, quo Zoſimus Papa Pelagium damnaverat, Albina, Pinianus, & Melania cum eodem hæreſiarcha collocuti ſunt, eaque de cauſa per litteras Auguſtinum conſuluere, quibus ille reſpondens, duos de Gratia Chriſti libros dicavit, in quibus quammaxime lætari ſe ait, quod & corpore & animo recte valerent, ex quibus ut auctor vitæ Auguſtini adnotat, *mutua illa amoris atque obſervantiæ ſigna ſufficiunt, ut neque contra fidem datam, neque contra Auguſtini mentem Pinianum Hippona receſſiſſe arbitremur, quem forte etiam ut a jurejurando abſolverent Hipponenſes, auctoritate ac precibus evicerat Sanctus Epiſcopus.*

Bar. 409. n. 23.

Epiſt. 125. 126.

Auguſt. retract. lib. 2. c. 50.

Lib. 6. cap. 9.

Melania ſenior in Africa filium amittit; Hieroſolymis obiit.

28. Id etiam Melaniæ ſeniori graviſſimum in Africa accidit, quod filium unicum Publicolam amiſerit; cujus obitum materno affectu ita flevit, ut chriſtianæ conſtantiæ illuſtre exemplar reliquerit, quemadmodum Auguſtinus tantæ rei ſpectator ad Paulinum ſcribens teſtatus eſt, cujus epiſtolam Quintus Diaconus anno 412. Paulino reddidit, cum ad viſitanda Apoſtolorum ſepulchra Romam perrexiſset, ut auctor eſt Paulinus in epiſtola ad Auguſtinum. Interea cum Melania ex Africa in Palæſtinam tranſiiſſet, ac Hieroſolymam petiiſſet, *intra quadragin-*

ta

ta dies obiit, ait Palladius, *in bona ſenectute, relicto monaſterio Hieroſolymis & ſumptibus monaſterii*, cum annum ſexageſimum ageret, quam Auguſtinus, & Paulinus multis celebrarunt laudibus; eamdemque cum Hieronymo quoque reconciliatam fuiſſe Baronius ſcribit. At Hieronymum cum Melania & Ruffino, poſt eorum etiam obitum infenſo animo fuiſſe, ejuſdem epiſtola ad Cteſiphontem aliquot ab hinc annis ſcripta teſtatur. Junior vero Melania, poſt ſenioris obitum, Alexandriam, deinde Hieroſolymam cum Piniano, & Albino tranſiiſse tradit auctor vitæ Melaniæ, eamque cum Hieronymo amicitia conjunctam fuiſse teſtatur idem Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum his verbis: *Sancti filii communes Albinus, Apinianus*, ſeu Pinianus, *& Melania plurimum vos ſalutant*. In ſumma autem vitæ auſteritate Hieroſolymis Melaniam vixiſse, ac charitatis officiis intentam pluribus narrat Palladius, quorum cauſa pauperibus, virginibus, monachis ſublevandis, ſuſtendandiſque immenſos pene conſumpſit theſauros, de quibus hæc ex Romano Martyrologio ad diem 31. Decembris adnotaſse ſufficiet: *S. Melaniæ, quæ cum viro ſuo Piniano Roma abſcedens, & Hieroſolymam proficiſcens, inter feminas Deo ſacras, vir inter monachos religioſam vitam exercuit, & ambo ſancto fine quieverunt.*

Paul. epiſt. 45. Pallad. hiſt. Laus. cap. 118. Bar. 409. n. 29.

Hier. epiſt 143.

Pallad. ut ſup

Ruffini obitus, cujus fama vindicatur.

29. Ruffinum Aquilejenſem peregrinationum Melaniæ, vitæque comitem ſociumque fuiſſe, alias adnotavimus, cujus obitus a Melaniæ ſenioris tranſitu non eſt ſejungendus. Ante Urbis expugnationem in Siciliam cum Melania tranſierat; quo cum eſſet hoc anno, Rhegium Brutiorum Metropolim ab Alarico obſeſſam fuiſſe narrat in epiſtola ad Donatum, qua habet: *Nec ipſa quidem abſque metu habentur exilia; in conſpectu etenim ut videbas, etiam ipſe noſtro barbarus, qui Rhegino oppido miſcebat incendia*, anguſtiſſimo a nobis freto, ubi Italiæ *ſolum Siculo dirimitur, arcebatur*. Non multo poſt Ruffinum obiiſſe, teſtatur Hieronymus in præfatione ad librum Ezechielis, anno ſequenti vel 411. vulgata, qua Ruffini cineribus inſultans, habet: *Verum quia tu indeſinenter hoc flagitas, & magno vulneri cicatrix paulatim obducitur, ſcorpiuſque*, ideſt Ruffinus, *inter Encecladum, & Porphyrium Trinacriæ*, ſeu Siciliæ, *humo premitur, & hydria multorum capitum contra nos aliquando ſibilare ceſsavit*. Cumque adverſus Ruffinum dum viveret, & poſt obitum, Origeniſmi cauſa in-

Valeſ. not. in Euſeb. lib. 6. 38.

Hier. præf. in ezech. lib. 1.

Jesu Chr. an. 409.
Hier. in Ezech. præf. lib. 6. In Jerem. lib. 1. & 3. 4.

ſenſior fuerit Hieronymus, dubiam poſt ſe Ruffinus famam reliquit, quem veterum, recentiorumque nonnulli hæreſis Origenianæ ac Pelagianæ inſimularunt; vir etiam vaferrimi ingenii a Benedicto decimoquarto in præfatione ad martyrologium Rom. non ſemel dictus. At alii e contra, in catholicæ Eccleſiæ communione ultimum clauſiſſe diem ſcribunt, multiſque laudibus celebrarunt; & ut Romanos Pontifices prætereamus Siricium, Anaſtaſium, Innocentium, in quorum communione perſeveravit Ruffinus, Galaſius etiam Papa eodem loco, quo quædam ejuſdem opuſcula rejicienda cenſuit, in *quibus Hieronymus eum de arbitrii libertate notavit*; virum tamen religioſum appellare non dubitavit: *Ruffinus vir religioſus plurimos eccleſiaſtici operis edidit libros*. Quare nonnulla quidem in eo reprehendit Gelaſius; at hæreticum fuiſſe negat, quin virum religioſum dicit, quem etiam non ſolum amicitia ſua, ſed etiam laudibus Sanctorum plurimi exornarunt; Auguſtinus ſcilicet, Paulinus Nolanus, Venerius Mediolanenſis, Gaudentius Brixienſis, Petronius Bononienſis, Cromatius Aquilejenſis, ut Palladium, aliofque prætereamus; Noriſius vero: *Ceterum Ruffinus non fuit hæreticus, licet Hieronymus eumdem hæreticis adnumeret*. Eruditorum autem plurimi Apologias etiam pro Ruffino ediderunt, inter eos eminent Juſtus Fontanini in hiſtoria litteraria Aquilejenſi, & Bernardus de Rubeis ex ordine Prædicatorum in diſſertatione de Turannio Ruffino presbytero, & monacho. Quare obſcuram quæſtionem intactam relinquimus, ac de Ruffini geſtis, operibus, Orthodoxia ad ſupracitatos auctores lectores noſtros, qui plura cupiunt, delegamus.

Labb. concil. tom. 4.

Noriſ. hiſt. pelag. lib. 1. cap. 4.

JESU CHRISTI an. 410. Innocentii Papæ 10. Honorii Imp. 18. et 16. Theodosii Jun. 9. et 3. Coss. Varone et Tertullo.

Alaricus in Campaniam tranſit, ibique obiit.
Phot. Cod. 80. pag. 70.
Jornand. de rebus Getb. cap. 30.

1. Alaricus poſt Urbis direptionem, ne quid in Italia intactum relinqueret, in Campaniam, Brutioſque tranſierat, Siciliam quoque deprædaturus, niſi portentis quibuſdam prohibitus fuiſſet, ut apud Photium narrat Olympiodorus: deinde ſubita præventus morte, prædandi ac vivendi finem fecit. Unde Jornandes: Urbe egreſſi Gothi, *per Campaniam & Lucaniam ſimili clade peracta, Brutios acceſſerunt, ubi diu reſidentes, ad Siciliam, & exinde ad Africæ terras ire deliberant*;

rant; cujus quia non eſt liberum, quodcumque homo ſine Dei nutu diſpoſuerit, fretum illud horribile aliquantas naves ſubmerſit, plurimos conturbavit, qua adverſitate repulſus Alaricus, dum ſecum quid ageret, deliberaret, ſubito immatura morte præventus rebus exceſſit humanis. Paulus vero Diaconus: *Inter hæc Alaricus dum deliberaret quid ageret, apud Coſcentiam, ſubita morte defunctus eſt*, quem multis lacrymis magnificentiſſimoque funere Gothi ſepelierunt; & Barbarorum more: *Baſentium amnem de alveo ſuo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio alveo cum multis opibus ſepeliunt; amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum ſcire poſſet, captivos, qui interfuerant, extinguunt*. Diu quidem, tum apud Romanos, cum apud Barbaros ea conſuetudo viguerat, ut una cum corpore, aut cineribus mortuorum res pretioſæ conderentur, unde fiebat ut Magnatum ſepulcra effoderentur, etſi contra violatores ſepulcrorum Romanæ leges extrema intentaſſent ſupplicia, ob quam rem Theodoricus Longobardorum Rex ſaniori conſilio ſepultos cum mortuis theſauros inquiri, ac aſportari juſſit, ad Dudam Sajonem hæc ſcribens: *Prudentiæ mos eſt in humanos uſus terris abolita talenta revocare, commerciumque viventium non dicere mortuorum, quia & nobis in foſſa pereunt, & illis in nulla parte profutura locantur .... atque adeo moderata juſſione decernimus, ut ad illum locum, in quo latere plurima ſuggeruntur, ſub publica teſtificatione convenias, & ſi aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis*; & poſt aliqua: *Ædificia tegant cineres, columnæ vel marmorea ornent ſepulcra, talenta non teneant &c.*

Paul. Diac. miſcel. lib. 13.

Caſſiod. variar. lib. 4. 34.

2. Poſt Alarici obitum, *Regem Athaulphum Alarici affinem Gothi conſtituentes*, ſubdit auctor Miſcellæ, *Romam redeunt, ſi quid reſiduum fuerit more locuſtarum eradunt, auferentes Gallam Placidiam Theodoſii Principis filiam, ſororem Honorii, quam ſibi Athaulphus apud forum Cornelii conjugio ſociavit; quæ multo poſt Reipublicæ commodo fuit, nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio, ſubtilibus blandimentis inflexit, ut ultro a Romanis pacem expeteret*. Has Athaulphi cum Placidia nuptias ad forum Julii celebratas fuiſſe tradit Jornandes; at multo poſt hæc contigerunt. Athaulphus autem ſeu Adulphus Alarici cognatus erat, & uxoris ejus frater, ut Socrates, Zoſimus, & Philoſtor-

Athaulphus Alarico ſuccedit.

Paul. Diac. ut ſup. Jornand. de reb. Goth. 31.

Socrat. lib. 7. 8.

Zoſim. lib. 5.

JESU CHR. AN. 410.

Philoſt. lib. 12. 4.

Concilium Carthaginenſe, unde legatio ad Imperat. deſtinatur.

Labb. concil. tom. 2. pag. 1121.

lo ſtorgius ſcribunt; cujus cum Placidia nuptias quadriennio poſt Narbonæ celebratas fuiſſe Idacius in Faſtis narrat, anno ſcilicet 414., de quibus ibidem ſermo redibit.

3. De Eccleſiæ rebus acturi, ad Carthaginenſe concilium accedimus. *Poſt conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii VIII. & Theodoſii IV.* ſeu verius III. *XVIII. Kal. Julias, Carthagine in baſilica regionis ſecundæ, in hoc concilio legationem ſuſceperunt contra Donatiſtas Florentius, Poſſidius, Præſidius, & Benenatus Epiſcopi eo tempore, quo lex data eſt, ut libera voluntate quis cultum Chriſtianitatis exciperet.* Sciendum quippe eſt, Honorium Imp. leges contra Ethnicos, ac Hæreticos antea latas, anno proximo abrogaſſe. Irruentibus etenim undique Barbaris, ne Ethnici, & Hæretici legum ſeveritate exaſperati, cum Imperii hoſtibus ſociarentur, aut Donatiſtæ in Africa Attali partes ſequerentur, liberam quibuslibet religionis ſuæ exercendæ poteſtatem fecerat; Synodi tamen Carthaginenſis legatione motus, reſcriptum in Ethnicorum, aut Hæreticorum gratiam editum revocavit, ad Heraclianum Africæ Proconſulem hoc altero reſcripto, octavo Kal. Septemb. *Oraculo penitus remoto, quo ad ritus ſuos hæreticæ ſuperſtitionis obrepſerant, ſciant omnes ſanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna, & proſcriptionis, & ſanguinis, ſi ultra convenire per publicum execranda ſceleris ſui temeritate tentaverint.* Eoque edicto ſeveriſſimas leges a ſe, vel prædeceſſoribus Imperatoribus adverſus hæreticos latas, poſtliminio revocavit.

Cod. Theod. l. 6. leg. 51.

Africani Epiſcopi de incunda cum Donatiſtis collatione apud Honorium agunt.

4. Majoris momenti rem ab Honorio ejuſdem ſynodi legati poſtulaverant, ſcilicet ut cogerentur Donatiſtæ collationem cum Catholicis inire, qua ſchiſmatis origo, geſtaque exponerentur. In eamque rem extat Honorii decretum ad Marcellinum tribunum & notarium, cui eam provinciam Honorius delegaverat, pridie idus Octobris datum, ut utriuſque partis Epiſcopos intra quadrimeſtre Carthagine congregaret, collationique præeſſet. Quare Marcellinus anno proximo coram congregatis Epiſcopis hæc dixit: *Licet ſupra meritum meum hoc cognoſcam eſse judicium, ut inter eos videar judicare, a quibus me potius decuerat judicari &c. Imperialis primitus ſanctio recitetur, ut in quem modum atque formam ſit ſuſcipienda cognitio, ab omnibus poſſit adverti &c.* Collationem autem expetiiſſe catholicos Epiſcopos non eſt dubitandum: *Donatiſtas ad collationem nobiſcum venire per Imperialia juſſa compulimus*, ajebat

Auguſt. tom. 9. p. 49. in append. ad bl. ſcr. Donat. Pag. 48.

bat Auguſtinus, idemque confirmat Poſſidius in vita Auguſtini; ſæpe etenim catholici Epiſcopi Donatiſtas precibus ſuis ſollicitaverant, ut una ſecum de eorum ſchiſmate diſputarent; ſed fruſtra. Ex plebeis tamen Donatiſtarum plurimi id expetierant, dicere ſoliti: *O ſi in unum locum convenirent: o ſi aliquando conferrent, atque illis diſputationibus veritas appareret!* Præterea Donatiſtarum furor Africam totam adeo invaſerat, ut teſte Auguſtino, *nec prædicari a Catholicis veritatem contra ſuum patiebantur errorem, violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, itinerum obſidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vaſtantes, cuncta terrentes*. Hæc ajebat Auguſtinus, qui cum præceteris in obtinenda collatione incenſior fuerit, ita & in obeunda primas obtinuit partes, ut anno ſequenti, quo habita eſt, videbimus. Interea cum Imperiale reſcriptum Marcellino datum, ceteris etiam Africæ judicibus directum fuiſſet, ut per eos utriuſque partis Epiſcopis communicaretur, ac Marcellinus ea de cauſa in Africam e comitatu tranſiiſſet, Catholici Epiſcopi ob ſpem reconciliationis ineundæ multo gaudio affecti ſunt; Donatiſtæ vero tanquam multa febre phrenetici medicum, æque ac medicinam recuſantes, in ipſum medicum inſanientes, ira ac furore excanduerunt.

Auguſt. contra Juliani lib. 3. 1.
Poſſid. vita Auguſt. cap. 13.
Auguſt. poſt collat. cap. 35.

5. Quæ autem, quantave in Catholicos hoc tempore mala Donatiſtæ perpetraverint, ex his, quæ adverſus Hipponenſes patrarunt, dignoſci poteſt; de quibus in epiſtola ad Victorianum hæc narrat Auguſtinus: *Ecce in regione noſtra Hipponenſi, quoniam eam Barbari non attigerunt, clericorum Donatiſtarum, & Circumcellionum latrocinia ſic vaſtant eccleſias, ut Barbarorum fortaſſe facta mitiora ſint. Quis enim barbarus excogitaſſe potuit, quod iſti, ut in oculos clericorum noſtrorum calcem, & acetum mitterent, quorum membra etiam cætera plagis horrendis, vulneribuſque ſauciarunt? Deprædantur etiam domos aliquas, & incendunt, fructus aridos diripiunt, humidos fundunt, & talia cæteris comminando, multos etiam rebaptizari compellunt. Pridie quam iſta ad te dictarem, ex uno loco per hujuſmodi terrores quadraginta octo animæ mihi rebaptizatæ nunciatæ ſunt: plangenda ſunt hæc!* Eademque ad Januarium narrat, & iterum de Reſtituto presbytero Donatiſta addit, quod cum is in regione Hipponenſi presbyter eſſet, veritatiſque ratione victus ad Catholicam Eccleſiam tranſiiſſet, de domo raptus eſt a clericis, & Circumcellionibus Donatiſtis,

Donatiſtarum ſævitia in catholicos Hippon.
Auguſt. epiſt. 111.
Epiſt. 88.
Auguſt contra Creſc. lib. 3. 48.

Jesu Chr. an. 409. ſtis, ac in caſtellum proximum ductus, multitudine ſpectante, nihilque reſiſtere audente, fuſtibus cæſus, in lacuna lutulenta volutatus, ac amictu junceo dehoneſtatus eſt; indeque poſt verbera, poſt ludibria, duodecimo vix die dimiſſus eſt, quem non multo poſt interfectum fuiſſe addit. Innocentio etiam oculum effuderunt, digitumque crudeliſſime præciderunt; quæ longum eſſet per ſingula perſequi.

Auguſt. epiſt. 105. & 133.

Hieronymus vetus, novumque teſtamentum corrigit.

6. Cum diu multumque in exponendis, emendandis, vertendiſque ſacris Scripturis Hieronymus inſudaſſet, Doctoris maximi nomen promeruit. Hoc autem tempore eum in his adlaboraſſe ſcimus, atque inprimis veteris Teſtamenti latinam verſionem ad exemplaria ſeptuaginta interpretum emendavit. *Egone*, ajebat, *contra ſeptuaginta interpretes aliquid ſum locutus, quos ante plurimos annos, diligentiſſime emendatos, meæ linguæ ſtudioſis dedi?* & iterum libro tertio: *Septuaginta editionem diligentiſſime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi*: & in prologo ad libros Salomonis: *Si cui ſane Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis emendatam*; quod alibi idem Doctor repetit. Quot vero libros veteris Teſtamenti ex emendatiſſimis ſeptuaginta interpretum Græcis verſionibus emendaverit, non conſtat; plures tamen, vel etiam omnes libros, quos Hebraicus canon continebat, eum correxiſſe veroſimillimum eſſe Veronenſis editor cenſet, & ſane Auguſtinus integram ab eo editionem expoſtulat: *Mittas*, ait, *obſecro interpretationem tuam de Septuaginta, quam te edidiſſe neſciebam*. Immenſi laboris opus ideo ſanctus Doctor ſuſceperat, quia vulgata verſio ſeptuaginta interpretum e Græco in Latinum, librariorum oſcitantia, & incuria adeo deformata erat, ut aut alium a veritate ſenſum præferret, aut lectionum varietate incertas quoque ſententias redderet; ceteræ autem græcæ editiones, non meliora ferebant; etſi variæ in variis eccleſiis legerentur. Unde *Alexandria*, inquit Hieronymus, *& Ægyptus in ſeptuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem, Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palæſtinos Codices legunt, quos ab Origine elaboratos Euſebius vulgaverat, totuſque Orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat*; quare opere pretium ſe facturum cenſuit, ſi ex ſeptuaginta interpretibus emendatiſſimam verſionem vulgaret, quæ cunctis in Orbe eccleſiis uſui eſſe poſſet.

Adverſ. Ruff. lib. 2. & lib. 3.

Epiſt. 71.

Vallarſ. Hieronymi vita Præf. in tom. 10.

Auguſt. epiſt. 82. n. 34.

Hier. præf. ad lib. paralip. ex hæb.

7. Quo-

7. Quotus tamen, quantuſve fuerit s. Doctoris labor in emendanda verſione Septuaginta interpretum, nihilominus eo adhuc contentus non fuit; hinc paulo poſt novam ex hebraico ipſo exemplari latinam interpretationem veteris Teſtamenti adornandam ſuſcepit, opus quidem perdifficile, immenſique laboris, ac invidiæ plenum. Operis partem anno 392. abſolverat, cum de viris illuſtribus commentarium vulgavit, quo ſe *vetus Teſtamentum juxta Hebraicum tranſtuliſſe* refert, ideſt partem maximam, nam reliqua ſecutis temporibus perfeciſſe compertum eſt; novum autem teſtamentum Græcæ fidei reddidiſſe, ideſt ex Græcis codicibus emendaſſe, in prologo ad Damaſum, & in epiſtola ad Marcellam idem Hieronymus indicat, dum ex Pauli epiſtolis loca quædam a ſe emendata refert. Unde univerſum novi Teſtamenti canonem ad Græcorum Codicum fidem eum exegiſſe veroſimile redditur, ut a Vallarſio adnotatum eſt. Ut novam veteris Teſtamenti verſionem ex hebraico textu adornandam ſuſciperet, duo præcipue in cauſa fuerunt; multiplices ſcilicet latinæ verſiones, ac inter ſe variantes, tum frequentia ſphalmata, quæ in iis occurrebant, dum quiſque pro lubitu ſeptuaginta interpretes in latinum tranſtulerat. Ex his nonnulli Semichriſtiani, aut Judæi apoſtatæ multa ſcripturæ loca, conſulto etiam, corruperant; hanc ſibi mentem fuiſſe pluribus in locis nos admonet s. Doctor, qui in præfatione ad libros Paralipomenon ad Chromatium hæc adnotat: *Si Septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt editio permaneret, ſuperfluum me, Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. Nunc vero, cum pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta ſit, atque violata, noſtri arbitrii putas aut e pluribus judicare, quod verum ſit, aut novum opus in veteri opere cudere &c.*

8. Huic operi etſi aſſiduis vigiliis, improboque labore inſudaverit s. Doctor, eum tamen exitum aut plauſum primo non habuit, quem ſibi fortaſſe præfixerat; nam etſi hæc tranſlatio ad Hebraicum textum propius accederet, emendatiorque ceteris eſſet, novitate tamen ſua laudatores vix ea ætate invenit; nam Epiſcoporum plurimi veterem latinam verſio-

Jesu Chr. An. 410.

Hieronymus vetus teſtamentium ex Hebræo corrigit.

Vallarſ. Hier. vita cap. 21. tom. 11.

Præf. ad tom. 10.

Auguſtini & Hieronymi diſſidia ob Sacræ ſcript. interpretationem.

JESU CHR. AN. 410.

nem ſeptuaginta interpretum, ab apoſtolica ætate, auctoritateque quodammodo confirmatam, ita tuebantur, ut alteram ex hebraico textu a Hieronymo adornatam ejus loco ſubrogari ægre ferrent; quare cum ea de cauſa in multorum reprehenſionem incidiſſet, multas quoque in eam rem apologias ſcribere coactus fuit. Præceteris vero hæc Hieronymo objiciebantur, ut ex Ruffino acerrimo s. Doctoris conviciatore ſcimus: *Quis ex tot, & tantis prudentibus, & ſanctis viris, qui ante te fuerunt, ad iſtud opus auſus eſt manum mittere? An ut divinarum Scripturarum libros, quos ad pleniſſimum fidei inſtrumentum eccleſiis Chriſti Apoſtoli tradiderunt, nova nunc, & a Judæis mutuata interpretatione mutares?* Hæc non ſolum Ruffinus, aliique Hieronymo adverſarii objiciebant, ſed quod magis miramur, ſanctiſſimi, doctiſſimique viri. Inter eos s. Auguſtinus novam hanc interpretationem ſuis in eccleſiis nequaquam admittendam cenſuit, ac ſanctum virum, ut ab eo opere ceſſaret, hortatus eſt his verbis: *Ego ſane te mallem græcas potius canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ ſeptuaginta interpretum perbibentur. Perdurum erit enim, ſi tua interpretatio per multas eccleſias frequentius cœperit lectitari, quod a Græcis eccleſiis Latinæ Eccleſiæ diſſonabunt, maxime quia facile contradictor convincitur græco prolato libro, ideſt linguæ notiſſimæ.* Ac deinde incommoda, quæ nova ex hebraico textu verſio in eccleſiis parere poterat, longa oratione proſequitur, ac exemplo Epiſcopi cujuſdam Africani confirmat, qui cum Hieronymi verſionem legendam eccleſiæ ſuæ dediſſet, tantus inde tumultus exortus eſt, eo quod loco cucurbitæ, apud Jonam, aliud neſcio quid verbum poſuiſſet, coactus fuerit ea corrigere; *volens poſt magnum periculum, non remanere ſine plebe.*

Ruff. lib. 2. adverſ. Hier.

Auguſt. epiſt. 71. & 82.

Hieronymi pro verſione ſcripturæ Apologia.
Præf. in Job. Prolog. Galeato, Apol. contra Ruff.
Hier. epiſt. 112. apud Auguſt. 75.

9. Non is tamen erat Hieronymus, ut tam facile ab incepto opere pedem retraheret, aut adverſariorum objectionibus cederet, quin opus ſuſceptum totis viribus vindicare conatus, primum ſe verſionem ſeptuaginta interpretum nequaquam aſpernari ajebat, quam etiam afflante divino Spiritu factam fuiſſe innuit; operam tamen ſuam in nova Scripturarum ex Hebraico textu tranſlatione eccleſiis non inutilem futuram fore inde probat, quod innumeræ penè verſiones ſeptuaginta interpretum per Orbem eſſent, quæ inter ſe diſſiderent; quæque librariorum inſcitia, vel oſcitantia, mendis, erroribuſque ſca-

ſcaterent; inter cetera ad Auguſtinum: *Ego enim non tam vetera abolere conatus ſum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de græco in latinum tranſtuli, quam ea teſtimonia, quæ a Judæis prætermiſſa ſunt, vel corrupta, proferre in medium, ut ſcirent noſtri, quid hebræa veritas contineret. Si cui legere non placet, nemo compellit invitum. Bibat vinum vetus cum ſuavitate, & noſtra muſta contemnat &c.* Hæc aliaque Hieronymus in defenſionem verſionis ſuæ ex Hebraico textu, quam catholicæ Eccleſiæ perutilem fuiſſe exitus comprobavit; nam etſi privata auctoritate, quin etiam renitentibus magnis pietate & doctrina viris, opus ſuſceperit, temporis tamen decurſu ab Occidentalibus eccleſiis recepta tantam ſibi auctoritatem conciliavit, ut ſynodi etiam Oecumenicæ decreto ceteris latinis antelata ſit, atque, ut ea tantum in eccleſiis catholici uterentur, ſtatutum. Sancti Gregorii vero ætate, ſeptimi ſcilicet ſeculi initio, eam ſibi auctoritatem conciliaverat, ut cum altera jam, quæ Italica ab Auguſtino dicta eſt, utpote eccleſiis Italiæ uſitatiſſima, certaret; eaque paſſim ſacri uterentur doctores, ut de ſeipſo narrat Gregorius Leandro hæc ſcribens: *Novam vero tranſlationem diſſero, ſed ut comprobationis cauſa exigit, nunc novam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo, ut quia ſedes Apoſtolica, cui Deo auctore præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur.* Ceterum etſi utraque uteretur Gregorius, novam tamen, ſeu Hieronymianam veteri prætuliſſe, inde facile patet, quod hanc maxime præceteris laudaverit: *Cuncta verius transfudiſſe perhibetur, & credendum eſt quidquid in ea dicitur*; quod etenim de antiqua verſione, ſeu Itala dicebat Auguſtinus, quod eſſet *verborum tenacior, cum perſpicuitate ſententiæ*, Hieronymianæ optime aptanda eſſe nemo negabit, qui verſionem Hieronymi cum Hebraico textu conferre voluerit; non mirum itaque eam verſionem ita eccleſiarum omnium conſenſu paulatim ceteris prælatam fuiſſe, ut ſola fere tractu temporis legeretur, ut teſtis eſt Iſidorus Hiſpalenſis: *De Hebræo autem in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter ſacras Scripturas convertit: cujus editione generaliter omnes Eccleſiæ uſquequaque utuntur, pro eo quod veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis*; cumque ſequentibus ſeculis ejuſdem verſionis auctoritas eouſque creviſſet, ut non ſolum ceteris aliis præſtantior cenſeretur,

JESU CHR. AN. 410.

Concil. Trident. ſeſſ. 4 cap. 2.

Auguſt. de doct. Chriſt. lib. 2. 2. & 15. Hier. in Iſai. 14. & 49. Greg. M. epiſt. ad Leand. libris moralium præfixa. Moral. lib. 20. 23.

Greg. moral. lib. 20. cap. 3. Auguſt. de doct. chriſt. lib. 2. 2.

Iſid. de offic. eccleſ. cap. 12.

Jesu Chr. an. 410.

Concil. Trident. ſeſſ. 4. cap. 2.

tur, ac ſola fere præ manibus in eccleſia catholica haberetur; eam præceteris probavit ſynodus Tridentina, & ut ea tantum tum publice, tum privatim fideles uterentur, juſſit. *Eadem ſacroſancta ſynodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſse Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, pro authentica habeatur, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.*

Quo ſenſu vulgata ſcripturæ editio authentica dicatur.

10. Verſionem autem, qua utimur, non eo ſenſu authenticam Tridentina ſynodus declaravit, quod nullos eadem nœvos erroreſque contineat; alioquin ejuſdem emendationem poſt ſynodum fieri nequaquam juſſiſſent, Sixtus Papa quintus, aut Clemens octavus; ſed eo tantum ſenſu authentica dicta eſt, quod eam ceteris latinis editionibus præferendam cenſuerit; utpote quæ nil habeat, quod catholicæ fidei, & bonis moribus adverſetur, de quibus tamen noſtrum non eſt plura addere, quæ paſſim ab eruditis viris tractata ſunt, Bellarmino ſcilicet, Natali Alexandro, aliiſque.

Bellarm. de verbo Dei lib. 2. 10. & ſeq. Nat. Alex. in ſecul. 4. diſſert. 39.

Auguſtinus a Hieronymo diſſidet ob Petrum ab Apoſt. Paulo reprehenſum.

Hier. comment. in epiſt. ad Galat. cap. 2.

11. Cum eum locum epiſtolæ ad Galatas retractaret Hieronymus, quo Apoſtolus Paulus ſe in faciem Cephæ reſtitiſſe narrat, eo quod Gentes judaizare doceret, dum præſentibus Judæis, Petrus, qui hactenus cum ethnicis manducaverat, ſe ſe ab eorum ſocietate ſubtrahebat, ac in eamdem ſimulationem cum ceteris etiam Barnabam traheret; eum itaque locum S. Hieronymus exponens, in eam iverat ſententiam, ut traderet, hæc inter Apoſtolos ſimulate geſta fuiſſe, ut Judæi, qui Petrum a Paulo ea de cauſa, quod plus juſto gentilium ſocietatem declinaret, caſtigatum viderent, diſcerent & ipſi paulatim ethnicis ad fidem converſis ſociari, *ita ut Paulus, nova bellator vetus uſus arte pugnandi, diſpenſationem Petri, qua Judæos ſalvari cupiebat, nova ipſe contradictionis diſpenſatione corrigeret, & reſiſteret ei in faciem, non arguens propoſitum, ſed quaſi in publico contradicens, ut ex eo quod Paulus eum arguens reſiſtebat, hi, qui crediderant ex gentibus ſervarentur*; cui ſententiæ eo facilius inclinaverat, quod Paulum etiam cum Judæis Judæum factum fuiſſe ſciret, quare poſt aliqua: *Quod ſi quis putat aliquis, vere Paulum Petro Apo-ſtolo*

ſtolo reſtitiſſe, & pro veritate Evangelii intrepide feciſſe injuriam præceſſori, non ei ſtabit illud, quod & ipſe Paulus Judæis Judæus factus eſt. Auguſtinum offenderat hæc ſententia, qua mendacii patrocinium ſuſceptum ea ſimulatione exiſtimabat, *& exitioſiſſime credi in ſanctis libris haberi mendacium, ideſt eos homines, per quos nobis illa Scriptura miniſtrata eſt, atque conſcripta, aliquid in ſuis libris fuiſſe mentitos*; quare Hieronymum enixe rogaverat, ut diligentiori habita inquiſitione, non pateretur ſacrarum ſcripturarum auctoritatem fluctuare, quod ſane accidiſſet, *ſi ſemel fuerit perſuaſum, aliqua illos viros, per quos nobis hæc miniſtrata ſunt, in Scripturis ſuis officioſe potuiſſe mentiri*. Ut autem ſubirato in Auguſtinum animo reſcriberet Hieronymus, non ſolum opinionum varietas in cauſa fuit, ſed intempeſtiva epiſtolarum ultro citroque datarum fortuna; nam prima Auguſtini epiſtola in eam rem data, Hieronymo nunquam eſt reddita, cumque poſt triennium alteram Auguſtinus ſcripſiſſet, eum etiam, atque etiam rogavit, ut quæ in commentario epiſtolæ ad Galatas eo de argumento ſcripſerat, retractaret. *Obſecro*, inquit, *te ingenuam & vere chriſtianam cum caritate ſeveritatem, ad illud opus corrigendum atque emendandum, & palinodiam, ut dicitur cane &c.* Hæc autem epiſtola per Italiam, & Urbem vulgata, Hieronymo nequaquam reddita fuerat, unde rumori anſam dedit, ſanctum Antiſtitem adverſus Hieronymum librum ſcripſiſſe, quo ad canendam palinodiam eum excitaverat; quare tertio ad Hieronymum ſcripſit Auguſtinus, ſe neque librum ſcripſiſſe, aut Romam adverſus eum miſiſſe: *Etiam hoc ad me perlatum*, addebat, *ſuggeſtum eſſe caritati tuæ a neſcio quibus fratribus, mihi dictum eſt, quod librum adverſum te ſcripſerim, Romamque miſerim. Hoc falſum eſſe noveris; Deum noſtrum teſtor, hoc me non feciſſe &c.*

Epiſt. 28.

Auguſt. epiſt. 40.

Epiſt. 67.

12. Cum has accepiſſet Hieronymus, per Aſterium Hypodiaconum Auguſtino reſpondit, non ſine aliqua ſubirati animi ſignificatione: *Beatitudinis tuæ litteræ ſupervenerunt, quibus ſatisfacis te contra parvitatem meam librum Romam non miſiſſe. Hoc nec ego factum audieram: ſed epiſtolæ cujuſdam quaſi ad me ſcriptæ per fratrem noſtrum Siſinnium Diaconum huc exemplaria pervenerunt, in qua hortaris me ut palinodiam ſuper quodam Apoſtoli capitulo canam........ Ego ſimpliciter fateor dignationi tuæ, licet ſtylus, & Epicheremata tua mihi*

Hieronymi ad Auguſt. epiſt. 102.

Jesu Chr. an. 410.

mihi viderentur, tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi, ne forte me reſpondente læſus juſte expoſtulares, quod probare ante debuiſſem tuum eſſe ſermonem, & ſic reſcribere; quare poſt aliqua: *Si tua eſt epiſtola, aperte ſcribe, vel mitte exemplaria veriora, ut abſque ullo rancore ſtomachi in Scripturarum diſputatione verſemur, & vel noſtrum emendemus errorem, vel alium fruſtra reprehendiſſe doceamus*; monet tamen, ne juvenis ſenem provocet: *Supereſt*, addit, *ut diligas diligentem te, & in Scripturarum campo juvenis ſenem non provoces. Nos noſtra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus. Nunc te currente, & longa ſpatia tranſmeante, nobis debetur otium, ſimulque (ut cum venia & honore tuo dixerim) ne ſolus mihi de poetis aliquid propoſuiſſe videaris, memento Daretis & Entelli, & vulgaris proverbii, quod bos laſſus fortius figat pedes*. Antequam has acciperet Auguſtinus, tertias ad Hieronymum dederat epiſto'as, duas alteras adjungens, eumque rogans, ut ſi quæ forte ſcripta ſua miſiſſet, iterum mitteret, *ſin minus, rurſus dicta quod legam, dum tamen his reſpondere ne graveris, quod jam diu eſt, ut expecto*; qua etiam ejus labores in vertendis ex Hebræo in latinum ſacris Scripturis ſtudium minus ſibi probari teſtatur.

Epiſt. 71.

Interea frequentibus Auguſtini epiſtolis excitatus, antequam tamen ultimam acciperet, qua ſibi ex Hebræo verſionem non probari ſcripſerat, ad Auguſtinum reſpondens iterum ſe ejus litteris offenſum fuiſſe conqueritur. *Crebras ad me*, inquit, *epiſtolas dirigis, & ſæpe compellis, ut reſpondeam cuidam epiſtolæ tuæ...* ac primo mirari ſe ait, *quomodo ipſa epiſtola & Romæ, & in Italia haberi a pleriſque dicatur, & ad me ſolum non pervenerit, cui ſoli miſſa eſt*, cujus exemplaria ante quinquennium in inſula Adriæ a fratre quodam inventa fuiſſe addit, tum a fratribus, qui Heroſolymis erant, ſuggeſtum fuiſſe ab Auguſtino non ſimplici animo id factum, ſed gloriolæ captandæ cauſa, ſe vero non reſpondiſſe, tum quia *tuam liquido epiſtolam non credebam, nec (ut vulgi proverbium eſt) litum melle gladium. Deinde illud cavebam, ne Epiſcopo communionis meæ viderer procaciter reſpondere, & aliqua in reprehendentis epiſtola reprehendere, præſertim cum quædam in illa hæretica judicarem*; quare; *aut mitte eamdem epiſtolam tua ſubſcriptam manu, aut ſenem latitantem in cellula laceſſere deſine*; & cum multa addidiſſet irati animi indicia, quod eum pa-

Epiſt. inter Auguſt. 72. Hier. epiſt. 105.

palinodiam canere expoſtulaverit, quodque eam epiſtolam Romæ & in Italia vulgaverit, *rurſus dico quod ſentio, provocas ſenem, tacentem ſtimulas, videris jactare doctrinam, &c.* non ſine tamen amicitiæ ſignis epiſtolam his verbis claudit: *Vale mi amice cariſſime, ætate fili, dignitate parens, & hoc a me rogatus obſerva, ut quidquid mihi ſcripſeris ad me primum facias pervenire.* Cum has accepiſset Auguſtinus, ut ſuboffenſum ſibi Hieronymum vidit, continuo alteras dedit epiſtolas, quibus eum lenire curavit: *Obſecro te*, inquit inter cetera, *per manſuetudinem Chriſti, ut ſi læſi te, dimittas mihi, nec me viciſſim lædendo, malum pro malo reddas*; amico tamen animo ſe id feciſſe teſtatur, ac malle potius in ſacræ Scripturæ diſputationibus minus erudiri, cum ſine caritatis diſcrimine id aſſequi non poſſit.

Auguſt. epiſt. 73.

13. Tandem tribus ſimul ab Auguſtino acceptis epiſtolis, quæſtionibus ab eo propoſitis reſpondens Hieronymus, quæ hactenus in ſacræ Scripturæ verſione egerat, ac expoſitionem loci epiſtolæ ad Galatas de Petri reprehenſione, totis viribus tutatus eſt, unde ajebat: *Tres ſimul epiſtolas, immo libellos breves per Diaconum Cyprianum tuæ dilectionis accepi; diverſas ut tu nominas quæſtiones; ut ego ſentio reprehenſiones opuſculorum meorum continentes, ad quas ſi reſpondere voluero, libri magnitudine opus erit. Tamen conabor quantum facere poſſum modum non egredi longioris epiſtolæ &c.* atque libro ſuo de viris illuſtribus, ſeu de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Epithaphii titulum injuria a quodam impoſitum fuiſſe ſcribit; deinde multa congerit tum ex ratione, cum ex ſcriptorum auctoritate, ut ea quæ in epiſtola ad Galatas ſcripſerat, confirmaret, ex condicto ſcilicet Apoſtolum Paulum reprehendiſſe Petrum; ac Auguſtinum non ſemel arguit, quaſi Judæos ad fidem Chriſti vocatos Moiſis legem ſervare doceret, quod ſi verum eſt, ſubdit: *In Cerinthi & Hebionis hæreſim delabimur, qui credentes in Chriſtum, propter hoc ſolum a Patribus anathematizati ſunt, quod legis cæremonias Chriſti evangelio miſcuerunt, & ſic nova confeſſi ſunt, ut vetera non amitterent*; unde poſt plurima in eamdem rem, Auguſtino inſultans addit: *Quis hoc chriſtianorum patienter audiat, quod in tua epiſtola continetur? Judæus erat Paulus; chriſtianus autem factus, non Judæorum ſacramenta relinqueret, quæ convenienter ille populus, & legitimo tempore, quo oportebat, acceperat, ideo-*

Hieronym ad Auguſt. altera epiſtola, qua quæſtionibus ſatisfacit.

Apud Aug. epiſt. 75. Hier. epiſt. 112.

Jesu Chr. an. 410. *ideoque ſuſcepit celebranda ea, cum jam Chriſti eſset Apoſtolus; ut doceret non eſse pernicioſa his, qui ea vellent, ſicut a parentibus acceperant, cuſtodire.* Cetera, quæ ibidem de ſcripturarum verſione ex Hebraico textu addit, hoc loco prætterimus; epiſtolam vero ſuam ſic tandem claudit Hieronymus: *Peto in fine epiſtolæ, ut quieſcentem ſenem, olimque veteranum, militare non cogas, rurſus de vita periclitari. Tu qui juvenis es, & in Pontificali culmine conſtitutus, doceto populos, & novis Africæ frugibus Romana tecta locupleta, mihi ſufficit cum auditore & lectore pauperculo in angulo monaſterii ſuſurrare.* Cum hæc Hieronymus ad Auguſtinum ſcripſiſſet, quibus non obſcura iraſcentis animi indicia dederat, paulo poſt tamen, alia ab Auguſtino epiſtola accepta, cum ex Palæſtina in Africam rediiſſet Firmus, ad Auguſtinum iterum ſcribens, ea quæ in Auguſtinum ſubirato animo ſcripſerat, excuſat; Auguſtinus vero de Hieronymi amicitia certior factus, eamdem quæſtionem, de reprehenſione Petri, de qua in epiſtola ad Galatas Hieronymus egerat, fuſiori epiſtola retractandam ſuſcepit, ſicque finem habuit ea inter Auguſtinum, & Hieronymum diſputatio, in qua vincente caritate utrique victores fuerunt, cum impoſterum inter eos ſumma neceſſitudo, & amicitia interceſſerit, ac Hieronymus etiam in Auguſtini ſententiam tranſiit, cum adverſus Pelagianos dimicandum fuit. Quæ porro Petri culpa fuerit, cur a Paulo argui mereretur, alibi adnotatum eſt, cum ſcilicet de epiſtola ad Galatas egimus.

Inter Auguſt. epiſt. 81. Hier. epiſt. 115.

Auguſt. epiſt. 82.

Tom. 1. an. 51.

Theodoſius Imp. hæreticos exagitat. *Cod. Theod. de hæret., l. 48. 49. 50. Socrat. lib. 7. 5.*

14. Hoc anno Theodoſius Auguſtus ad Anthemium Præfectum prœtorio, adverſus hæreticos Montaniſtas, Priſcillianiſtas, & Eunomianos reſcripta dedit, quibus eos variis pœnis afficiendos juſſit; harum legum auctoritate fretus Theodoſius Synadis in Phrygia Epiſcopus, Macedonianos inſectatus non urbe ſolum, verum etiam ex agris ejecit, Agapetum vero ejuſdem ſectæ Epiſcopum variis affecit injuriis. Quare Macedoniani, una cum Agapeto Epiſcopo, catholicæ Eccleſiæ ſociati ſunt, & Theodoſio expulſo, Synadenſem Epiſcopatum obtinuit Agapetus, ut narrat Socrates.

Agapetus Macedonianæ ſectæ Epiſcopus Theodoſii ſedem occupat.

15. Nam Agapetus cum Clero, & populo, qui ſub ipſo erat, perſuaſiſſet, ut Conſubſtantialis fidem amplecterentur; protinus cum ingenti multitudine, immo vero cum univerſo populo recte ad Eccleſiam contendit, ac cathedram, in qua Theodoſius ſedere conſueverat, occupavit. Adunatoque populo fidem

fidem Conſubſtantialis deinceps prædicans, Eccleſiarum, quæ ad Synadenſem Epiſcopatum pertinent, compos factus eſt. Theodoſius vero, quæ geſta fuerant ignorans, paulo poſt ad eccleſiam perrexit, at ab ea expulſus, Conſtantinopolim petiit, ut coram Attico Epiſcopo, quod injuria Epiſcopatu pulſus fuiſſet, conquereretur. Atticus, rem in utilitatem Eccleſiæ ceſſiſſe conſiderans, ipſum quidem Theodoſium verbis conſolatus eſt, monens, ut patienti animo quietum vitæ genus amplecteretur, & publica commoda privatis rationibus anteferret; Agapeto vero ſcripſit, ut Epiſcopatum retineret, nec moleſti quidquam ex offenſione Theodoſii ſibi eventurum timeret. Sic factum eſt, ut Macedoniani legum ſeveritate exagitati, ad ſaniora conſilia converſi, catholicam fidem amplecterentur; Theodoſius vero Epiſcopus, qui, Socrate teſte, eorum ſpoliis ditari cupiebat, Epiſcopatus diſpendio, eoſdem Chriſto & Eccleſiæ lucrifecit.

Syneſius Ptolemaidis Epiſc. Eunomianorum bona occupari prohibet.

Syneſii epiſt. 5. biblioth. PP. tom. 6.

16. Saniori conſilio Syneſius Ptolemaidis in Ægypto Epiſcopus, Epiſcopatus ſui primordia conſecrans, Eunomianos quidem eccleſiis ejiciendos curavit; ſuos tamen hortatus eſt, quinimo juſſit, ne quidquam ex eorum facultatibus, aut poſſeſſionibus tangerent, ut in epiſtola presbyteris ſuis hortatur: *Quamobrem videte, ne adulterini iſti Presbyteri, novique diaboli, & Quintiani Apoſtoli, clam vobis in eum, cui præeſtis, gregem inſiliant, neve clam cum tritico lolium ſerant.* Presbyteros deinde monet, ut ab omni quœſtu ea de cauſa caverent: *Amputetur omnis de lucro contentio*, inquit; & poſt aliqua: *Quis per Eccleſiæ tuendæ ſpeciem marſupium auget? is eſt, quem nos extra chriſtianum conſortium amandatum volumus &c.* quibus & alia in eamdem rem addit. Syneſium hoc anno Epiſcopum Ptolemaidis ordinatum fuiſſe ſcimus, de cujus primordiis nonnulla ſcitu digna adnotanda ſunt.

Syneſius ex Philoſopho Epiſcopus ordinatur.

17. Is nobili genere Cyrene in Ægypto ortus, litteris ac philoſophia adeo excultus fuit, ut inter Philoſophos ſui temporis facile princeps haberetur; Alexandriam autem ſtudiorum cauſa profectus, Hypatiæ, Theonis Philoſophi filiæ, diſcipulus fuit, quam tanta eruditione excelluiſſe tradit, ut non ſolum inter feminas prodigium eſſet, ſed etiam ætatis ſuæ doctos viros ſuperaret; ad quam complures extant ejuſdem Syneſii epiſtolæ, ſuæ erga eam venerationis, benivolentiæque teſtes: *Mater, & ſoror, & magiſtra, beneque per omnia de me merita;*

JESU CHR. AN. 410. *ta, & ſi qua eſt aliu res appellatione honorifica*. Epiſtola autem altera ſe patriam ejus cauſa reliquiſſe teſtatur: *Cum Lybicus ſim illic editus, & avorum non ignobilia ſepulchra ibidem aſpiciens, propter te unam patriam mihi aſpernaturus videor*. Uxorem vero duxit filiam Theophili, ex qua cum filios ſuſcepiſſet, immatura ſibi morte præreptos fuiſſe paſſim luget. Cumque inter ſuos princeps facile eſſet, anno 394. a Cyrenenſibus ad Arcadium legatus miſſus fuerat, deprecaturus, ut humilem afflictamque patriam ſublevaret: qua de cauſa CP profectus, elegantem orationem, quam de Regno inſcripſit, coram Arcadio recitavit. In patriam reverſus cum ſibi ſuiſque viveret: *Vivebam*, inquit, *optima cum ſpe in Mundo velut in religioſo quodam ſepto ſolutum animal, libere degens, oratione, & libris, & venatione vitam diſtinguens*: Ptolemaidis Epiſcopus, rogante clero, populoque a Theophilo eſt ordinatus, quam dignitatem invitum ſe ſuſcepiſſe, non uno loco teſtatur; de cujus ordinatione hæc narrat Evagrius: *Hic igitur Syneſius, cum reliquis diſciplinis excultus fuit, tum in Philoſophia adeo excelluit, ut admirationi eſſet etiam Chriſtianis, his ſcilicet, qui neque odio, neque gratia adducti de rebus judicare ſolent. Perſuadent igitur illi, ut ſalutaris regenerationis lavacrum perciperet, & Sacerdotii jugum ſubiret, tametſi reſurrectionis doctrinam nondum ſuſcepiſſet, neque ita ſentire vellet; recte omnino conjicientes, ad reliquas ejus viri virtutes iſta eſſe acceſſura, cum divina gratia nihil imperfectum habere ſuſtineat. Nec ſpes eos fefellit. Qualis enim, & quantus extiterit, abunde teſtantur, tum epiſtolæ poſt ſuſceptam Sacerdotii dignitatem, eleganter, & docte ab eo conſcriptæ, tum oratio, quam dixit eidem Imperatori Theodoſio, tum quicumque ejus libri admodum utiles circumferuntur*. In epiſtola autem Syneſii ad Evoprium fratrem, quinam animi ſui ſenſus eſſent aperiens, inter cetera adnotat: *Ineptus profecto forem, ſi non Ptolomeis ingentes gratias haberem, quod me tantis rebus dignantur, quantis ne ego quidem me dignum judico. Verum non iſtud demum, quam magna deferant, ſpectare convenit, ſed quam ſint ejuſmodi a me, ut accipi poſſint. Etenim hominem prope divinos honores capere, ſi quidem dignus ſit, qui aſſequatur, ad animi fructum accidit ſuaviſſimum: ſin multum rei dignitate ſit inferior, id acerbam illi futuri ſpem objicit. Neque enim recens ille mihi metus eſt, ſed cum primis antiquus*,

Epiſt. 16. & 124.

Evag. hiſt. lib. 1. 15.

Syneſ. epiſt. 105.

quus, ne qua re in Deum peccans, honorem ab hominibus conſequar. Ego vero cum me ipſum conſidero, omnino inferiorem ſentio, quam ut Epiſcopali faſtigio reſpondere poſſim &c. nam inter cetera, ſe eam vitæ rationem hactenus iniiſſe narrat, ut litteris, & ludis tantum vacaret, quæ ſane Sacerdoti vix, ac ne vix quidem decebant. *At Epiſcopum divinum eſſe virum oportet, utpote qui ab omni ludo peræque ac Deus ipſe alienus*, & nonnullis additis de ſanctitate vitæ a Sacerdotibus ſectanda, inter cetera, ſe ab uxore divortium nullatenus facturum eſſe teſtatur.

Syneſii conteſtatio de uxore retinenda.

18. *Mihi Deus ipſe, & leges, ipſaque ſacra Theophili manus uxorem dedit. Quamobrem hoc omnibus prædico, teſtorque, neque me ab ea prorſus velle ſeparari, neque adulteri more cum ea clanculam conſueſcere; alterum enim nequaquam pium eſt, alterum illicitum, ſed hoc utique cupiam, & precabor plurimos mihi, & quam optimos eſſe liberos*; deinde ſe a pervulgatis chriſtianorum dogmatibus adhuc alienum eſſe addit: *Etenim nunquam profecto mihi perſuaſero, animam origene eſſe poſteriorem corpore, Mundum ac ceteras ejus partes una interire nunquam dixero. Tritam illam, ac decantatam reſurrectionem, ſacrum quidquam atque arcanum arbitror, longeque abſum ab vulgi comprobandis opinionibus. Animus certe philoſophia imbutus, ac veritatis inſpector, mentiendi neceſſitati nonnihil remittit*; unde ſubdit: *Hæc ſi mihi Epiſcopatus noſtri jure permittant, poſſum hanc dignitatem admittere, ita ut domi philoſopher, foris vero fabulas feram*. Quare hæc tum Theophilo Alex: epiſcopo, qui manus ei impoſiturus erat, cum Paulo ac Dionyſio Ptolomenſium legatis nota fieri præcipit: *Fac igitur, ut Scholaſtici hæc ſciant, & ad illum referant*: ideſt ad Theophylum, ut ita animi ſui ſenſibus patefactis, Epiſcopale munus declinaret.

Quæ fuerit Syneſii mens, cum Epiſcopus eſt ordinatus.

19. Hæc quidem ſimulaſſe Syneſium, & in immenſum exageraſſe, ut Epiſcopatum vitaret, tradit Baronius, quod Ambroſii etiam exemplo confirmat, qui, Paulino teſte, cum ad Epiſcopale munus ſuſcipiendum urgeretur, mulieres ſuſpectas famæ ad ſe introducendas juſſit, & in reorum quæſtionibus crudelem ſe ſe exhibuit, ut eo ſaltem pacto, ſe Sacerdotio indignum eſſe perſuaderet: alia tamen eruditorum opinio eſt, quam & Holſtenius ſingulari etiam diſſertatione confirmavit, ac Syneſium animi ſui ſenſus ea epiſtola ingenue aperuiſſe tra-

Holſt. diſſert. in append. ad hiſt. Evag. Valeſii not. in Evag. lib. 1. cap. 5.

Jesu Chr. an. 410. *Pag. in Bar. an. 410. num. 37. ad 42. Basnag. ibid.*

tradit. Qua ratione factum ſit, ut Ptolomenſes tanto ardore virum necdum chriſtianum, utpote nondum baptiſmate ablutum, Epiſcopum ſibi deligerent, & Theophilus eorum votis ceſſerit, eumque ordinaverit: quem & Apoſtoli lex, & Nicænus canon de Neophitis non ordinandis, a Sacerdotio repellebat: cum præcipue palam conteſtatus fuerit, ſe ab uxore, procreandiſque liberis, nequaquam abſtenturum fore: qui etiam Platonicæ philoſophiæ euſque delectabatur, ut palam publiceque profeſſus ſit, ſe de animarum præexiſtentia ante corpora opinionem nequaquam abjecturum, ac Mundum aliquando periturum, aut corpora reſurgenda eſſe, inter arcana, aut fabulas vulgo tantum dignas ſe habere; certe qui attente hæc animadverterit, mirari ſatis non poterit, eum tam cito ex Philoſopho Epiſcopum ordinatum fuiſſe, antequam mores, aut fidem Chriſtiano homine dignam indueret; hinc factum, ut in ejus ſcriptis, quæ Epiſcopus vulgavit, nonnulla legantur, quæ cum Eccleſiæ catholicæ placitis, aut vix, aut nullo modo convenire poſſunt: cujuſmodi ſunt, quæ de Trinitatis myſterio ſatis obſcure in hymno tertio ſcribit, aut de animæ præexiſtentia, & de Mundi æternitate hymno primo, ſecundo, & tertio; quare turpiter Eccleſiæ canones in ejuſdem ordinatione Theophilum violaſſe non dubitamus, non ſolum eo quod Neophitum ordinaverit, id etenim juſta ſuadente cauſa alias a viris ſanctiſſimis factitatum ſcimus, ut in ordinatione Ambroſii Mediolanenſis, Nectarii CP. Epiſcopi, aliorumque; ſed præcipue in eo peccavit Theophilus, quod virum chriſtianæ Religionis dogmatibus adverſantem, & ſacro baptiſmate abluerit, & Epiſcopum ordinaverit. Ceterum etſi verum ſit, quod tamen certo non conſtat, Syneſium baptiſmum & Epiſcopatum eo tempore ſuſcepiſſe, cum Platonicus magis, quam Chriſtianus erat; dubitari tamen non poteſt, eum brevi ita opiniones ſuas mutaſſe, ut & virtutibus clareſceret, & fidei zelo Epiſcopatum ſuum illuſtraret.

Syneſius ſtudio, & orationibus vacat.

Epiſt. 95.

20. Interea Epiſcopus ordinatus, ut quæ eſſet catholicæ Eccleſiæ doctrina, quæve morum ſanctitas tenenda apprime diſceret; Auguſtini exemplo, ſacræ lectioni, orationibuſque diu vacavit, unde ſeptem ab ordinatione ſua elapſis menſibus, hæc ad Olympium ſcribebat: *Ego Deum teſtem voco, quem & philoſophia & amicitia veneratur; præ Epiſcopatu me non unam mortem libenter eſſe toleraturum. Sed quoniam mihi Deus, non*

quæ

quæ peterem, ſed quæ vellet, impoſuit, illum ipſum precor, qui mihi hujuſmodi vitæ attributor extitit, eſſe & ejus quod attribuit, moderatorem, & patronum. Deinde cum adhuc ab Epiſcopatus adminiſtratione abeſſet, addit: *Ego enim adhuc nunc de longinquo rei periculum facio, ut cum ſeptimum jam menſem moleſtum & inviſum munus ingreſſus ſim, procul degam ab iis, apud quos Epiſcopus eſſe debeo, donec quæ ejus rei natura ſit, accurate, penituſque didicerim.* Quicumque itaque tandem fuerit Syneſius, cum ad Epiſcopatum vocatus, aut ordinatus eſt, dubitari non poteſt eccleſiam ſibi creditam pie ſanĉteque adminiſtraſſe, ut ejuſdem epiſtolæ teſtantur; quanta autem ſollicitudine, ut ab hæreticorum venenis, & fraudibus, concreditum ſibi gregem curaret, teſtis eſt altera epiſtola Presbyteris ſuæ Diœceſis data, qua Eunomianos, Quintiano quodam duce latitantes, & venena ſpargentes, diligentiſſime inquiri, ac fugari jubet; ita tamen ut omnino ab eorum bonis abſtinerent. *Epiſt. 5.*

Syneſii in Theophilum obſervantia, & viciſſim.

21. Inter Syneſium, & Theophilum mutuam interceſſiſſe amicitiam Syneſii epiſtolæ ad eum datæ teſtantur; hinc factum, ut cum quidam presbyter, Lampronianus nomine, ob injurias Taſoni collegæ illatas ab eo excommunicatus eſſet, ejus abſolutionem Theophilo ipſo concedendam reſervaverit, quare ut ad rem adnotat Annalium Parens, eo exemplo ſcimus, inferiores Epiſcopos antiquitus ad primas ſedes, cujuſmodi erat Alexandrina in toto Ægypto, atrociores caſus aliquando reſervaſſe, de quibus hæc habet Syneſius: *Unum hoc ergo mihi ſumpſi, ſi Lamproniano fatalis neceſſitas immineret, & præſtituta mortis dies adeſſe videretur, tum omnibus, qui eo die adeſſent, presbyteris conceſſi, ut eum communioni reſtituerent. Nemo enim, quanti in me erit, eccleſiaſticis vinculis moriatur. Sin convaluerit, rurſus iiſdem pœnis teneatur, atque a divina humaniſſimaque anima tua indulgentiæ teſſeram expectet.* Quanti econtra Theophilus Syneſium faceret, eadem epiſtola teſtatur, qua ſcimus, graviores difficilioreſque Epiſcoporum cauſas, ab eodem Theophilo Syneſio fuiſſe delegatas, de quibus epiſtola eadem pluribus agit Syneſius, quæ referre longum eſſet; de Plebiſco ſcilicet Epiſcopo abdicando, de Pauli & Dioſcori Epiſcoporum diſſidio, dum uterque locum quemdam ſibi vindicabat; tandem cum epiſtola altera Theophilum interrogaſſet, quæ ſibi agendi ratio eſſet ineunda cum Alexandro Baſianopolitano in Bi-

Bar. an. 410. n. 85. *Epiſt. 67.* *66.*

Jesu Chr. an. 410. Epiſt. 66. De Alexandro Baſianopolitano Epiſcopo.

Bithynia Epiſcopo, iterum epiſtola altera rogat, ut ſibi de ea re reſcribat. Alexander porro, de quo ibidem agitur, Cyrenenſis ex Senatorio ordine erat; qui monaſticam primo vitam profeſſus, diaconus primum, deinde presbyter ordinatus fuerat, ac tandem Epiſcopus cum eſſet, exorto Chryſoſtomi cauſa tumultu, in ejuſdem amicitia perſeverans, eccleſia ſua receſſerat, cumque poſt Joannis obitum, ipſe Theophilus, dato ad Atticum libello, cunctos qui Chryſoſtomi cauſa exulaverant, revocandos juſſiſſet; *Necdum tamen*, Alexander, *ille recta in Bithyniam profectus eſt, nec quam ſortitus eſt, ſedem repetit*, ait Syneſius, *manet autem apud nos, quaſi nihil ſua interſit, ſi quis eum privati loco habeat*. Unde addit: *Ego neque diu ſacris hucuſque legibus eruditus ſum, nec multa admodum didiciſſe par eſt, qui ſuperiore nondum anno in Epiſcoporum eſſem numerum adſcriptus*; quare cum animadvertiſſet ſeniores Epiſcopos Alexandro civilem etiam communionem abnegaſſe, ita ut & hoſpitium denegaſſent, mediam quamdam viam ſibi ineundam cenſuerat Syneſius, ut cum eo in eccleſia nullam communionem haberet, domi vero honore debito proſequeretur; ea itaque epiſtola, & ſequenti Theophilum rogat, ut quid impoſterum agere debeat, ſibi jubeat, *& prout concepta quæſtio eſt, Alexandrum habere Epiſcopum oporteat, nec ne*.

Syneſius Andronicum cum Tonante excommunicat.

22. Inter præclara Syneſii geſta id memoria dignum eſt, cum pro juſtitia tuenda, eccleſiarumque juribus, & aſylo vindicandis, Andronicum Pentapolis Præfectum una cum adminiſtro ſuo Tonante excommunicavit, ac datis ad Epiſcopos litteris denunciavit, cujus quæ eſſent ſcelera his verbis narrat: *Andronicum Beronicenſem, infelici Pentapolis fato editum, & educatum, & adultum, quique patriæ præfecturam pecuniæ redemit, nemo aut exiſtimet, aut appellet Chriſtianum; ſed tanquam a Deo execratus, cum univerſa ſua familia, ab omni ſit ejectus Eccleſia, non quia Pentapolis extrema plaga fuit, poſt terræ motum, poſt locuſtam, poſt peſtilentiam, poſt incendium, poſt bellum, illorum omnium reliquias diligenter perſequens; horrenda ad carnificinam inſtrumentorum genera, ac formas primus in provinciam inferens; utinam dicere liceat, & his ſolus utens digitale, pedum diſtortorium, prælum, & naſipreſſorium, & auribus, ac labris diſtrahendis forcipes: quorum qui experimentum, ac ſpectaculum morte prævenerunt, quique ante bello ſublati ſunt, ab iis, qui male liberati fuerant, felices appella-*

Epiſt. 58. biblioth. PP. p. 123. tom. 6.

ti

ti ſunt . Sed quoniam primus apud nos & ſolis factis , verbiſque Chriſto maledixit : factis quidem , ex quo edicta ſua ad Eccleſiæ valvas affixit , quibus contra leges a ſe vexatis aditum , ac ſupplicationem ad ſacrum altare , tanquam aſylum , intercludebat . Dei vero Sacerdotibus ea minabatur , quæ vel Phalaris Agrigentinus , vel Cephren Ægyptius , vel Sennacherib Babylonius timuiſſet , is , qui Hieroſolymam nuntios miſit , qui Deo , & Ezechiæ convicia dicerent . Illum dico diem alteram Deo crucem attuliſſe . Nam ad Chriſti contumeliam infamis iſte libellus e ſacris foribus pendebat , & hæc ſol vidit , & homines legerunt . His addit , quod cum Andronicus nobilem quemdam , ob privatam cum eo ſimultatem , immaniſſime torqueri juſſiſſet , poſtquam condolere illi Eccleſiam ſenſit , eique Syneſium , ut eum conſolaretur , aſſidere vidit , in furorem actus , contra eccleſiam , & Chriſtum ipſum blaſphœmare præſumpſit , inter cetera minitans : *Fruſtra illum dicens ſpem aliquam in Eccleſia collocaſſe ; neque quemquam ex Andronici manibus ereptum iri , non ſi pedem ipſum Chriſti manibus amplectatur . In hanc ille vocem imperitæ mente , ac lingua ter erupit , ſevendum quam nihil eſt , quod amplius moneamus hominem ; ſed velut membrum inſanabile a nobis eſt ſegregandus , ne illius contagione quod ſincerum eſt , corrumpatur .*

Excommunicationis denunciatio & formula.

23. Quamobrem hanc in eum excommunicationis ſententiam dixit , ut Andronico ſcilicet , Tonanti , & ſociis nullum Dei Templum pateret , aut religioſa domus , deinde privatos omnes , & magiſtratus hortatur , ut nullam cum iis tecti , vel menſæ communionem haberent , Sacerdotes vero , nec viventes illos ſalutabunt , nec mortuos funebri pompa deducent . Sin quiſquam , velut exiguæ urbis , Eccleſiam noſtram contempsiſſet , & ab ea damnatos recepiſset , nos eodem , atque Andronicum , loco cenſebimus ; *neque cum eo dextram jungemus ; nec eadem ex menſa veſcemur unquam . Tantum abeſt , ut eum iis arcana myſteria communicemus , qui cum Andronico , & Thoante partem aliquam habere voluerint .* Antequam in Andronicum , & Tonantem excommunicationis ſententiam vulgaret Syneſius , ſynodum cum clero ſuo celebravit , qua Andronici ſcelera exponens , ne diu hæc videre , aut diſſimulare cogeretur ; Epiſcopale officium invitum ſe ſuſcepiſſe narravit , ac ut ſibi renunciare liceret , & alterum ſibi Ptolomenſes eligerent , enixe rogavit . Cumque id impetrare nequaquam potue-

Epiſt. 77.

Jesu Chr. an. 410.

tuerit, ad aliud tempus differendum id cenſuit: *Itaque ſi nondum id vobis probatur, hoc in poſterum differamus*, ajebat.

Syneſii querelæ de curis ſecularibus.

24. Virum ſanctum, chriſtianeque Philoſophum, innumeræ Epiſcopalis muneris curæ, ac de rebus ſecularibus ſollicitudines premebant; unde auro cedroque dignam hanc ſententiam protulit: *Ægyptii, & Hebræi longo tempore Sacerdotum Imperio uſi ſunt; deinde poſtea quam, ut mihi videtur, divinum opus humano more fieri cœptum eſſet, Deus ambo vitæ genera ſeparavit; unumque horum ſacrum, alterum ad regimen atque imperium conſtitutum eſt. Alios enim ad infimarum rerum curam convertit, alios ſibi ſociavit, illi in negotiis, nos in oratione collocati, ab utriſque vero quod honeſtum, & conſentaneum eſt, requirit Deus. Quid tu igitur antiquum illud revocas? quid ea conjungere vis, quæ Deus ſejunxit? qui nos non adminiſtrare, ſed adminiſtrando depravare poſtulas; quo quid infelicius eſſe poteſt? Patrono opus habes? vade ad eum, qui reipublicæ legibus præeſt. Deo quapiam in re indiges? Vade ad Urbis Antiſtitem; non quod iſtic penitus voti compotem fieri neceſſe ſit, ſed quod omnem ad id operam ſim adhibiturus*; & poſt aliqua: *Nec Epiſcopos damno*, inquit, *qui negotiis deſtinentur, ſed cum noverim vix me horum alterutrum aſsequi poſſe, qui utrumque præſtare poſſint, eos admirari ſoleo. Non eſt id mearum virium, duobus ut Dominis ſerviam. Sin aliqui reperiantur, quibus ne mentis quidem ad inferiora deſcenſus detrimentum afferat, merito illi poſſint Sacerdotes fieri, & præeſſe civitatibus. Solaris radius, quamvis cœnum contingat, purus, nec inquinatus remanet. Ego ſi idem fecero, fontibus, ac mari opus habebo*. Hæc de ſe ipſo Syneſius, præ humilitate ſe imparem eſſe rebus ſacris, & ſecularibus eodem tempore vacare.

Epiſt. 57.

Syneſii charitas commendatur.

25. Excommunicationis telo percuſſus Andronicus, non ſolum e ſublimi tribunali, unde in Deum, in eccleſiam, in homines multa peccaverat, exciderat, ſed in varias etiam calamitates, ac pœnitentiæ non obſcura indicia dederat, quare Syneſius, qui zelo diſciplinæ cœleſtibus eum armis percuſſerat, ſatanæque tradiderat in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret; cum eum facti ſui pœnitere, ac innumeris premi calamitatibus vidit, ne triſtiori abſorberetur triſtitia, qua charitate pollebat, ac auctoritate, ſublevandum cenſuit; ut teſtis eſt ejuſdem epiſtola ad Theophilum, cui cum com-

Epiſt. 89. p. 131.

commendat: *Andronicus*, inquit, *antea faciebat, & modo patitur injuriam. Sunt autem eccleſiæ mores hujuſmodi, ut depreſſos extollat, elatos deprimat. Hunc igitur Andronicum oderat quidem antea ob illa, quæ perpetrabat; & idcirco illum eouſque paſſa eſt recidere. Nunc ejuſdem miſeretur, quod illum imprecatione graviora quædam expertum ſentiat.. &c.*

Evagrii philoſophi ad fidem converſio. *Baſnagi* 410. *n.* 12.

26. Ut cuncta, quæ ad Syneſium ſpectant, uno loco narremus; celebris de Evagrio Philoſopho Chriſtiano hiſtoria Aannalibus inſerenda eſt, quam etſi inter fabulas relegandam cenſeat Baſnagius, ſua tamen probabilitate non caret, quam in prato ſpirituali narrat Sophronius, eamque ab Leontio Cyrenenſi Epiſcopo ſe didiciſſe refert, cum Alexandriæ eſſet tempore Eulogii Patriarchæ Alex.. Cum itaque Syneſius Evagrio cuidam Philoſopho gentili perſuaſiſſet, ut chriſtianus fieret, eumque cum tota familia baptizaſset; non multo poſtquam baptizatus fuerat Evagrius, auri tria centenaria in uſum pauperum dedit, dicens: *Accipe aurum iſtud, & diſtribue illud pauperibus, & fac mihi cautionem manu tua, quod Chriſtus mihi ipſum reddet in futuro ſæculo.* Cui cum Syneſius cautionem feciſſet, poſt annos aliquot accidit, ut Evagrius ad mortem infirmaretur. Is vero morti proximus, filiis ſuis dixit, ut cum chyrographo a Syneſio accepto eum ſepelirent; quod cum factum fuiſſet, tertia poſt ſepulturam die apparuit Epiſcopo Syneſio nocte quieſcenti, dicens: *Veni ad ſepulcrum, ubi jaceo, & accipe chirographum tuum; accepi enim debitum, & ſatisfactum mihi eſt. Atque ut certior ejus rei fias, propria mea ſubſcripſi manu.* Quare Syneſius mane facto, vocatos filios Evagrii, eos interrogavit, numquid chartam aliquam cum eo poſuiſſent? At illi: Ita ſane, chartam enim quandam moriens dedit nobis; & ait: Quando ſepelietis me, chartam iſtam mihi in manibus date, nullo penitus ſciente. Unde Syneſius una cum Clericis, ac principibus civitatis, ad Philoſophi tumulum accedens, eoque aperto, invenerunt jacentem Philoſophum, chirographum manu epiſcopi conſcriptum ſuis manibus tenentem, eumque manu ejuſdem Evagrii ſubſcriptum. Qui vero convenerant, hoc videntes, obſtupuerunt, & per multas horas clamaverunt, Kyrie eleiſon, glorificantes Deum, qui facit mirabilia, & talem, tantamque promiſſionum ſuarum evidentiam præſtitit. Eamdemque cautionem manu Philoſophi ſubſcriptam ſervari uſque hodie,

Prat. ſpirit. cap. 195.

Miraculum de ſubſcripto chirographo.

Jesu Chr. an. 411. atque in ſacrario ſanctæ Cyrenenſis Eccleſiæ Sophronio narravit Leontius. In eo tamen errat, quod Syneſium Cyrenenſem Epiſcopum fuiſſe tradit, quem Ptolemaidis eccleſiam gubernaſſe conſtat. Præter epiſtolas, nonnulla ingenii ſui monumenta reliquit Syneſius, quæ Tomo ſexto bibliothecæ Petrum inſerta ſunt.

JESU CHRISTI AN. 411. INNOCENTII PAPÆ I. HONORII IMP. 19. & 17. THEODOSII JUNIORIS 10. & 4. COSS. THEODOSIO AUG. IV. ABSQUE COLLEGA.

Collatio inter catholicos & donatiſtas Carthagine celebratur.

1. Labentem Chriſti annum 410. Catholicorum cum Donatiſtis collatio Carthagine habita illuſtrem reddidit. Eam Catholici diu expetierant; at Donatiſtæ pervicaciter hactenus oblatam refugerant: tandem vel inviti Honorii Imp. reſcripto cum Catholicis conferre coacti ſunt. Eam Carthaginenſis ſynodi legatos expetiiſſe narrat Honorius Imp. in reſcripto ad Marcellinum Tribunum, & Notarium dato, his verbis: *Studio pacis & gratiæ venerabilium virorum Epiſcoporum legationem libenter admiſimus ad coetum. Celeberrimæ deſiderant civitates, ut electis etiam Sacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis diſputationibus, ſuperſtitionem ratio manifeſta confutet.* Quare Honorius Marcellino: *Intra quatuor menſes præcipimus explicari, ut converſos animos populorum, etiam noſtra clementia, ſicut deſiderat, celerius poſſit cognoſcere. Quod ſi intra definitum tempus ſtudioſe Donatiſtarum Epiſcopi declinaverint convenire, trini edicti vocatione, contumacium tempora concludantur, quibus emenſis, atque tranſactis, ſi provocati adeſſe contempſerint, cedat cum eccleſiis populus, qui doctores ſuos ſilentio cognoverit ſuperatos, & vinctum ſe aliquando gratuletur &c.* Collationi autem Marcellinum præeſſe juſſit; data pridie idus Octob. Ravennæ Varane conſule, ideſt anno elapſo.

Auguſt. tom. 9. in app. p. 49.

Marcellinus Epiſcop. utriuſque partis edicto ad collationem invitat.

2. Marcellinus itaque ſtatim ac in Africam pervenit, ut Honorii Imp. juſſa exequeretur, edicto ſuo Catholicos, ac Donatiſtas Epiſcopos, ut infra quadrimeſtre Carthagine ad collationem adeſſent, admonuit, ideſt *intra diem Kalendarum Juniarum*, ut eodem edicto legitur, quo etiam ut Donatiſtas ſibi quoad fieri poterat benevolos redderet, Baſilicas Donatiſtis reddi juſſit. Adveniente autem condicta die, ubi nunciatum eſt Mar-

tom. 9. app. p. 50. brev. collat. cap. 2.

Marcellino a notariis, Epiſcopos adeſſe, cauſam cur eos advocaverit, denunciavit, ac primo Honorii reſcriptum ſibi de collatione habenda recitatum eſt, deinde ipſius Marcellini edictum, quo Epiſcopos convocaverat, ac alterum, quo locum collationis habendæ deſtinavit, ac ordinem in ea ſervandum præſcripſit, ut ſcilicet ſepteni ab utraque parte eligerentur epiſcopi, qui diſputandi onus ſuſciperent, quibus alii quoque ſepteni adeſſent, ex ſua quique parte electi: *Qui ſervata primitus per omne colloquium moderatione ſilentii, ad hoc ſe tantum intelligant intereſſe, ut ſi qui ex diſputantibus utrinque ſeptenis conferre conſilium cum ſuorum quoque voluerit, cum eodem illic ſecedat in partem, atque ibi communicata patienter ratione tractandi, proprium revertatur ad locum fidem ſervaturus officii, ut alter cui id neceſſe eſt, tacendo audienda commendet, alter cui id munus eſt, loquendo ſuſcepta commendet*; ita ut ſeptem tantum verbis diſputarent, alii vero ſeptem tanquam conſiliarii diſputatoribus adeſſent. His quatuor alii ex utraque parte adjuncti ſunt, qui notariis præeſſent; ne quid addendo, vel prætermittendo errarent; quo etiam edicto Maximianiſtas a collatione excludendos cenſuit; quia inter Catholicos Donatiſtaſque tantum cauſa agitanda erat, ut Imp. reſcripto cautum fuerat.

Jesu Chr. An. 411. *pag. 48. ut ſup.*

brev. collat. cap. 1. 2. 3. append. p. 51.

De ordine in collatione ſervando.

3. Quo loco collatio habita ſit, acta docent: *Erit autem collationi*, ait idem Marcellinus, *aptiſſimus locus Thermarum Largilianarum, in quem die Kal. Juniarum eoſdem epiſcopos ſolos, qui deſignati ſunt, oportet convenire; ceteri vero non ſolum laici, ſed etiam Epiſcopi ad eum locum accedere prohibiti ſunt, quin etiam utriuſque partis Epiſcopi ante diem, qui prædeſtinatus examini eſt, ratum ſe habituros quidquid a ſeptenis utrinque Coepiſcopis ſuis fuerit actitatum, epiſtolis ad meam dignationem currentibus utrinque deſignent, quibus epiſtolis tamen etiam teſtimonium omnes apud me propriæ ſubſcriptionis adjungant*. His de loco & ordine in collatione ſervando prænotatis, antequam propius ad eam accedamus, obſervandum eſt, Donatiſtas tanto apparatu & faſtu Carthaginem ingreſſos fuiſſe, *ut tam magnæ civitatis oculos in ſe, intentionemque converterent*, ait Auguſtinus, ſuorum numerum oſtentare cupientes, ac ducentos ſeptuaginta novem ſe adeſſe gloriantes, ita ut Catholicos fere æquarent, nam ex iis ducenti octoginta ſex convenerant; variis tamen fraudibus, men-

Quo loco collatio habita ſit. *pag. 51.*

lib. ad Donat. poſt collat. cap. 25. n. 43.

Jesu Chr. an. 411.

daciiſque Epiſcoporum numerum exageraſſe Donatiſtas, ipſa acta teſtantur; unde Auguſtinus: *Lectæ ſunt in mandato eorum ſubſcriptiones ducentæ ſeptuaginta novem, annumeratis etiam iis, in quibus falſitas deprehenſa eſt, & qui pro abſentibus ſubſcripſerant*. Catholici vero Carthaginem advenientes, collationis diem cum omni modeſtia expectarunt, orationibus & jejuniis intenti, quo etiam tempore S. Auguſtinus ibidem plures ſermones ad populum habuit; quorum uno, quem de pace habuit, ſolemne jejunium iis diebus inſtare teſtatur, ſcilicet quatuor temporum poſt Pentecoſtem, unde ait: *Deprecamini nobiſcum Dominum ſolemnibus jejuniis, quæ jam reddimus Deo, reddamus & pro cauſa. Jam enim jejunamus poſt Pentecoſtem ſolemniter, & utique jejunaremus, etiamſi iſta cauſa non eſſet*; quare non ſolum Auguſtini ætate, ſed longe ante ſolemnia quatuor temporum jejunia in uſu fuiſſe ſcimus.

lib. poſt collat. cap. 24.

Auguſt. ſerm. 357.

de jejunio quatuor temp. poſt Pentec.

Catholici edicto Marcellini ſubſcribunt.

Auguſt. epiſt. 128. brev. coll. cap. 5.

Donatiſtarum querelæ adverſus Marcellini edictum.

collat. Donat. p. 52. brevic. cap. 4.

4. Interea collationis hiſtoriam proſequimur. Catholici Epiſcopi Marcellinum epiſtolis ſuis certiorem fecerunt, ſe omnibus ab eo ſtatutis paratos eſſe ſubſcribere: Donatiſtæ vero etſi præſentiam ſuam negare non potuerint; Carthaginem tamen ingreſſi, ad Marcellinum querelas detulerunt, eo quod omnes collationi adeſſe prohiberentur; quare hanc ad eum notoriam miſerunt: *Poſt conſulatum VC Varanis VIII. Kal. Jun. Flavio Marcellino VC & ſpectabili Tribuno & Notario. Januarius, Primianus, & ceteri ſinceræ Chriſtianitatis Epiſcopi, & catholicæ veritatis*, ita ſe Donatiſtæ ſubſcribebant, qui Catholicos tanquam proditores, & ſchiſmaticos averſabantur; ſe autem ut edicto ejus parerent, prompto animo Carthaginem adveniſſe teſtantur; *his exceptis, quos adverſæ valetudines corporum in ſedibus retinent, aut ægritudo in via comprehendit, nec graviſſimos ſenes annoſitas, nec prolixi itineris labor potuerit prohibere*. Quare ut omnes ad collationem admitterentur, petebant. *Ut quamprimum de numero noſtro conſtet, quos adverſarii paucos eſſe ſæpe mentiti ſunt.... ut cum omnes venire præceperis, paucos nunc adeſſe velle videaris. Hoc enim decet, & expedit, ut cunctis præſentibus commune negotium pauci loquantur*.

Catholicorum ſollicitudo in pace procuranda.

5. Inter hæc Catholici, ne Donatiſtæ collationi impedimentum afferrent, aliis epiſtolis Marcellinum rogarunt, ut ſi alias fieri non poſſet, Donatiſtis quidem permitteret, ut cuncti collationi adeſſent, ex Catholicis vero ii tantum adfuturi,

quos

quos edicto ſuo cognitor definierat, ut ſi aliquis tumultus exiſteret, non illis imputaretur, qui pauciſſimi adeſſent, ſed iis potius, qui multitudinem ſuam præſentem eſſe voluerant, qua epiſtola de pace cum Donatiſtis ineunda multa Marcellino ſuggerunt: *Multum nos ſollicitos reddidit notoria, vel litteræ fratrum noſtrorum, quos cupimus ad catholicam pacem a pernicioſa diſſenſione converti, quod edicto nobilitatis tuæ, quo ipſius diſputationi noſtræ tranquillitati quietique providiſti, conſentire noluerunt*; quare addunt poſt plurima: *Conſentimus adeſſe omnes illos, ut tamen a nobis tantus adſit numerus, quantus ſpectabilitati tuæ ſufficere viſus eſt, ut tumultuoſum ſi quid emerſerit, nonniſi eis recte imputetur, in quorum parte præſens fuerit ad rem, quæ a paucis agenda eſt, omnino ſuperflua multitudo &c.* ſe tamen cunctos adfuturos pollicentur, ſi quandoque id neceſſitas exegerit. In altera vero epiſtola, ſe in omnibus conſentire profitentur, quæ Marcellinus decreverit de loco, & tempore ipſius collationis, & de numero eorum, quos præſentes eſſe voluit; inſuper legatis ſuis, ut collationi intereſſent, mandaſſe, ut geſtis ejuſdem ſubſcriberent, ratumque ſe habituros quidquid egerint, pollicentur, ſuas quoque plebes admonituros, ut pacis & tranquillitatis cauſa a collationis loco omnino abſtinerent. Id etiam polliciti, quod ſi in parte Donati veritas eis demonſtraretur Eccleſiæ, Epiſcopalem honorem ſe non eſſe quæſituros, ſed conſilium eorum ſecuturos pro ſalute Chriſtiana. Si autem in ſua communione potius veritas oſtenderetur Eccleſiæ, honores epiſcopales Donatiſtis non ſe negaturos. Quod ſi plebs chriſtiana duos in una Eccleſia Epiſcopos ferre non poſſet: *Utriſque de medio recedentibus, ſinguli conſtituerentur Epiſcopi, ab eis Epiſcopi ordinandi, qui in ſuis plebibus ſinguli invenirentur. Quid enim dubitemus*, inquiunt epiſtola eadem, *Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? an vero ille de Cœlis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus, & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus? &c.* ſe etenim propter chriſtianum populum Epiſcopos ordinatos fuiſſe teſtantur; quare: *Quod chriſtianis populis ad chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus*. Egregia ſane ſententia, ſummam pro chriſtiano populo charitatem præſeferens! hinc ante collationem catholicis Epiſcopis tanta in Epiſcopatu renunciando, ſi id conciliandæ unitatis opus fuiſſet, hilaritas, animi-

Jesu Chr. an. 411.

Auguſt. epiſt. 129.

epiſt. 128.

Catholici Epiſcopi pro pace Epiſcopatu cedere parati ſunt.

epiſt. 128. *brev. coll. cap.* 5.

JESU CHR. AN. 411. mique promptitudo fuit, ut vix unus, aut alter diſſentire viſus ſit. *Dicam charitati veſtræ*, ait Auguſtinus, *rem dulciſſimam, quam Domino adjuvante ſumus experti. Cum ante ipſam Collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur; quia pro pace Chriſti Epiſcopi debent eſſe, quod vobis fatendum eſt: circumſpicientes omnes fratres & coepiſcopos noſtros, non facile nobis occurrebant, qui vos vellent ſuſcipere, & de hac humilitate Deo ſacrificare. Dicebamus ut fieri ſolet: Ille poteſt, ille non poteſt; ille conſentit, hoc ille non tolerat; loquentes magis pro ſuſpicionibus noſtris, qui corda illorum videre minime poteramus. Quando autem ventum eſt, ut hoc palam fieret in Concilio univerſorum tam frequenti pene trecentorum Epiſcoporum, ſic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere, & non perdere, ſed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi ſunt, quibus diſpliceret: unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberius auſus eſt; alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſteaquam illum ſenem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correctio, illo mutante ſententiam, vultum etiam ille mutavit &c.* Admirandum illud Africanorum Præſulum conſilium, ut ſuis etiam ſedibus renunciarent, ſi conciliandæ unitatis id opus fuiſſet, alibi etiam memorat Auguſtinus, præcipue vero in ſermone de pace & unitate ſervanda, quo S. Epiſcopus populum obteſtatur, ut Marcellini edicto morem gerens, a collationis loco ſe abſtineret, atque orationibus jejuniiſque vacaret: *Quid vobis*, inquit, *injungamus? partes forte uberes pietatis: Nos diſputemus pro vobis, vos orate pro nobis. Orationes etiam veſtras jejuniis, & eleemoſynis adjuvate..... Sic agentes negotium fortaſſe utiliores nobis eritis, quam nos vobis &c.*

Auguſt. de geſtis cum Emerito Donat. n. 6.

Auguſt. ſerm. 358. 359.

Alia ante collationem geſta *brev. coll. n. 6.*

6. Marcellinus interea, utriuſque partis acceptis epiſtolis, altero edicto, cuncta quæ pars utraque reſcripſerat, populo denuncianda curavit, ut quæ utriuſque partis mens eſſet appareret, ac quam honeſtis conditionibus ad unitatem inſtaurandam Donatiſtas Catholici invitaſſent; ut ſi forte Donatiſtarum Epiſcopi ſua obſtinatione oblatam pacem recuſaſſent, populus ſaltem ab eorum pervicacia imitanda reſiliret. Catholici proinde Epiſcopi tertio Kal. Junias in unum iterum coacti, coram ipſo Marcellino Epiſcopos deſignarunt, qui collationi intereſſe debebant, atque ad diſputandum electi ſunt Aurelius Car-

collat. Carth. p. 53. tom. 9. Auguſt. in app. brev. coll. cap. 8.

tha-

thaginenſis, Alypius Thagaſtenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Vincentius Caluſitanus, Fortunatus Conſtantinienſis, Fortunatianus Siccenſis, Poſſidius Calamenſis; ſeptem quoque alios adjunxerunt, qui conſiliis ſuis eos adjuvarent, ii autem fuere, Novatus Sitifenſis, Florentius Hipponenſium Diarorhytorum, Maurentius Thuburſicenſis, Priſcus Quidienſis, Serenianus Midicenſis, Bonifacius Cataquenſis, & Squillacius Scillitanus. Cuſtodiendis vero geſtis deſtinati ſunt, Deuterius Cæſarienſis, Leo Moptenſis, Aſterius Vicenſis, & Reſtitutus Tagorenſis. Epiſcopos omnes numero ducentum ſexaginta ſex, juxta inaugurationis ſuæ ordinem hiſce actis ſubſcripſiſſe veroſimile eſt, quorum hæc fuit formula: Ego *Epiſcopus N. Carthagini conſtitutus, præſente VC. Marcellino Tribuno, & Notario mandato a nobis facto conſenſi, & ſubſcripſi*. Qui ad diſputandum electi fuerant, loco *conſenſi, & ſubſcripſi*, reponebat, *ſuſcepi & ſubſcripſi*.

JESU CHR. AN. 411.

collat. carth. p. 58.

7. Die itaque ad collationem conſtituta, nimirum Kal. Junii, Marcellinus cum viris forenſibus variæ dignitatis numero viginti, ac notariis eccleſiaſticis, catholicis duobus, totidemque Donatiſtis, in ſecretario Thermarum Gargilianarum ingreſſus, Epiſcopos, qui foris ſtabant, introduci juſſit, e Catholicis octodecim antea electos, Donatiſtas vero univerſos, qui ibidem convenerant, ac primo Imperatoris edictum, ſuaque ipſius edicta recitari juſſit, deinde varias utriuſque partis epiſtolas ad ſe ea de cauſa datas. Cumque Marcellinus Donatiſtas interrogaſſet, an ſicuti a Catholicis factum fuerat, & ipſi Epiſcopos elegiſſent, qui eorum cauſam agerent, reſponſum eſt ab Emerito Donatiſtarum Coryphæo, *quod jam eſſet acta a catholicis cauſa, antequam eſſet confligentium ſtatuta perſona, propter illas catholicorum litteras, quæ totam cauſam breviter continebant*, multaque alia addiderunt, quibus ſe collationem totis viribus refugere demonſtrarunt; inter cetera diem collationi deſtinatum jam præteriiſſe. Cum itaque hæc aliaque *calumnioſe, & tergiverſatorie, quæ nec in foro jure agerentur*, Donatiſtæ objeciſſent, ipſe Marcellinus eis reſpondit, quod in Kal. Junias pars utraque conſenſiſſet, interea cum Donatiſtæ repoſuiſſent, publico jure ſecum non eſſe agendum, ſed tantum divinis Scripturis, Marcellinus Catholicos interrogavit, num eis placeret, ſepoſitis forenſibus tricis, divinis teſtimoniis rem agi, reſponſum eſt a Catholicis Epiſco-

Geſta primæ diei.
collat. carth. p. 48.

brev. coll. cap. 1. & ſeqq.

cap. 8.

ſcopis, ut eorum mandatum recitari juberet, ubi electis diſputatoribus agendi modus injunctus fuerat, ibi poſſe melius apparere, quod non forenſibus tergiverſationibus, ſed magis divinis teſtimoniis rem agere elegiſſent, quibus etſi Donatiſtæ plura objecerint, recitari tamen mandatum cognitor juſſit; quo lecto, cum Epiſcoporum ſubſcriptiones etiam recitari juſſiſſet, Donatiſtæ petierunt, ut qui ſubſcripſerant, convenirent in unum, ne forte ſubſcriptionibus ſuis cognitorem fefelliſſent Catholici, & ut numerum ſuorum augerent, ſubdititias perſonas finxiſſent. Quare catholicorum ceteri, qui præ foribus ſtabant, ingreſſi, ſuas ſubſcriptiones recognoverunt, ceteros vero, qui in varia loca diſperſi erant, Alypius craſtina die ſe exhibiturum promiſit. Donatiſtæ itaque cum tot Epiſcopos Carthagine fuiſſe, quot in ſubſcriptionibus erant edocti, quod hactenus non crediderant, quia *non ea pompa*, ait Auguſtinus, *Carthaginem* catholici ingreſſi fuerant, qua Donatiſtæ adventaverant, cumque ſinguli vocati, nominatim recognoſcerentur, ac nonnulla invicem fuiſſent objecta, tandem Marcellinus, Epiſcopos ut ſederent, rogavit, quod cum recuſaſſent Donatiſtæ, nec ipſe Marcellinus ſedere voluit.

brev. coll. n. 11.

Donatiſtæ falſitatis redarguuntur.

8. Poſt hæc Donatiſtarum quoque mandatum ſive notoriam recitari juſſum eſt; quorum ſubſcriptiones dum legerentur, manifeſti mendacii convicti ſunt, nam alii pro abſentibus, aut fictis etiam nominibus ſubſcripſerunt; cumque ex eis unus nominatus non reſponderet, dixerunt Donatiſtæ eum in itinere obiiſſe, cumque ſe Carthagine ſubſcripſiſſe antea teſtati eſſent, interrogati qua ratione is, qui in itinere obierat, Carthagine ſubſcribere potuerit, repoſuerunt præſentem quidem Kal. Junii ſubſcripſiſſe, deinde ad propria remeantem, eo quod ægrotaret, obiiſſe, quam eorum falſitatem juramento etiam firmatam judicio Dei relinquens Marcellinus, aliorum nomina Donatiſtarum recitari juſſit, ac cum de Epiſcoporum numero utriuſque partis interrogaſſet, Donatiſtarum partis Epiſcopos ducentos ſeptuaginta novem fuiſſe dictum eſt, iis etiam numeratis, pro quibus alii ſubſcripſerant; ambitioſe Donatiſtæ ſedium ſuarum numerum augere ſtudentes, plures apud ſe cathedras Epiſcopis viduatas eſſe addiderunt, quibus a Catholicis reſponſum eſt, apud ſuos ſexaginta eſſe, quibus ſucceſſores Epiſcopi nondum eſſent dati, unde Catholicorum Epiſcopales cathedras ſupra tercentum quadraginta fuiſſe conſtat. Egreſ-

ut ſup. n. 14.

ſis

ſis tandem, qui ad rem agendam vocati non fuerant, utriuſque partis conſenſu in perendinum diem collatio dilata eſt, ideſt tertio nonas Junii.

9. Poſtridie actores Donatiſtæ, ideſt Primianus, Petilianus, Emerithus, Protaſius, Montanus, Gaudentius, Adeodatus, *Epiſcopi & defenſores veritatis catholicæ* ſe jactantes, notoriam ſeu libellum Marcellino obtulerunt, poſtulantes, ut oblatum a Catholicis mandatum ſibi traderetur, quod cum illis conceſſum fuiſſet, die ſequenti, quæ ad collationem erat deſtinata, ad colloquii locum Catholici & Donatiſtæ ſe contulerunt, ex primis decem & octo electi, ex ſecundis ſoli ſeptem diſputatores; unde præſentibus, quos ſupra in prima ſeſſione nominavimus, *Liboſus Ducenarius illuſtrium poteſtatum dixit: Quoniam in hodiernum diem comperendinata cognitio eſt, & pro velo ſunt utriuſque partis Epiſcopi, ſi lubet ſublimitas tua intromittantur*. Utrinſque partis Epiſcopis admiſſis, Marcellinus omnes rogavit, ut ſederent, cui cum Catholici morem geſſiſſent, repoſuere Donatiſtæ, *quod priore judicio factum non eſt, facere non audemus*. Inſtante Marcellino, reſpondit Petilianus: *Patribus noſtris abſentibus non ſedemus, maxime cum lege divina conſeſſus prohibeatur, ne cum hujuſcemodi adverſariis noſtris conſidere velimus*, illud quippe frequentiſſime obmurmurabant adverſus Catholicos Donatiſtæ: *Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo*, quorum hoc tempore tanta fuit ſuperbia, ut teſte Auguſtino, adverſus catholicos indignati ſint, eo quod fratres fuerint appellati: *Illi cum hoc nomen a nobis audirent, injuriam ſibi fieri apud acta dixerunt*. Cumque Donatiſtæ ſtantes perſiſterent, Marcellinus ſtetit, unaque cum eo ſurgentibus Catholicis, dixit: *Decet me vobis ſtantibus, habere hujuſmodi voluntatem, quæ ad reverentiam tantorum pertinet Sacerdotum*; cui Petilianus, *honorifice feceris*. Poſt hæc Donatiſtarum notoria recitata eſt, Marcellinus deinde, num geſtis prima die ſubſcribere parati eſſent, Epiſcopos interrogavit, cui Catholici, ſe utique paratos eſſe, ſuorumque conſenſum litteris ſuis jam obtuliſſe reſponderunt; Donatiſtæ vero, ut acta ſibi traderentur examinanda rogarunt, & ut dilatio concederetur, diu multumque clamoribus, rumoribuſque petierunt, quare ne ea de cauſa, a collatione diſcederent, vel ipſo Auguſtino rogante, dilatio conceſſa eſt, uſque ad diem ſextum Iduum Juniarum, ideſt per dies ſex, pro-

Geſta collationis die ſecunda.
In append. ad tom. 9. p. 59. collat. Carth. diei 2. cap. 12.
collat. 2. cap. 3. & ſeq.
Pſalm. 25.
Auguſt. contra Gaud. lib. 2. 11. & lib. poſt. collat. ad Donat. cap. 35.
Brev. coll. die 2.

JESU CHR. AN. 411.

mittentibus exceptoribus, ſe ea die acta tradituros.

Geſta diei tertiæ, Donatiſtarum tergiverſationes.

10. Die conſtituta octava Junii feria quinta, Epiſcopis utriuſque partis ingreſſis, cum Marcellinus juſſiſſet, ut tandem, remotis tergiverſationibus, cauſam agerent, ad differendam collationem, aut re infecta ſolvendam, quamplurima iterum objecerunt Donatiſtæ, de perſonis ſcilicet, ut conſtaret quinam ab Imperatore collationem petiiſſent, quæ libello contineerentur, quis in ea cauſa actor, vel reus eſſet, qui Catholici dicendi eſſent, & an Donatiſtæ primum rationem reddere deberent, de ſchiſmate in Eccleſia excitato, an vere Catholici probare poſsent Donatiſtas injuria ab Eccleſiæ unitate ſeceſſiſſe, ac ſchiſma feciſſe; multa etiam de perſonis, deque ordinationibus ingeſta ſunt, quæ ſane nil ad rem pertinebant, cum de Eccleſiæ ſanctitate per totum Orbem diffuſæ quæſtio ageretur. Hinc cum Petilianus Donatiſta ab Auguſtino quæſiiſſet, *Filius* eſſet Cæciliani, annon? & quis eum ordinaſſet, reſpondit Fortunatianus: *Quid ad cauſam pertineat veritatis, uniuſcujuſque Epiſcopi ordinator, non ſatis cognoſcimus*. Eademque reponenda eſſe ab Evangelicis, ait Baſnagius, cum a Catholicis interrogantur, *quis vos ordinavit*. At alia Donatiſtarum tunc cauſa cum Catholicis erat, alia Evangelicorum, ſeu Calviniſtarum, Lutheranorumque; de ordinationibus quippe nulla tunc quæſtio, ſed de ſchiſmate agebatur, Calviniſtæ vero, ceterique pſeudo Evangelici, non ſolum ſchiſmatis, & hæreſis arguuntur, ſed de ordinationibus etiam. At de his non eſt hujuſce loci plura perſequi. Cum itaque Donatiſtæ has, aliaſque nugas ingererent, ac priores etiam non ſine ſtomacho repeterent, Auguſtinus ad rem repoſuit: *Deus nos diſputatores & collatores, magis, quam litigatores eſſe voluit. Non interponantur, quæ ad rem neceſſaria non ſunt*; & iterum: *Expectatio non dico hujus civitatis, ſed univerſi pene generis humani ſuſpenſa eſt, aliquid de eccleſia cupit audire, & nos adhuc forenſes formulas diſcutimus, & miſerrime litigamus. Quanta aguntur, ut nihil agatur!* Alius etiam e catholicis Epiſcopis addidit: *Quid eſt aliud cauſam dimittere, & perſonas quærere, niſi effugere velle? Quare veniſti?* Cum ſummam hactenus patientiam oſtentaſſet Marcellinus, diuque una cum Catholicis temporis jacturam feciſſet, tandem ad cauſam vel inviti Donatiſtæ acceſſerunt, ac relatio Anulini Proconſulis ad Imperatorem Conſtantinum, qua Donatiſtæ Cæcilia-

Baſnag. an. 411. n. 20.

Collat. die tertia n. 21.

Brev. collat. cap. 6. 7.

lianum accuſaverant, qua etiam conſtabat ipſos ſuam cauſam ad Imperatorem primo detuliſſe, quibus cum quid reſponderent, non invenirent, neque cauſam proſequi vellent, conqueſti ſunt exclamantes: *Senſim in cauſam inducimur*; unde Auguſtinus exclamat: *O violentia veritatis, quolibet equuleo, quibuslibet ungulis fortior ad exprimendam confeſſionem! hujus timoris apertiſſimam vocem quis de illorum clauſo pectore excuteret? .... Clamant præclari viri, qui ad agendum videbantur electi, ac ſe potius ad non agendum electos eſſe teſtantur, & invidioſe judici conqueruntur, ſe ſenſim in cauſæ interna deduci. O magna, ſed non miranda confuſio, quando enim dæmon ſic exorciſtam timeret!* Multa poſt hæc de Menſurio, Cæciliani ordinatore, quem traditorem fuiſſe jactabant Donatiſtæ, ingeſta ſunt, multa de Cæciliano, de Melchiade Rom. Pontifice, qui Cæcilianum abſolverat. Lecta deinde ſunt acta ſynodi Carthaginenſis adverſus Cæcilianum a Donatiſtis celebratæ, addita ſunt acta Cirtenſia, quibus ſchiſmatis auctores traditionis fuerant convicti, ex concilio etiam Arelatenſi, ac Conſtantini epiſtolis Cæciliani Epiſcopi innocentia ad evidentiam uſque vindicata eſt, de quibus cum ſupra ſuo loco actum fuerit, hoc loco non ſunt repetenda, cum præcipue multa alia hinc inde prolata ſint, ad rem minus pertinentia; nam Donatiſtæ nihil aliud ſibi agendum propoſuiſſe videbantur, quam collationem impedire, aut re infecta diſſolvere. Unde factum eſt, ut longior quam opus fuiſſet, evaſerit; prima quippe collatio ducentum vigintiquatuor capitibus conſtat, ſecunda octoginta trium, tertia & ultima quinquagies centum octoginta quinque, quæ ſane in compendium etiam redacta lectorem plus juſto gravarent. Catholici interea non ſolum Menſurium, & Cæcilianum a traditionis crimine certis probationibus, publiciſque actis vindicarunt, ſed clarius adhuc demonſtrarunt, perſonas cauſæ nullatenus poſſe præjudicare, nec cujuſcumque crimina Eccleſiæ catholicæ præjudicium inferre, quia ipſa, etiamſi in ſinu peccatores toleret, ſancta atque catholica eſſe non deſinit, in quo totius quæſtionis vertebatur ſumma, ut centies contra Donatiſtas repetit Auguſtinus.

Jesu Chr. an. 411.

Collat. d. 3. n. 151.

Auguſt. poſt collat. cap. 15. n. 43.

Labb. concil. tom. 2.

11. Cum hæc, inquam, catholici luce clarius demonſtraſſent, tandem Marcellinus qui collationi præerat, ad Donatiſtas converſus dixit: Exire *dignamini, ut poſſit plena de omnibus ſcribi ſententia, & utriſque exeuntibus, ſententiam ſcripſit,*

Marcellini ſententia adverſus Donatiſtas.

Jeſu Chr. an. 411.

pſit, quam rurſus intromiſſis partibus recitavit, qua complexus eſt omnia, quæ de prolixa trium dierum actione potuit recordari. In quibus quædam non eo ordine, quo geſta ſunt commemoravit, omnia tamen veraciter poſuit, confutatos a Catholicis Donatiſtas omnium documentorum veritate pronuncians; quam ſexto Kal. Julii Carthagine proponendam publice juſſit. Inter cetera Marcellinus ea ſententia, obſtinatos in ſchiſmate Donatiſtas legibus coercendos eſſe, denunciat, cum liquido conſtet: *Alieni, etiamſi probari potuiſſet, ſceleris noxa alium fieri reum omnino non poſſe, & univerſalis Eccleſiæ ſtatum Cæciliani inſimulatione, de quo nihil reprehenſibile potuit approbari, non debere ſubverti, nec abſentiam eorum, qui ſe a corpore eccleſiæ ſepararunt, lata adverſus eum præjudicare valuiſſe ſententia*. Quare Donatiſtarum conventicula inpoſterum haberi omnino prohibuit, eccleſias vero, quas hactenus occupaverant, Catholicis reddendas juſſit: ut tamen edicti fidem ſervaret, Donatiſtas Epiſcopos ad ſua redire poſſe permiſit. Tandem Circumcellionum turbas coercendas curavit, *ſiquidem tam catholicæ legi, quam quieti publicæ, ut eorum conquieſcat inſania in hac parte conſulitur*. Hactenus Marcellini ſententia contra Donatiſtas lata, adverſus quam obmurmurare non ceſſarunt Donatiſtæ, innumeris calumniis judicem, a quo damnati fuerant, onerantes.

Auguſt. tom. 9. app. pag. 70.

Donatiſtarum mendacia, & calumniæ adverſus Marcellinum.

12. Collatione abſoluta, cum ejus actis Catholici ſubſcripſiſſent, Donatiſtæ ut idem facerent a Marcellino juſſi, primo renuerunt, ut unde calumniarentur, haberent, ſe ſcilicet ea non dixiſſe, aut acta a cognitore, vel Catholicis fuiſſe corrupta; quia tamen collationis initio ſe ad ſubſcribendum actis obſtrinxerant, tandem vel inviti ſubſcripſerunt. Unde Auguſtinus ad Donatiſtas poſt collationem: *Hæc verba negarent ſe forte dixiſſe, niſi poſſent ſua ſubſcriptione convinci. Ecce quam diligenter actum eſt pro ſalute veſtra, ut verbis noſtris ſubſcriberemus: quod fieri omnino nolebant, & ut facerent, tandem aliquando pudore compulſi ſunt. Nam extant verba eorum, ubi hoc facere recuſarunt, & rurſum alia verba ubi hoc facere conſenſerunt, quod primo negaverant. Omnia ſcripta ſunt: omnibus ſubſcriptum eſt. Ideo enim videbantur nolle ſubſcribere, ut negare ſe poſſent dixiſſe quod dixerant, & de geſtis corruptis Judici calumniari*. Hæc ipſe, qui ſubdit corruptum auro a Catholicis Marcellinum, Donatiſtas obmurmuraſſe, atque ab ejus ſententia

Auguſt. poſt collat. cap. 11.

tia appellaſſe; de eo etiam conquerentes, quod nocte ſententiam protuliſſet: *Quis ferat homines victos conqueri, quod nocte contra eos eſt prolata ſententia: quaſi non ſæpe judices audiendi neceſſitas teneat, ut uſque ad multam partem noctis ſedere cogantur?* & poſt multa. *O ferream frontem, o furoris tenebras, nocturnam ſententiam judici objicientes, & in ſui cordis nocte palpantes, offendentes, cadentes, contra nos rabide litigantes, & pro nobis tanta dicentes!* Queſti ſunt etiam Donatiſtæ, quod ſibi vis eſſet illata, quod in carcerem quodammodo concluſi eſſent; fruſtra tamen querelis ſuis aures impleviſſe, res ipſa docebat, & Auguſtinus teſtatur, dum Donatiſtas, ut tandem veritati cederent, his compellat verbis: *Quid adhuc adtenditis ad eorum inſanas querelas, & vana mendacia? Nocte cauſa finita eſt, ſed ut nox finiretur erroris; nocte dicta ſententia eſt, ſed fulgens lumine veritatis. Incluſos ſe tanquam in carcere fuiſſe conqueſti ſunt, ibi & nos eramus, ipſi unde ſciunt, niſi quia fugere fortaſſe voluerunt? Sed quis non videat, quod iſta inania, & ridenda potius, quam refellenda de tali cognitore non dicerent, ſi pro ſua cauſa poſſent validum aliquid invenire quod dicerent?* Cumque Donatiſtarum plurimi collationem diu expetiiſſent, dicentes: *O ſi in unum locum convenirent: O ſi aliquando conferrent, atque illis diſputantibus veritas appareret; ecce factum eſt,* ſubdit Auguſtinus, *ecce convicta eſt falſitas, ecce apparuit veritas: quid adhuc fugitur unitas? quid adhuc contemnitur caritas? &c.*

Poſt. collat. cap. 19.

Poſt. collat. cap. ult.

13. Tantos in Africa progreſſus fecerat Donatiſtarum ſchiſma, ut collationis tempore de Epiſcoporum numero cum Catholicis fere contenderet. At poſt collationem eorum factio decreſcere, ac paulatim minui cœpit, nam vulgatis collationis actis, eiſque in compendium ab Auguſtino in breviculo collationis collectis, alteroque libro ad Donatiſtas poſt collationem edito, turmatim ex populo & plebe quamplurimi catholicæ Eccleſiæ reconciliati ſunt, ut Auguſtinus coram Emerito Donatiſta, qui collationi interfuerat, ſeptennio poſt, ideſt anno 418. hæc dixerit: *Quos Donatiſtas in nomine Chriſti in gremium Catholicum jam magna ex parte ſuſcepimus, itaut pene omnes communioni catholicæ ſociatos eſſe gaudeamus.* Quin etiam mortalium perditiſſimi Circumcelliones, poſt collationem, una cum plebe, manſuefacti ad ſaniora quoque tranſire conſilia, ut teſtis eſt idem S. Auguſtinus, poſt collationem contra Gaudentium ſcri-

Donatiſtarum ſchiſma paulatim extinguitur.

Auguſt. de geſtis cum Emerito n. 2.

Auguſt. contra Gaudent. lib. 1. cap. 29.

JESU CHR. AN. 411. ſcribens: eademque alibi pluribus, & ſæpe teſtatur, ut in epiſtola ad Bonifacium.

Epiſt. 185.

Collationis acta undique per Africam vulgata.

14. Tantam porro Donatiſtarum ad Eccleſiam catholicam acceſſionem ex promulgatione actorum collationis factam fuiſſe, non eſt dubitandum, quam ideo Auguſtinus ſingulis annis fieri voluit, in eamque rem collationis acta in compendium redegit anno ſequenti, cui & librum ad Donatiſtas eodem de argumento addidit, ut in Retractationibus, & in epiſtola ad Marcellinum narrat; quo eis in collatione geſta enarrat, atque ut veritate cognita, ad catholicam Eccleſiam redeant enixe impenſeque hortatur, quod & ſequentibus annis tum ab eo, cum a ceteris catholicæ eccleſiæ Epiſcopis, non ſine maximo Donatiſtarum lucro factum infra videbimus; unde ut ait Oroſius de collatione agens: *Pax & unitas per univerſam Africam eccleſiæ catholicæ reddita eſt.*

Auguſt. de geſtis cum Emerito tom. 9. pag. 618.
Auguſt. retract. lib. 2. 29.
Epiſt. 139.
Oroſ. lib. 7. 21.

De ſynodo Bracarenſi, utrum ſit genuina.

15. Bracarenſem ſynodum hoc anno celebratam fuiſse multi tradiderunt, quam ſuppoſititiam, atque inter Dextri fabulas recenſendam eſſe Pereſius cenſuit; Cardinalis vero De Aguirre de ejus ſynodi auctoritate incertus fuit, cum nulla apud antiquos memoria ſuperſit. Quare eam confictam fuiſſe, vel ipſa ſtyli barbaries indicat, ac opinio de Jacobi Apoſtoli in Hiſpanias prædicatione, quæ ſane longe poſt ſeculum quintum vulgata eſt, confirmat. Nec Bracarenſibus Patribus altero ſymbolo, eoque ſatis mutilo opus fuit, cum vel Nicæno & Conſtantinopolitano integritati fidei circa Trinitatis myſterium ſatis conſultum eſſet, quorum ſaltem meminiſſe debuiſſent: Synodo Epiſcopi decem ſubſcripti leguntur, quorum primus, qui ſynodo præfuit, Pancratianus Bracarenſis, deinde Gelaſius Emeritenſis, Elipandus Colimbrienſis, Pamerius Egitanenſis, Ariſbertus Portuenſis, Deuſdedit Lucenſis, Pontamius Eminienſis, Tiburtius Limacenſis, Agathius Irienſis, & Petrus Numantinus; ſed de ficta ſynodo ſatis.

Labb. tom. 2. p. 1507.
Hard. tom. 1. p. 1190.
De Aguirre concil. Hiſp. tom. 2. p. 190.

HonoriusConſtantium aliosque tyrannos vincit.

16. Quo tempore datis legibus, Donatiſtas, alioſque hæreticos ad Eccleſiæ unitatem revocare conatur Honorius, in Italia, in Galliis, in Hiſpaniis, in Britannia, Deo adjuvante, mira felicitate hoſtes vicit, ac e medio ſuſtulit; Alovicum ſcilicet, Conſtantinum, Conſtantem, Maximum, Jovinum, Sebaſtianum, Sarum, alioſque his conjunctos. *Merito ſane tanta largitus eſt Deus*, ait Oroſius, *quia in his diebus, præcipiente Honorio, & adjuvante Conſtantio, pax & unitas per uni-*

Oroſ. lib. 7. 24.

univerſam Africam Eccleſiæ catholicæ reddita eſt : & corpus Chriſti, quod nos ſumus, redintegrata diſciſſione, ſanatum eſt &c. Anno 409. adnotavimus Conſtantinum Arelatem aufugiſſe, cum fruſtra Alpibus tranſactis, Italiam quoque invadere conatus eſſet; ſed hoc tempore una cum Conſtante filio ſuo, quem Imperio ſociaverat, vita & Imperio privatus eſt. *Eodem anno*, ideſt labente, ait Proſper in Chronico, *Conſtantinus per Honorii duces Conſtantium, & Ulphilam apud Arelatenſe oppidum victus, & captus eſt, cujus filius Conſtantem in Hiſpania regnare orſum, Gerontius comes, in Maximum quemdam tyrannidem transferens, interemerat.* Rem geſtam pluribus Sozomenus narrat, paucis nos rem expediemus; ac adnotaſse ſufficiet, Gerontium ex Conſtantini ducibus præcipuum adverſus eum arma convertiſse, ac Maximum quemdam familiarem ſuum imperiali veſte induiſse, ac expeditione adverſus Conſtantinum ſuſcepta, filium ejus Conſtantem, qui Viennæ agebat, primo interfeciſse; Conſtantinus vero poſt varios belli caſus, quos referre non juvat, Arelate obſeſſus purpuram, & reliqua Imperii inſignia depoſuit, ac ad eccleſiam confugiens, presbyter eſt ordinatus, obſeſſi vero, accepta jurisjurandi fide, portas aperuerunt, & veniam conſecuti, in Honorii poteſtatem venerunt. Conſtantinus una cum filio Juliano in Italiam miſſus, in itinere occiſus eſt, *nec multo poſt Jovinus & Maximus tyranni ex improviſo interfecti ſunt, Sarus item, & alii præterea complures, qui Honorii Imperio fuerant inſidiati.* De Maximo, narrat Oroſius, eum poſt Gerontii interitum exutum purpura, deſtitutumque a militibus fuga ſupplicium evaſiſſe. Tam a porro Honorium a Deo, ob inſignem animi pietatem Religioniſque catholicæ promovendæ zelum, promeruiſse auctor eſt Sozomenus: *Obiter hæc commemoranda eſſe duxi, ut ex his perſpicere poſſemus Imperatori ad cuſtodiam Imperii ſufficere, ſi ſtudioſus ſit divini Numinis cultor, cujuſmodi certe fuit Honorius.* Quæ ſane eo mirabiliora fuerunt, quod præter pietatem, ceteræ ad Rempublicam adminiſtrandam deſiderarentur virtutes, quem ideo cuculla, & monachali tunica magis, quam ſceptro dignum fuiſſe ait Muratorius, de cujus inertia multa exagerando etiam narrant hiſtorici Græci.

17. Sulpicii Severi mentionem alias fecimus, cum præcipue de Paulini Nolani converſione ſermonem habuimus, ac utroſque arctiſſimo amicitiæ vinculo ſociatos fuiſſe adnotavimus. Nunc

Jesu Chr. an. 411.

Sozom. lib. 9. 13.

Sozom. lib. 9. 14.

Sozom. lib. 9. 5.

Oroſ. lib. 7. 42.

Sozom. lib. 9. 16.
Murat. annal. an. 410.
Procop. de bello Vand. lib. 1. 2. Cedren. hiſt. tom. 1. Zonaras annal tom. 2.

De Sulpicii Severi patria ſtudiis & vita.

Jesu Chr. an. 412. *Gennad. de ſcript. eccleſ. cap.*

Nunc reliqua de præſtantiſſimo viro breviter dicemus, cujus elogium his verbis exhibet Gennadius: *Severus Presbyter cognomento Sulpitius Aquitanicæ provinciæ, vir genere & litteris nobilis, & paupertatis atque humilitatis amore conſpicuus.* Paucis quidem verbis multa de Severi laudibus complectitur; incertum tamen eſt eum Presbyterum fuiſſe, ut apud Tillemontium, & apud a Prato vitæ Severi operumque editorem videre eſt, quem Maſſiliæ monachum egiſſe non levibus conjecturis probat. Sulpicii ad Deum converſionem miram ac inſperatam fuiſſe Paulinus Nolanus commemorat, dum in ætate florenti divitiis abundans, in fori celebritate conſtitutus, ac facundia celeberrimus, cum conſulari femina matrimonio ſociatus, ut Deo orationique & ſtudiis vaceret, omnibus valedixit, & ad exitum uſque in ſanctis operibus perſeveravit: aliquando tamen Pelagii fuligine intinctum fuiſſe Gennadius adnotat. *In ſenectute ſua a Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Is porro S. Martini Turonenſis Epiſcopi amiciſsimus fuit, ejuſdem vitam conſcripſit, cujus etiam præter epiſtolas plurimas extant Dialogi tres, quorum primo de vita & moribus monachorum Orientis agit, duobus reliquis S. Martini miracula, & virtutes perſequitur. His addenda eſt hiſtoria ſacra duobus libris contexta, qua res ab origine Mundi uſque ad conſulatum Stilichonis, quinti ſcilicet ſeculi initium, ſumma brevitate enarrat. Tanta vero in ſcribendo uſus eſt; elegantia, ut Salluſtii chriſtiani nomen meruerit. Vitam ultra annum 410. tenuit, quo autem anno obierit in obſcuro eſt; cetera autem de Sulpicii vita aut ſcriptis apud Tillemontium, aut a Prato Presbyterum Congregationis Oratorii Veronenſis Sulpicii editorem, videri poſſunt.

Prato tom. 1. op. Severi Sulp. edit. Veron.

JESU CHRISTI AN. 412. INNOCENTII PAPÆ 12. HONORII IMP. 20. ET 18. THEODOSII JUN. 11. ET 5. COSS. HONORIO AUG. IX. ET THEODOSIO AUG. V.

Honorii edictum adverſus Donatiſtas.

1. Inquieta Donatiſtarum factio, ſchiſmatis hæreſiſque convicta in collatione cum Catholicis anno proximo habita, ad Imperatorem appellaverat; malis tamen avibus id pertentaſſe auctor eſt Poſſidius in vita Auguſtini, dum ait: *Poſt appellationem*

nem eorum, piiſſimi Regis reſponſo, injuſti inter hæreticos condemnati ſunt. Extat quippe Honorii edictum adverſus Donatiſtas Ravennæ tertio Kal. Febr. hoc anno datum, quo eos vario pœnarum genere afficiendos juſſit, ac præſertim pecuniaria. Ita ut illuſtres viri ſingillatim pœnæ nomine Fiſco auri pondo quinquaginta cogerentur inferre, ſpectabiles auri quadraginta, Senatores triginta, clariſſimi viri viginti, Sacerdotes triginta, Principales viginti, Decuriones quinque, Negotiatores quinque, Circumcelliones argenti pondo decem. Uxores quoque eorum eadem mulcta tenebantur; ſervos etiam dominorum admonitio, vel colonos, verberum crebrior ictus a prava religione revocabit, alioquin ipſi eamdem ſummam (etiam ſi ſint Catholici) ſolvent. Clerici vero miniſtrique eorum, ac perniciosiſſimi ſacerdotes, in exilium ad ſingulas quaſque regiones ſub idonea proſecutione mittantur; eccleſias eorum, vel conventicula, prædiaque (ſi qua in eorum Eccleſias hæreticorum largitas prava contulerit) in proprietatem, poteſtatemque catholicæ Eccleſiæ tranſibunt.

Jesu Chr. An. 412.

2. Hujuſque edicti æquitatem vellicat Baſnagius dicens: *Utrum vero æquitate conditum reſcriptum Honorii fuerit, illi dicant, quibus veritas cordi eſt. Durum ſane nobis videtur, invitos homines ad religionem ſuſcipiendam impelli*; deinde: *Quod ſeveriſſimis legibus*, ait, *Donatiſtæ poſt collationem exagitati fuerint, laudare non poſſumus*; ac Donatiſtarum apologiam texens, a vera pietate eos nequaquam alienos fuiſſe, ſcribit: *Perturbatores quidem meritis erant ſuppliciis afficiendi; qui vero manſueto degebant animo, tolerandi videbantur, utpote qui religionem colerent a pietate non diſjunctam, quam & moribus ſuis non decolorabant*; ac de rebaptizandis hæreticis, cujuſmodi apud Donatiſtas putabantur Catholici: *Diſciplinam obſervabant, quam Cyprianus, Firmilianus, ſynodique & Orientis, & Occidentis, calculo ſuo comprobaverant*. Hactenus novus Donatiſtarum apologiſta, quem non ſolum Eccleſiæ auctoritas, ſed etiam Chriſtianorum Imperatorum leges, temeritatis redarguunt; ac muneris ſui, pietatiſque in Deum & Eccleſiam eſſe cenſuerunt, ſuis legibus eorum perfidiam reprimere temeritatemque coercere, ut tot Theodoſiani, Juſtiniani, aliorumque Imperatorum leges demonſtrant; ac ipſa naturalis ratio, Apoſtolica etiam auctoritate confirmata, omniumque Ss. Patrum, ac gentium conſenſu roborata, idipſum

Honoriani edicti æquitas. Baſnagii temeritas notatur.

Baſnag. an. 412. n. 3. An. 411. n. 23.

Jesu Chr. An. 412.

Ad Rom. cap. 13.

probat. *Non enim fruſtra*, inquit Apoſtolus de principibus, *gladium portat, ad vindictam malorum &c.* quod adeo verum eſt, ut vel ipſæ ſchiſmaticorum, hæreticorumque variæ ſectæ ſeveriſſimis legibus catholicam Religionem non ſolum exturbare conati ſunt, ſed etiam radicitus evellere, catholicos dignitatibus, honoribus & patrimonio expoliantes, quæ ſane æquitati, pietati, & juſtitiæ adverſantur, cum eam Religionem ſequantur, quam ab Apoſtolis, ac apoſtolicis viris majores eorum ſuſceptam ſucceſſoribus tradiderunt. Quare in ſuos magis, quam in Honorium eam cenſuram reſervare poterat Baſnagius; nam quanta Honoriani edicti æquitas, & juſtitia fuerit, ex Auguſtino diſcere poterat, qui de exilio in clericos Donatiſtas agens, mitius Imperatorem cum iis egiſſe ſcribit: *Mitiora in vos conſtituit Imperator propter manſuetudinem chriſtianam; exilium vobis voluit inferre, non mortem: ſed vos homines docti conſiderantes, quid debeatur merito, & quid minus ſit in ſupplicio, non de judicio illius, ſed de veſtro additis mortem*; dum eorum nonnulli ſe ipſos occidebant. Ad Bonifacium vero, de eadem Honorii lege agens, ſumma æquitate juſſiſſe Imperatorem adnotat, ut quidquid eccleſiarum nomine pars Donati poſſidebat, catholicæ Eccleſiæ redderetur. Et alibi pro concione ad populum: *Leguntur*, inquit, *manifeſtæ leges, ubi præceperunt Imperatores, ut qui præter Eccleſiæ catholicæ communionem uſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere*. Et in fine: *Veniant ad catholicam, & nobiſcum habebunt non ſolum terram, ſed etiam illum, qui fecit cælum & terram*.

Auguſt. contra Gaud. lib. 1. 19.

Auguſt. epiſt. 185. n. 36.

Auguſt. in Joan.

Donatiſtæ poſt collationem in catholicos acrius ſævirunt.

Auguſt. epiſt. 139. & 185.

Poſſid. Aug. vita tom. 10. cap. 13. append. pag. 266.

3. Poſt legem Honorii Donatiſtarum quamplurimos ad catholicam Eccleſiam rediiſſe, teſtis eſt S. Auguſtinus pluribus in locis, & præcipue ad Marcellinum, & ad Bonifacium ſcribens. At multi fuere, quos legum ſeveritas irritavit, ita ut crudelius adhuc ea de cauſa in Catholicos ſævierint; quod nec Poſſidius diſsimulavit: *Hoc qua ratione ſolito amplius eorum Epiſcopi cum ſuis clericis & plebibus communicaverunt, & qui pacem tenuerunt catholicam, multas eorum perſecutiones uſque ad membrorum amputationem, & internecionem pertulerunt*. Inter ceteros Reſtitutum Presbyterum circumcelliones occiderunt; Innocentio oculum extraxerunt: in quos, cum animadvertere vellet Marcellinus, ne in eos capitalem ſen-

ſententiam ferret, deprecator adfuit Auguſtinus, his eum verbis interpellans: *Circumcelliones illos, & clericos partis Donati, quos de Hipponenſi Eccleſia ad judicium pro factis eorum publica diſciplinæ cura deduxerat, a tua nobilitate comperi auditos, & plurimos eorum de homicidio, quod in Reſtitutum catholicum presbyterum commiſerunt, ut de cæde Innocentii alterius catholici presbyteri, atque de oculo ejus effoſſo, & de digito præciſo fuiſſe confeſſos. Unde mihi ſollicitudo maxima incuſſa eſt, ne forte ſublimitas tua cenſeat, eos tanta legum ſeveritate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur. Ideoque his litteris obteſtor fidem tuam, quam habes in Chriſto, per ipſius Domini Chriſti miſericordiam, ut hoc nec facias, nec fieri omnino permittas*; & alia epiſtola: *Pœna ſane illorum, quamvis de tantis ſceleribus confeſſorum, rogo te ut præter ſupplicium mortis ſit, & propter conſcientiam noſtram, & propter catholicam manſuetudinem commendandam. Ipſe enim fructus ad nos pervenit confeſſionis illorum, quia invenit Eccleſia catholica, ubi ſuam erga atrociſſimos inimicos ſervet, atque exhibeat lenitatem*; tandem cum ejus lenitatem laudaſſet: *Eo quod tantorum ſcelerum confeſſionem non extendente equuleo, non ſulcantibus ungulis, non urentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti: qui modus coercitionis, ita magiſtris artium liberalium, & ab ipſis parentibus, & ſæpe etiam in judiciis ſolet ab Epiſcopo adhiberi*, hæc etiam addit: *Poſtremo pro Eccleſiæ utilitate miſſus es: hoc Eccleſiæ catholicæ, aut (ut modum diſpenſationis meæ non ſupergredi videar) hoc eccleſiæ ad Hipponenſium regionum diœceſim pertinenti prodeſſe, hoc expedire conteſtor. Si non audis amicum petentem, audi Epiſcopum conſulentem: quamvis quoniam chriſtiano loquor, maxime in tali cauſa, non arroganter dixerim, audire te Epiſcopum convenit jubentem.* Apringium vero Proconſulem rogat Auguſtinus, ut acta in eorum cauſa confecta publice legenda proponat ad Donatiſtarum ignominiam, ut tantorum ſcelerum manifeſtatione, aut erubeſcerent, aut ad catholicam Fidem converterentur. Ut eadem vero acta quamcitiſsime ſibi mitterentur, Marcellinum his verbis rogat: *Geſta, quæ promiſit præſtantia tua, vehementer expecto, & in eccleſia Hipponenſi jamjamque cupio recitari, ac ſi fieri potuerit etiam per omnes eccleſias in Diœceſi conſtitutas*; & poſt multa: *Utinam tales eorum cauſas crebras ſic audias, & facinora eorum, atque inſana pertinacia ſic ſæpe*

Jesu Chr. an. 412. *Auguſt. epiſt.* 133.

Epiſt. 139.

Epiſt. 133.

Epiſt. 134.

Epiſt. 139.

JESU CHR. AN. 412.

prodatur, eademque publicata geſta in omnium notitiam perferantur! Quod autem ſcripſit eximietas tua dubitare te, utrum in Theoprepia debeas eadem geſta jubere proponi, fiat ſi poteſt illuc frequens confluere multitudo, alioquin alius locus celebrior providendus eſt, non tamen ullo modo prætermittendum. Quanta autem feritate tunc Donatiſtæ adverſus Catholicos agerent, eadem epiſtola his verbis adnotat: *Modo Macrobius Epiſcopus eorum ſtipatus cuneis perditorum utriuſque ſexus, hac atque illac circumit, aperuitque ſibi baſilicas, quas poſſeſſorum quantuluſcumque timor clauſerat*; & paulo poſt: *Cum ipſo eſt etiam ille Donatus Diaconus rebaptizatus, cum fuerit colonus eccleſiæ, qui verſatus eſt in illa cæde præcipuus. Qui tales non cum eo ſunt, quando & ille cum ipſo eſt?* Quare eum iterum rogat, ne reorum ſanguinem effundere velit, *ne paſſiones ſervorum Dei, quæ debent eſſe in Eccleſia glorioſæ, inimicorum ſanguine dehoneſtentur.* Quod ſi id fortaſſe obtinere non poſsit, ut ſaltem epiſtolæ ſuæ in eam rem, pro reorum liberatione ſcriptæ, in acta infererentur, efflagitat, ut ex iis ſaltem Donatiſtis, poſteriſque etiam conſtaret, ſe una cum catholicis Epiſcopis pro eorum liberatione interceſſiſſe.

Macrobius Epiſcopus Circumcellionum ductor.

Macedonii ad Auguſtinum conſultatio.

4. Cum autem non unus Auguſtinus, ſed alii etiam Epiſcopi pro reorum liberatione paſſim intercederent, Macedonius jus gladii in Africa habens, Auguſtinum conſulendum cenſuit, num Epiſcoporum precibus ſibi aquieſcendum eſſet, cum non ſemel in pejus reos inpoſterum lapſuros eſſe, ex mitigata, aut remiſſa pœna, non levis conjectura ſuaderet; ad quem hæc habet: *Optatas admodum ſanctitatis tuæ litteras accepi per Bonifacium venerandæ legis Antiſtitem .... Sine mora quod petebat obtinuit. Verum quoniam extitit occaſio, hoc ipſum quantulumcumque eſt, quod admonitus indulſi,* dum reorum aliquem mitigata pœna condonavit, *nolo ſine mercede remanere.* Itaque ſubdit: *Officium Sacerdotii veſtri eſſe dicitis intervenire pro reis, & niſi obtineatis offendi, quaſi quod erat officii veſtri minime reportetis. Hic ego vehementer ambigo, utrum iſtud ex religione deſcendat.* Dubitandi autem has affert rationes, primo quod Deus euſque peccata prohibeat, ut ſemel tantum ad agendam pœnitentiam pro gravioribus peccatis Eccleſia peccatores admitteret: porro qui pro reis intercedit, ut impuniti dimittantur, peccatum quodammodo probare cenſetur, in iis etiam, in quibus emendationis ſpes nulla eſt, quin aliqui id, propter quod ſcelus admiſſum fuerat, retinere præſumebant. *Ceterum*

Epiſt. 152.

hoc

hoc mihi propoſitum eſt, ſubdit Macedonius, *ut interceſſoribus præſertim talis meriti qualis tu es, etiam gratias agam. Pleraque enim, quæ ſponte facio, videri nolo, ne remiſſio ſeveritatis alios armet in crimina; opto bonis interceſſoribus relaxare, ut quod libens concedo, ſalva ſeveritate judicii, alterius merito videatur indultum &c.* JESU CHR. AN. 412.

5. Quæſtioni autem reſpondens Auguſtinus, non ſolum Macedonii pietatem laudat, ſed eo de argumento exquiſite copioſeque diſſerit, quæ in compendium vix referri poſſunt. Reſponſionis autem ſumma in eo eſt, ut oſtendat, Epiſcopos reorum peccata, pro quibus intercedunt, non approbare, ſed hominum infirmitati condolere, ac peccatorum emendationem, ſalutemque æternam curare: *Ideo compellimur humani generis caritate intervenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, ut ea finita, non poſſint finire ſupplicium*; hinc fieri aliquando ſubdit, ut *quoſdam, quorum crimina manifeſta ſunt, a veſtra ſeveritate liberatos, a ſocietate tamen removemus altaris, ut pœnitendo placare poſſint, quem peccando contempſerant*. Ad id vero, quod repoſuerat Macedonius, ſemel tantum ad agendam pœnitentiam ab Eccleſia peccatores admitti, adnotat, id caute ſalubriterque proviſum eſſe, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit. Ceterum etſi nonnulli poſt peractam pœnitentiam in eadem, vel graviora etiam crimina prolabebantur, de his etiam curam deſperandam non eſſe demonſtrat, ſed quanto magis ſceleribus ſe polluebant, tanto gravioribus pœnitentiæ operibus addicendi: *Quis noſtrum ita deſipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi iſta proderunt inpoſterum; vade ſaltem vitæ hujus ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegamque dementiam*. Multa etiam ingerit de reſtitutione ab iis facienda, qui aliena rapuerant, damnumque fecerint; nam *ſi res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Hanc cum accepiſſet epiſtolam, miro ſibi modo ſatisfactum fuiſſe Auguſtino reſcribens, teſtatus eſt Macedonius, ac ſe ſuis ſemper officiis, interceſſionibuſque ſatisfacturum eſſe pollicetur, & altera epiſtola, ſe ejuſdem opuſculis mirifice delectari ſcribit, multiſque eum laudibus celebrat. Cumque Macedonius Auguſtinum interrogaſſet epiſtola altera, in quo, quæ-

Cur Epiſcopi pro reis intercederent.

Auguſt. epiſt. 153.

Epiſt. 154. 155.

JESU CHR. AN. 412. quæve eſſet beata vita, eam in Deo atque a Deo expectandam eſſe, pluribus docet, ut ibidem videre eſt.

Cirthenſe concilium contra Donatiſtas.

6. Interea modis omnibus ad Donatiſtarum vires frangendas adlaborabat Auguſtinus. Cumque eorum nonnulli obſtinatiores, pugnatioreſque a collatione anno proximo habita diſceſſiſſent, multaque verbo & ſcriptis vulgaſſent a veritate aliena, corruptum ſcilicet auro a Catholicis fuiſſe Marcellinum, ut Donatiſtas vi, & minis opprimeret, quo fiebat, ut in ſchiſmate nonnulli obſtinatiores perſeverarent; ſynodum Cirthæ in Numidia ad Donatiſtarum perfidiam coercendam catholici Epiſcopi celebrarunt, Junii die decimaquarta, cui Silvanus Numidiæ Præſes, Auguſtinus, aliique adfuerunt. Quid vero in ea geſtum, ſtatutumque fuerit, cum acta perierint, non conſtat: ſupereſt tamen ſynodica epiſtola ab Auguſtino digeſta, & ad Donatiſtas ſcripta, qua eos edocet, qua ratione, qua æquitate & ordine actum cum iis fuerit in collatione anno proximo habita, ac collationis epitomen exhibet, ut ibidem videre eſt.

Labb. tom. 2. pag. 1519.

Auguſt. epiſt. 141.

De Pelagianæ hæreſis initiis, & auctoribus.

7. Poſt collationem cum Donatiſtis habitam lethale vulnus illorum ſchiſma acceperat; at eodem tempore peſtilentior ab inferis emerſit hæreſis hoc anno a Carthaginenſi ſynodo primum damnata. Pelagianorum hæc fuit, quæ non ſolum in Africa, nec uno tantum volvente ſeculo, ut Donatiſtis acciderat, viguit, ſed longe lateque per Orbem diffuſa, longa temporum ſerie, vix e radicibus divelli potuit, quia continuo repullularet, atque a cineribus exurgeret. Hujus hæreſis radices altiores ante Pelagium repetendas eſſe viri docti adnotarunt, & ut Stoicæ philoſophiæ ſectarios prætereamus, e quorum fontibus Pelagianam hæreſim primos ejus propagatores derivaſſe non uno in loco teſtatur Hieronymus, atque de iis tantum, qui eam cum chriſtiana religione docuerunt, loquamur, omnium primus occurrit Origenes Adamantius, quem Pelagianis viam monſtraſſe, non ſolum Hieronymus, & Oroſius teſtantur, ſed invictis argumentis demonſtrat Noriſius; unde de Pelagio adnotavit Annalium eccleſiaſticorum Parens: *Pelagius & ipſe monachus majore acceſſione impietatis, novæ hæreſis auctor factus, non amplius inter gregales militavit Origeniſtas, ſed ipſe ſibi conciliavit nomen hæreſiarchæ*. Hieronymus vero Adamantium Pelagianorum *Amaſium* appellat, & in epiſtola ad Cteſiphontem, Pelagiani *erroris principem* dixit, ibidemque Pelagio ex-

Noris hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 1.

Garner. in Marium Merc. diſſert. 1. cap. 1.

Hier. lib. 4. comm. in Jerem. epiſt. ad Cteſiphontem

Origenes Adamantius Pelagiani erroris aſſertor.

Oroſ. Apol. de libert. arbitrii biblioth. PP. tom. 6.

exprobrat: *Doctrina tua Origenis ramunculus eſt*, quod alibi etiam inculcat. Oroſius autem Hieronymo & Auguſtino coævus, de Pelagii erroribus hæc inter cetera adnotavit: *Quamquam & hæc venenatiſſimorum dogmatum abominatio, habet etiamnunc viventes mortuos, mortuoſque viventes, nam Origenes, Priſcillianus, & Jovinianus olim apud ſe mortui, in his vivunt, & non ſolum vivunt, ſed etiam loquuntur, nunc vero Pelagius & Cæleſtius, ſi in his perſeveraverint viventes mortui &c.*; quare non ſine cauſa Huetium arguit Noriſius, qui novus Origenis advocatus emergens, *facta ad veritatem appellatione, antiqua Patrum decreta irridens, damnati hominis cauſam retractare non extimuit.*

Bar. an. 388. n. 113. Hier. dialog. contra Pelag. in fine. Oroſ. ut ſup. Huet. Origen. dogm. Noriſ. de ſynodo quinta præf. & alibi paſſim.

De Paulo Samoſateno, & Theodoro Mopſueſteno.

8. Inter Pelagianorum parentes, Paulum etiam Samoſatenum, qui Antiochenam ſedem tertio ineunte ſeculo poſt annum 260. invaſerat, nonnulli accenſendum putant, quem impia de Chriſto docentem, ab Antiochena ſynodo damnatum, ſuo loco adnotavimus. Certiora ſunt, quæ de Theodoro Mopſueſteno traduntur, quem non ſolum Neſtorio, ſed Pelagio etiam patrocinaſſe ex Neſtorianiſmi, & Pelagianiſmi hiſtoria manifeſto ex dicendis infra conſtabit. Palladium etiam Origeniſtis accenſet Epiphanius in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, quem Pelagiano luto hœſiſſe ſcribit Hieronymus: *Palladius ſervilis nequitiæ, tandem hæreſim inſtaurare conatus eſt.* An autem hic Palladius Origeniſta, & Pelagianus, unus idemque ſit cum eo, qui cum Joanne Chryſoſtomo arctis amicitiæ vinculis junctus erat, quique res ab eo geſtas conſcripſit, ex hiſtoria ad Lauſum inſcripta Lauſiacus dictus, & Epiſcopus Helenopolis, an inquam unus idemque fuerit, ut a nonnullis traditum eſt, in incerto relinquimus, dum in utramque partem diſputant eruditi, de quibus plura perſequi non eſt hujus loci.

Garnerius in Marium Mercat. differt. 1. cap. 1. anno 417. n. 25.

De Palladio Pelagiano, an fuerit Epiſcopus Helenopolis.

Hier. dial. adverſ. Pelag. in proœmio. Bar. an. 400. 61. 64. 403. 22. 404. 67. Baſnag. an. 409. n. 9. Dupin tom. 1. ſecul. 5. pag. 302. Caveus. Odin.

De Ruffino Aquilejenſi, an idem ac Syrus, & Pelagianus.

9. De Ruffino tamen non eſt diſſimulandum, dubiam ſui apud antiquos opinionem reliquiſſe; quem plurimi Origeniſmi, & Pelagianiſmi labe aſperſum fuiſſe ſcripſerunt, catholicum alii ac pium dixerunt. Hinc poſt Hieronymum, Marium Mercatorem, aliosque, de Ruffino Baronius hæc adnotat: *Tantum abfuit, ut Ruffinus parato a S. Hieronymo antidoto curaretur, quin potius poſt Origenis errores, quos fovit, Pelagianæ hæreſis aſpides ex eis obortos percaram ſibi ſobolem enutriverit.* Alii econtra, inter quos Noriſius, Ruffinum Origeniſmi qui-

Bar. an. 402. n. 41. Noris hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 3.

Jesu Chr. an. 412.

quidem & Pelagianiſmi labe aliquando aſperſum fuiſſe ſcribunt; catholicum tamen, & in communione Eccleſiæ ultimum clauſiſſe diem tradunt, ac ante obitum palinodiam ceciniſſe, ac ea, quæ hactenus fidei catholicæ minus conſentanea docuerat, retractaſſe addunt, cujus retractationem eodem loco ex Vaticano codice erutam exhibet; qua de cauſa a Gelaſio Papa *vir religioſus* idem Ruffinus dici meruit in Rom. ſynodo. Quin tamen ea confeſſio fidei adſcribatur Ruffino Aquilejenſi, multa obiicit Juſtus Fontanini, apud quem nunquam Ruffinus palinodiam canere debuit, utpote qui ab omni hæreſi alienus ſemper fuerit, atque aut Hieronymo eam inſcribendam cenſet, aut Ruffino alteri ab Aquilejenſi diſtincto, de quibus non ſolum ibidem, ſed apud Garnerium, & Mabillonium plura videri poſſunt. Cumque duo eodem tempore fuerint Ruffini, ambo Hieronymo amicitia conjuncti, Aquilejenſis ſcilicet, & Syrus, de quo ad Aquilejenſem ſcribens S. Doctor de altero Syro habet: *Sanctum quoque presbyterum Ruffinum ob quamdam cauſam per Romam Mediolanum miſimus, & oravimus, ut noſtro animo & obſequio vos videret*; hinc dubitarunt aliqui, an Ruffinus, qui Romæ Cœleſtium docuit, quique Ruffinus Syrus a Mercatore dicitur, diverſus ſit ab Aquilejenſi; quod argumentis novem, ſeu potius conjecturis confirmare nititur Garnerius, quarum vires quanti faciendæ ſint, aliorum judicio relinquimus: id tamen certum eſt Hieronymum non alium, quam Aquilejenſem ſcriptis ſuis exagitaſſe, nec alterum deſignaſſe Marium Mercatorem, etſi eum Syrum dixerit, eo quod diu in Syria habitaverit. Sed de Pelagii præceſſoribus hactenus, nunc ad Pelagium ipſum hæreſis auctorem, & propagatorem convertatur oratio, cui Cœleſtium, Julianum, & Annianum, præcipuos, acerrimoſque ſectæ defenſores addimus.

Juſtus Fontanini hiſt. eccleſiæ Aquilej. cap.
Garn. in Mar. Merc. pag. 115.
Mabill. Muſe Ital. tom. 1. pag. 218.
Hier. epiſt. 81.
Garner. diſſert. 1. in Mar. Merc. cap. 3.

De Pelagio hæreſis auctore.

10. Pelagianæ hæreſi idem contigit, quod fluminibus ſæpe accidit, nomina ſcilicet inde ſortiri, unde fluere aperte incipiunt, etſi ſæpe ex remotis fontibus originem ducant. Hinc factum, ut Pelagius Pelagianæ hæreſis auctor, propagatorque communiter dicatur, etſi altiores eam radices habuiſſe hactenus demonſtravimus. Quare Auguſtinus ad Innocentium ſcribens nomine Milevitanorum Patrum, de Pelagio, & Cæleſtio, *hæreſis nefariæ auctores, ut perhibent*, dicit; & ad Optatum eoſdem *hæreſis novæ vel auctores, vel certe acerrimos, notiſſimoſque ſuaſores* appellat, & in libro de peccato originali iterum

rum de Pelagio & Cæleſtio: *Hujus*, inquit, *perverſitatis auctores vel perhibentur, vel probantur, vel certe ſi auctores non ſunt, ſed hoc ab aliis didicerunt: aſſertores tamen atque doctores, per quos id latius repteret, & creſceret, & verbis, & litteris ſuis, & competentibus indiciis, & fama ex his omnibus ſurgente, & crebeſcente, jactantur.*

JESU CHR. AN. 411.

Auguſt. de peccat. Orig. cap. 12.

11. Præcipuus itaque pæſtiferæ hæreſis auctor fuit Pelagius, Britto dictus aut Britannicus; quo autem Britanniæ loco natus, definiri non poteſt. De eo Proſper carmine de ingratis:

De Pelagii patria, profeſſione & moribus.

Auguſt. epiſt. 186.

Uſſer. antiq. Britan. cap. 8. pag. 207.

Dogma; quod antiqui ſatiatum felle Draconis
Peſtifero vomuit Coluber ſermone Britannus;

& infra cap. 34.

I procul, inſana impietas, arteſque malignas
Aufer, & auctorem comitare excluſa Britannum.

Paulus Oroſius de Pelagii patria: *Britannicus noſter*, ait, *mox ut voluerit, ſe poſſe confidit*, ac eum ferendis oneribus magis, quam quæſtionibus pertractandis aptum fuiſſe adnotat: *Sed tibi ſpecialis inde portandi oneris fortaſſe fiducia eſt, quod balneis epuliſque nutritus, latos humeros geſtas, robuſtamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem*; cui obſcuros etiam natales contigiſſe addit: *Quamquam hoc quod neque apte, neque decore dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt, ut honeſtioribus ſtudiis erudireris, neque naturaliter provenit, ut ſaperes.* Monaſticam tamen vitam eum amplexum fuiſſe ſcimus: *Pelagianorum hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima a Pelagio monacho exorta eſt*, inquit Auguſtinus, nullo tamen ſacrorum ordinum gradu ornatus fuit. Unde Zoſimus ad Aurelium, & Afros de Pelagio: *Laicum virum*, ait, *bonam frugem, longa erga Deum ſervitute nitentem*. Laicus quoque ab Oroſio, & Patribus Dioſpolitanis ab Auguſtino, & Mario Mercatore dictus; quare quæ de Pelagii Epiſcopatu, vel presbyteratu a nonnullis traduntur, inter fabulas merito recenſentur, cumque veſte tantum monachali indutus, nullo cœnobio, aut eremo addictus monachi vitam ageret, veluti monachus, magis quam monachus ab Auguſtino dictus eſt: *Poſt veteres hæreſes multas, exorta eſt modo nova*, non

Paul. Oroſ. Apolog. cap. 27.

Zoſim. epiſt. apud Coutan. pag. 951.

Oroſ. Apol. cap. 3.

Auguſt. de geſtis Pelag. cap. 19.

Auguſt. de geſtis Pelag. cap. 35.

JESU CHR. AN. 412. *non ab Epiſcopis, ſeu presbyteris, vel quibuſcumque clericis; ſed a quibuſdam veluti monachis, quæ contra Dei gratiam &c.* Non eſt tamen hic Pelagius cum altero Pelagio monacho, cujus meminit Chryſoſtomus ad Olympiadem ſcribens, con- confundendus, ut Baronio aliiſque contigit: *De Pelagio monacho magno dolore affectus ſum. Cogita igitur, quot quantiſve coronis digni ſunt, qui forti animo in acie ſteterunt, cum viros pie ac ſancte tantaque cum tolerantia viventes abripi, atque in fraudem impelli videamus.* Iſidorus quoque Peluſiota Pelagium monachum a monaſtica vita extorrem reprehendit, hiſque inter cetera verbis exagitat: *Si tibi carnium nidor, atque obſoniorum condimentum curæ eſt, iis, qui magiſtratum gerunt, potius blandire, atque urbium caminos veſtiga. Neque enim homines eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum eſt, excipere valeant &c.*

Bar. an. 405. n. 7. Uſſer. an. Britan. cap. 8. p. 211.

Iſid: Peluſ epiſt. lib. 1. epiſt. 314.

Duo Pelagii diſtinguendi ſunt.

12. Hunc tamen Pelagium, ab Iſidoro atque Chryſoſtomo tam gravi reprehenſione notatum, a Pelagio hæreſis Pelagianæ auctore diſtinguendum eſſe, duo præcipue perſuadent. Primum, quod vivente Chryſoſtomo Pelagius auctor ſectæ Pelagianæ nondum in Orientem tranſierat, quem Romæ ſub Siricio Papa, & Anaſtaſio diutiſſime vixiſſe, & ſcripſiſſe conſtat. De ſcriptis Pelagii Romæ, ac præſertim de ejuſdem commentario in epiſtolam Pauli ad Romanos, quo Pelagianum virus effudit, deque ejus concertationibus & colloquiis Romæ habitis, audiatur Auguſtinus: *Legi Pelagii quædam ſcripta, viri ut audio ſancti, & non parvo profectu chriſtiani*, quem infra, *bonum ac prædicandum virum* fuiſſe dicit, cum hæc hoc anno ſcriberet; & alibi cum jam hæreſim vulgaret: *Alia quoque ipſius*, inquit, *in urbe Roma ubi diutiſſime vixerat, atque in his fuerat prius ſermonibus, contentionibuſque verſatus.* Inter cetera, cum aliquando a quodam Epiſcopo Auguſtini breviſſimam ſententiam Romæ audiſſet: *Da quod jubes, & jube quod vis*, tanto ardore confutandam ſuſcepit, *ut pene cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit*, inquit Auguſtinus. Alium etiam fuiſſe Chryſoſtomi & Iſidori Pelagium ab hæreſiarcha, inde conſtat, quod anno 405. quo ea ſcribebat Chryſoſtomus, pietatis adhuc larva indutus Pelagius, cum præſtantiſſimis viris amicitiæ vinculo ſociabatur, cum Paulino ſcilicet, cum Auguſtino, Piniano, cum Melania, quem etiam ſe hoc tempore vidiſſe Auguſtinus teſtatur: *Ejus faciem*, inquit,

Auguſt. de peccat. meritis lib. 3. cap. 1.

De pecc. Orig. lib. 6. 2. 21.

De dono perſever. cap. 20.

quit, *Carthagine quantum recolo, ſemel & iterum vidi, quando cura collationis, quam cum Donatiſtis hæreticis habituri eramus &c.* ad quem ejuſdem extat epiſtola, qua pro officioſis ab eo acceptis litteris gratias agit, & in epiſtola altera ad Paulinum data, cum jam hæreſim doceret, ſe quidem eum olim pluris feciſſe, & dilexiſſe teſtatur, nunc vero ita diligere, ut ejus emendationem quæreret; quare Paulinum, ut ab ejuſdem inſidiis caveret admonendum duxit: *Pelagium, quem ſervum Dei dilexeris, novimus; nunc autem quemadmodum diligas ignoramus, nam & nos non ſolum dileximus ſed & diligimus eum. Sed aliter nunc diligimus, aliter quando dileximus; tunc enim quia nobis rectæ fidei videbatur, nunc autem, ut ab iis, quæ inimica & adverſa gratiæ ſentire dicitur, illius miſericordia liberetur*; hinc addit ſe ejuſdem librum, ſuppreſſo Pelagii nomine, *ne offenſus inſanabilior redderetur, confutaſſe*, libro ſcilicet de natura & gratia. Ad Paulinum epiſtolas dediſſe Pelagium ex Auguſtino ſcimus, quarum in libro de gratia Chriſti cap. 34. meminit, ac Pelagii verba referens, adnotat: *Legant illam epiſtolam, quam ad ſanctum virum Paulinum ante duodecim fere annos ſcripſimus, quæ tercentis fere verſibus nihil aliud, quam Dei gratiam, & auxilium confitetur*. His tamen continuo Auguſtinus ſubjungit: *Hanc ego epiſtolam legi, & inveni eum pene per totam non immorari, niſi in facultate, & poſſibilitate naturæ, & pene ibi tantum gratiam Dei conſtituere*. Apertius adhuc mentis ſuæ venena aperuerat in commentario in epiſtolas Pauli circa annum 410. edito: *Auſus eſt* inquit Mercator, *memoratus*, Pelagius, *ante vaſtationem urbis Romæ in Apoſtolum Paulum commentarios condere, & his edere, de quorum amicitia præſumebat. Explanare autem ſe putavit ſingula Apoſtoli verba vel ſenſus. In epiſtola igitur, quæ eſt ad Romanos, cum ad illa loca veniſſet ubi vas electionis ita loquitur: Sicut per unum hominem in hunc Mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit; exemplo ſeu imagine uſus eſt*, ajebat Pelagius. Marius vero Mercator adnotat: *Poſteros hic dicit, non omnes ubique, & omnino totos homines læſos illius peccato, ſed illos tantum, qui per imitationem ſimiliter ſuis peccatis, & propriis factis ſuis ſunt rei prævaricationis, ſicut Adam*. Venenatam quoque ad Demetriadem epiſtolam dederat, ut eam ad virtutes excitaret, quam hæreſis ſuæ ſale

Jesu Chr. an. 412.

Auguſt. de geſtis Pelag. 22.

Epiſt. 146.

Epiſt. 186.

Marius Merc. commonit.

Ad Rom. cap. 5.

Jesu Chr. an. 412.

aſperſerat; ut mirum ſit eam Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, olim inſcriptam fuiſſe, nunc vero apud Hieronymum, & Auguſtinum in Appendice rejectam. Tandem teſte Gennadio: *Pelagius Hæreſiarches, antequam proderetur hæreticus, ſcripſit ſtudioſis tres neceſſarios de Trinitate libros, & pro actuali converſatione Eulogiarum, ex divinis Scripturis librum unum capitulorum indicis in modum Sancti Cypriani martyris præſignatum*. Hactenus de Pelagii initiis, & ſcriptis ad hæc tempora, quibus ejuſdem hæreſis vulgata, & damnata primum eſt Carthaginenſi ſynodo hoc anno habita, ut infra videbimus; quare etſi de initiis Pelagianæ hæreſis variæ eruditorum ſint opiniones, nos tamen hoc eodem anno, quo primum Eccleſiæ auctoritate confutata, & damnata eſt, ejuſdem initia alliganda cenſuimus.

Gennad. de ſcript. Eccleſ. cap. 42.

De Cœleſtio altero Pelagianæ hæreſis Coryphœo.

Vſſer. pag. 208.

Hier. epiſt. 143.

13. Sicuti Britannia Pelagium, ita vicina Hibernia, ſeu Scotia Cæleſtium genuit, alterum Pelagianæ hæreſis coryphæum. Hinc ſicuti a Pelagio Pelagiana eſt appellata, ita Cœleſtiana quoque a Cœleſtio dicta fuit. *Auctoribus vobis, hæreſis Cæleſtiana jugulata eſt*, ait Hieronymus in epiſtola ad Alypium, & Auguſtinum; alibi vero de Cœleſtii patria ludens idem Hieronymus: *Nuper indoctus*, ait, *calumniator erupit, qui commentarios meos in epiſtolam Pauli ad Epheſios reprehendendos putat, nec intelligit nimia ſtertens vecordia leges commentariorum, nec recordatur ſtolidiſſimus, & Scotorum pulſibus prægravatus*; & alibi de Pelagio Cœleſtii præceptore verba faciens: *Ipſe*, inquit, *mutus latrat per Albinum*, ideſt Cœleſtium; *canem grandem & corpulentum, qui calcibus magis poſſit ſævire, quam dentibus. Habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia*. His verbis Pelagium ab Hieronymo deſignatum fuiſſe nonnulli ſcribunt; Cœleſtio tamen Scoto ea convenire adnotant eruditi. Alia tamen eſt de Cœleſtii patria Garnerii ſententia, quem Campanum magis fuiſſe, aut Romanum ſcribit; ac Campanum a Proſpero his verſibus dictum fuiſſe addit:

Hieronymi præmio in Jerem. lib. 1.

Præmio in Jerem. lib. 3.

Bar. 410. 61. Vſſer. antiq. Britan. cap. 8. p. 209. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 2. Baſnag. an. 412. 2. 9.

Aut hunc fruge ſua Æquorei pavere Britanni

(Pelagium ſcilicet); de Cœleſtio deinde;

Aut huic Campano gramine corda tument;

hoc

Hoc tamen verſu Julianum potius Campanum, aut Apulum a Proſpero indicatum fuiſſe vero propius eſt. De Cœleſtii patria *facilius eſt*, inquit idem Garnerius, *pervulgatam opinionem convellere, quam verum aliquid certo definire*; quare dum certiora de Cœleſtii patria in lucem non prodantur, cum Baronio, & Noriſio Scotum fuiſſe vero ſaltem ſimile ſit. Hic teſte Mario Mercatore, *nobilis natus quidem, & illius temporis auditorialis Scholaſticus, ſed naturæ vitio eunuchus matris utero editus*: qui etiam *antequam Pelagianum dogma incurreret*, ait Gennadius; *immo adhuc adoleſcens, ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio epiſtolas in modum libellorum tres, in omnibus Deum deſiderantibus neceſſarias*. Quæ de Cœleſtii monachatu poſt Caſſianum a Baronio ceteriſque paſſim traduntur, ex vulgari opinione prodiiſſe adnotat Garnerius, cui difficile viſum eſt inter auditoriales Scholaſticos primum Cæleſtium militaſſe, eumdemque a teneris unguiculis monachum egiſſe. Facile tamen hæc inter ſe conciliari poſſe quiſque intelliget, ſi paulo latius adoleſcentis verbum a Caſſiano uſurpatum de Cœleſtio monacho exponantur, ita ut, cum primum inter Scholaſticos nomen dediſſet, ad Monachos deinde adhuc adoleſcens tranſierit; quod etiam ex epiſtolis ab eodem e monaſterio ad Parentes datis Caſſianus confirmat. Cum autem magiſtro ſuo Pelagio acrioris ingenii eſſet Cœleſtius, ita & in prædicanda hæreſi liberior audaciorque fuit. Unde Pelagius *aſtutior*, Cœleſtius *liberior* ab Auguſtino dictus eſt: & iterum: *Attendite quid Cæleſtius apertiſſime dixerit, & ibi videbitis, quid vobis Pelagius occultaverit... Hunc ſenſum vobis aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem diſcipulus ejus palam, & ſine ullius obſcuritatis ambagibus apud ſedem Apoſtolicam profiteri non erubuit, nec timuit*; quem etiam hominem acerrimi ingenii fuiſſe Auguſtinus teſtatur. Hieronymus tamen adverſarios ſuos ſpernere aſſuetus, Pelagii æque ac Cæleſtii ingenium deprimit, hæc de Cæleſtio adnotans: *Unus diſcipulorum ejus, immo jam magiſter, & totius ductor exercitus, & contra Apoſtolus vas perditionum per ſolæciſmorum, & non ut ſui jactant, per ſyllogiſmorum ſpineta decurrens, ſic philoſophatur, & diſputat &c.*

14. Hic ergo cum erroris magiſter factus eſſet, ac præceptore ſuo Pelagio audacior notiorque avaſiſſet, apertius hæreſim

Jesu Chr. An. 412.

Diſſert. 1. in Mar. Mercat. cap. 5.

Mar. Mercat. commonit. ad Pintam.

Gennad. de ſcript. ecclet. cap. 44.

Ut ſup. pag. 140.

Auguſt. de peccat. orig. cap. 6. & 12.

Auguſt. contra duas epiſt. Pelag. lib. 2. cap. 3.

Hieronymi epiſt. ad Cteſiph.

Hæreſis Pelagianæ præcipua capita.

Jesu Chr. an. 412.

reſim fidelium auribus inſuſurrare cœpit, ac privatim, palamque errores ſpargere: cujus hæreſis præcipua capita, de quibus in ſynodo Carthaginenſi accuſatus eſt Cœleſtius, hæc, teſte Auguſtino, erant. *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, mortuus fuiſſet. Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, non genus humanum. Quoniam parvuli qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, nec per Reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. Quoniam lex mittit ad Regnum Cœlorum, quomodo & Evangelium. Quoniam ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, ideſt ſine peccato.*

Pelagius, & Cœleſtius in Africam navigant.

15. Cum ergo Pelagius & Cœleſtius hujuſcemodi errores, unde tota Pelagianorum hæreſis viget, Romæ primum, deinde in Sicilia aliquandiu docuiſſent; tandem altero ab hinc anno in Africam navigantes, Carthaginem appulere, unde Pelagius paulo poſt decedens, cum in Palæſtinam tranſiiſſet, ibidem Cœleſtius aliquandiu ſubſtitit, uſque dum hæreſis accuſatus a Carthaginenſi ſynodo damnatus eſt, ut mox videbimus. Eos autem Romæ primum hæreſim diſſeminaſſe, Cœleſtius ipſe in ſynodo Carthaginenſi teſtatus eſt, dum ſe Romæ a Ruffino traducem peccati non eſſe accepiſſe confeſſus eſt; Pelagium quoque ibidem in epiſtolas Pauli commentaria, hæreſis ſuæ undique conſpurcata, vulgaſſe ſcimus. In Sicilia vero diu etiam ſubſtitiſſe eos, apertiuſque hæreſim diſſeminaſſe inde patet, quod Epiſcoporum plurimos in ſuas ibidem partes traxerint, ita ut pertinaciter iiſdem inhærentes, ſedium ſuarum, communioniſque Eccleſiæ jacturam facere potius elegerint, quam eorum condemnationi ſubſcribere, quorum extat etiam libellus Zoſimo Pontifici, eorum nomine a Juliano oblatus; quamplurimos vero ibidem fuiſſe, qui Pelagii erroribus faverent, indicat Hieronymus dum ait: *Hæreſis impaſſibilitatis, & impeccantiæ cæpit reviviſcere, & non ſolum in Occidentis, ſed & in Orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præcipueque Sicilia, & Rhodi maculare pleroſque.* Proſper etiam cecinit:

Apud. Coutan. pag. Hier. Præf. in lib. 4. in Jerem.

Quo-

Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens
Agmen vipereum propriis exegerit oris,

JESU CHR. AN. 412. *Proſp. carm. de ingrat.*

Tandem Hilarius Siracuſis ad Auguſtinum ſcribens: *Rogo*, ait, *ut digneris imperitiam meam informare de eo, quod quidam Chriſtiani apud Siracuſas exponunt, poſſe hominem ſine peccato eſſe, & mandata Dei facile implere ſi velit. Infantem non baptizatum morte præventum non poſſe perire merito, quoniam ſine peccato naſcitur &c.* quorum inſaniam epiſtola ſequenti confutat Auguſtinus. Pelagius itaque una cum Cœleſtio anno proximo Sicilia ſolvens, transfretavit in Africam, ac Hipponenſi littore exceptus eſt: *Poſtea quam in Africam venit*, ait Auguſtinus, *me abſente, noſtro, ideſt Hipponenſi littore exceptus eſt, ubi omnino nihil ab illo hujuſmodi auditum eſt, quia & citius quam putabatur inde profectus eſt. Poſtmodum ejus faciem Carthagine quantum recolo, ſemel vel iterum vidi*, cum collationis cum Donatiſtis celebrandæ cauſa ibidem eſſet.

Apud Auguſt. epiſt. 156.

Auguſt. de geſtis Pelag. cap. 22.

16. Cum autem diſcedente in Palæſtinam Pelagio, Carthagine ſubſtitiſſet Cœleſtius, ibique non ſolum clericis hæreſis ſuæ venena propinaret, ſed in vulgus etiam ſpargere conaretur, accuſatus a Paulino Diacono apud Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, quod Carthaginenſem plebem erroribus inficeret, diſſidiaque excitaret; a ſynodo, quam ineunte vere, ut moris erat, Aurelius congregaverat, vocatus eſt, atque de doctrina ſua interrogatus, quæ eidem objecta ſunt, aut confeſſus eſt, aut tergiverſationibus reſpondere detrectavit, ut narrat Auguſtinus, ex quo, poſt jacturam actorum, ſynodi geſta habemus. Inter cetera, cum eum accuſaſſet Paulinus, quod Originale peccatum negaret, repoſuit: *Dixi de traduce peccati me dubium eſſe, ita tamen, ut cui donavit Deus gratiam peritiæ, conſentiam, quia diverſa ab eis audivi, qui utique in Eccleſia catholica conſtituti ſunt presbyteri*. Inſtante Paulino, ut auctorum nomina proderet, reſpondit: *Sanctus presbyter Ruffinus, Romæ qui manſit cum ſancto Pammachio, ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non ſit*, ac inſtante accuſatore, ut aliorum nomina diceret, indignatus reſpondit: *Non tibi ſufficit unus Sacerdos?* Poſt aliqua cum Au-

Cœleſtius in ſynodo Carthaginenſi accuſatus, cum hæreſi ſua damnatur.

Auguſt. de peccat. Orig. contra Pelag. lib. 2. cap. 1. & 2.

Jesu Chr. an. 412. Auguſt. de geſtis Pelag. cap. 11.

Aurelius Epiſcopus, ut oblatus a Paulino libellus legeretur juſſiſſet, Cœleſtium interrogavit, num revera dixiſſet, infantes in eo ſtatu nunc naſci, in quo ante prævaricationem fuerat Adam. Cui Cœleſtius etſi ad rem propoſitam tergiverſando reſpondere detrectaret, tandem tamen hæc confeſſus eſt: *De traduce peccati, quia intra Catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, necnon & alios aſtruere, licet quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis; Infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari, quid quæris aliud?* Marius vero Mercator de ſynodi Carthaginenſis exitu addit, Cœleſtium in ea ſynodo accuſatum, eo quod hæreſim ejurare recuſaverit, condemnatum fuiſſe, & eccleſiaſtica communione privatum; a qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum. At mox appellatione neglecta, Epheſum Aſiæ urbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum presbyteri petere; diu tamen ibidem morari, ac errores ſuos Cœleſtium ſpargere, paſſi non ſunt Epheſinæ eccleſiæ catholici, ut his verſibus indicat Proſper.

Mar. Mercat. commonit. cap. 1. pag. 7. edit. Garn. apud Labb. tom. 2. pag. 1512.

Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere lectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Retract. lib. 2. 33.

Carthaginenſi ſynodo ſe non adfuiſſe teſtatur Auguſtinus, cujus tamen acta, cum poſtmodum illuc adveniſſet, diligentiſſime collegit. Unde in libro de geſtis Pelagii, Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo inſcripto, quæ Pelagio objecta fuerant, recolens, addit: *Hæc ita objecta ſunt, ut etiam apud Carthaginem a ſanctitate tua, & ab aliis tecum Epiſcopis dicerentur audita atque damnata; ubi quidem ut recolis, ipſe non fui, ſed poſtea cum veniſſem Carthaginem, eadem geſta recenſui.* Synodi vero epocham ex ſynodali epiſtola concilii Carthaginenſis ad Innocentium Pontificem in cauſa Erotis & Lazari data anno 416, ſcimus, qua inter cetera hæc leguntur: *Unde factum eſt, ut recenſendum peteremus, quod ante fere quinquennium ſuper Cœleſtii nomine hic apud eccleſiam Carthaginenſem fuerat agitatum.* Id demum adnotandum reſtat, ab Carthaginenſi ſynodo hoc anno celebrata, eccleſiaſtico, ac Epiſcopali judicio tunc primum Pelagianam hæreſim in Cœleſtio fuiſſe damnatam,

De geſtis Pelag. cap. 25.

Bar. 412. n. 26.

quam

quam antea a Romana ſede in Joviniano anathemate percuſſam fuiſſe tradit Baronius, ut vere Proſper carmine ſuo de ingratis dicere potuerit:

Talia cum demens late diffunderet error;
Commentiſque rudes traheret lœthalibus aures;
.... Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput Mundo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet &c.

Cum tamen in his verſibus explicandis diſſentiant eruditi, ne pluribus immoremur, adnotare ſat erit, Romanam ſedem, Innocentii ſcilicet Pontificis ſententia, Pelagianam hæreſim præ ceteris, ac primo condemnaſſe, non temporis ordine, ſed auctoritate; nam cum a ſententia ſynodi Carthaginenſis ad Romanam ſedem appellaſſet Cœleſtius, ut ex Mario Mercatore audivimus, illius ſynodi ſententia in ſuſpenſo remanſit, uſque dum eam Romana ſedes calculo, & auctoritate ſua confirmavit: atque hæc de Pelagianæ hæreſis initiis, progreſſibuſque uſque ad hunc annum dicta ſatis ſint, de qua ſequentibus annis ſæpe & plura dicenda reſervamus.

Pag. ad an. 412. not. 13. ad 16.
Vide Noriſ. *hiſt.Pelag.lib. 1.cap. 10.*
Garner. in Mar.Mercat. diſſert. 2. de ſynod. p. 165.
Nat.Alex. ſecul. 5. diſſert. 2.

Theophili Alex. Epiſc. obitus, & ſcripta.

17. Theophilus interea Alex. Epiſcopus hoc anno vitam temporalem cum æterna commutavit, ut auctor eſt Socrates: *Aliquanto poſt Theophilus Alex. Epiſcopus morbo veterni correptus extremum diem obiit, Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ.* cum eam ſedem annis 27., menſibus aliquot tenuiſſet; ordinatus quippe anno 385. Arcadio Aug. 1. & Bautone Coſſ. ut idem Socrates adnotat; vir quidem multæ eruditionis, acriorisque ingenii, ac in Idololatriæ reliquiis extirpandis ſollicitus, ut ſuo loco adnotavimus. At immoderata pecuniarum cupido, & dominandi libido in tranſverſum aliquando, ne in præceps dicam, tranſegit, ut perſecutiones ab eo adverſus monachos, & contra Joannem Chryſoſtomum excitatæ teſtantur. Inſtante tamen morte cum eo in gratiam rediiſſe narrat Damaſcenus ex Iſidoro Diacono: *Theophilus ob illud peccatum*, quod Joannis nomen in eccleſia recitari numquam paſſus fuerat, *non poterat animam agere, donec allata ei fuit imago Chryſoſtomi, quam ille cum adoraſſet, ſpiritum emiſit.* Theophili memoriam cum elogio celebrarunt inter alios S. Leo Papa

Socrat. lib. 7. 7.
Renad. hiſt. Patriarch. Alex. p. 108.
Socrat. lib. 5. 12.
Socrat. lib. 5. 16. 17.
Joann. Damaſc. de imag. lib. 3. circa finem.

JESU CHR. AN. 412. Leo epiſt. 64. & 52.

Papa primus, ſeu Magnus, qui ad Marcianum Imp: *Sanctæ memoriæ Theophilus*, inquit, *Alex. eccleſiæ Epiſcopus*; & in altera ad Epiſcopos Galliæ de eccleſia Alex. loquens: *Poſtea*, addit, *recentioribus a noſtra ætate temporibus, Athanaſium, Theophilum, & proxime Cyrillum probatiſſimos Præſules habuit*. Chryſoſtomi tamen cauſa, a Romanæ eccleſiæ communione alienum pene fuiſſe, ſcimus; unde Carthaginenſis ſynodus anno 407. celebrata, de reintegranda unitate: *Placuit, ut de diſſenſione Romanæ atque Alex. Eccleſiæ ad ſanctum Papam Innocentium ſcribatur, quo utraque eccleſia intra ſe pacem, quam præcepit Dominus, teneat*. Quæ tandem ſub Cyrillo Theophili ſucceſſore reſtituta eſt, cum Joannis Chryſoſtomi nomen Dypticis inſertum fuit, ut infra ſuo loco adnotabimus. Theophili ſcripta recenſens Gennadius, addit adverſus Origenem ſcripſiſſe grande volumen, in quo omnia pene ejus dicta, & ipſum pariter damnaſſe; Antropomorphitas etiam hæreticos, qui Deum humana figura, & membris conſtare dicebant, diſputatione longiſſima confutaſſe. Paſchalem etiam cyclum, additis quibuſdam ipſius feſtivitatis rationibus & expoſitionibus, Theodoſio obtulit. Tres quoque de Fide libros ſub nomine ejus vulgatos fuiſſe commemorat, qui an Theophilo inſcribendi ſint, in incerto relinquit. Tres tamen ſuperſunt ejuſdem Paſchales epiſtolæ a S. Hieronymo latinitate donatæ, ac alia fragmenta, quæ cum ejus opuſculis tomo quinto Bibliothecæ Ss. Patrum inſerta ſunt.

Codex can. eccleſiæ Afric. cap. 101.

Gennad. de viris Illuſt. cap. 33. tom. 2. op. Hier. edit. Veron. p. 966.

Biblioth. SS. PP. tom. 5.

Cyrillus poſt Theophilum Alex. Epiſc. ordinatur. *Socrat. lib. 7. 7.*

18. Poſt Theophili obitum, de ſucceſſore eligendo orta contentio eſt, cum alii Timotheum Archidiaconum, alii vero Cyrillum ſororis Theophili filium in ea ſede collocare ſtuderent, ait Socrates. Timotheo favebat Abundantius dux militum, at die tertio poſt Theophili obitum Cyrillus ordinatus eſt, qui Epiſcopatus ſui initio *ſacerdotalem gradum atque ordinem ſupergreſſi* Alex. *Epiſcopi, Principatum quemdam obtinere, & cuncta pro Imperio agere cœperint*; clauſis Novatianorum eccleſiis, quotquot erant Alexandriæ, primo quidem ſacra eorum vaſa atque ornamenta abſtulit, deinde Epiſcopum illorum Theopemptum omnibus ſuis facultatibus nudavit, ait Socrates.

Chryſanthus Novatianorum Epiſcopus CP. ordinatur.

19. Ad Novatianorum hiſtoriam pertinet Chryſanthi ordinatio, quem hoc anno in ejus ſectæ Epiſcopum CP ordinatum fuiſſe ex eodem Socrate ſcimus, dum de ejus obitu hæc ad-

adnotat: *Per idem tempus Chryſantus Novatianorum Epiſcopus, cum per ſeptem annos religionis ſuæ eccleſias gubernaſſet, ex hac vita diſceſſit Monaxio, & Pintha Coſſ.* ideſt anno 418., ex quo ſi ſeptem demas, ad labentem 412., pervenies, quo ordinatus fuit. Vir erat, ſi Socrati fides habenda, prudentia ſimul & modeſtia ſingulari ornatus, cujus opera Novatianorum eccleſiæ CP plurimum auctæ, & conſervatæ ſunt; qui cum ab ineunte ætate in Palatio militaſſet, ſub Theodoſio ſeniori Conſularis Italiæ factus, exinde, Vicarius Britanniarum, ex utraque adminiſtratione maximam ſibi gloriam promeruerat. CPolim vero cum rediiſſet, Siſinnius Novatianorum Epiſcopus morti proximus eum Epiſcopatu dignum pronunciavit. Quo factum eſt, ut Novatianorum plebs invitum ſuæ ſectæ Epiſcopum deſtinaret. Is vero Novatianorum Epiſcopus ordinatus, non ſolum a plebe ſibi ſubdita nil accipiebat præter duos panes Eulogiarum ſingulis diebus Dominicis, ſed etiam ſuis impenſis pauperes ſublevabat; cumque eccleſiæ ſuæ promovendæ ſtudioſus eſſet, Ablabium ſui temporis diſertiſſimum, e ſchola Troili Sophiſtæ abreptum, presbyterum ordinavit, qui poſtea Nicææ Novatianorum Epiſcopus fuit, eodemque tempore illic Rhetoricam docuit. Ipſe vero Chryſanthus cum Novatianorum eccleſias CPoli uſque ad annum 419. Coſſ. Monaxio & Plinta adminiſtraſſet, e vivis abiens, locum Paulo reliquit, ut ait Socrates, de quo etiam mira narrat. Ceterum etſi de Siſinnio, Chryſantho, & Paulo Novatianorum Epiſcopis multa, ac mira narret Socrates, vix tamen hæc fidem habent, utpote ab auctore Novatiani ſchiſmatis ſuſpecto relata.

Socrat. lib. 7. 17.

Socrat. ut ſupr. cap. 12.

Lib. 7. 17.

20. Quam Anyſio Theſſalonicenſi Epiſcopo conceſſerat Innocentius, ſeu potius confirmaverat, vicariam Romanæ ſedis in Illirico poteſtatem, Rufo Anyſii ſucceſſori hoc anno idem Pontifex contulit; ad quem ſcribens ait, quod ſicuti ex Jethri conſilio conſtituti ſunt viri dignitate & ſapientia graves, qui cauſarum multitudines definirent, dum Moiſes divinis conſultationibus vacaret; ita addit Innocentius: *Longis intervallis diſterminatis a me eccleſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam cauſaſque, ſi quæ exoriantur per Achajæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ, Dardaniæ, & Prevali eccleſias Chriſto Domino annuente cenſeant. Vere enim ſacratiſſimis monitis lectiſſimæ ſinceritatis*

Innocentii Papæ epiſt. ad Rufum Theſſal. Epiſc. *Apud Coutan. pag. 815.*

Jesu Chr. an. 412.

tuæ providentiæ , ac virtuti hanc injungimus ſollicitudinem , non primitus hæc ita ſtatuentes , ſed præceſſores noſtros Apoſtolicos imitati , qui Beatiſſimis Aſcholio , & Anyſio , Rufi anteceſſoribus , *injungi pro eorum meritis iſta voluerunt* . Quare ut delegatam Eccleſiarum curam attente perageret , & majores cauſas aut difficiores ad Apoſtolicam ſedem reſervaret , *admonet* , data XV. Kal. Julias , Honorio IX. , & Theodoſio Coſſ. ideſt 17. Junii labentis anni ; eaque epiſtola , quæ eſſent Vicariorum Rom. ſedis iis in locis jura , qua ratione definiendæ , componendæque eſſent controverſiæ , ſi quæ fortaſſe exorirentur , ſatis aperte Innocentius declarat , ut plura addere ſuperfluum ſit .

Innocentii epiſt. ad AureliumCarthag. Epic. de Paſchate. *Apud Coutan. pag.* 818.

21. Alteram ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum Africæque Primatem epiſtolam Innocentius hoc anno dedit , qua de die Paſchatis anni proximi admonuit ; unde poſt præfationem : *Has ergo litteras de ratione Paſchali alterius* (*dico futuri*) *anni præſcripſi* , quod feſtum undecimo Kal. Aprilis celebrandum eſſe jubet . *Jam prudentiæ tuæ erit , conſors mihi frater , cum unanimis , & conſacerdotibus noſtris , hanc ipſam rem in ſynodo religioſiſſima retractare , ut ſi nihil diſpoſitioni noſtræ reſultat , nobis pleniſſime aperteque reſcribas , quo deliberatam Paſchalem diem , jam litteris ante , ut moris eſt , ſervandam ſuo tempore præſcribamus* , ideſt omnibus ubique per Occidentem intimemus ; ut a Rom. Pontifice fieri ſolebat . Archidamnum deinde compresbyterum Aurelio etiam atque etiam eadem epiſtola commendat .

Maruthæ Epiſcopi legatio adPerſas. *An.* 403. *An.* 405.

22. Hoc etiam tempore Maruthas Tigritenſis , ſeu Martyropolis in Meſopotamia Epiſcopus , quem ſynodo ad Quercum adfuiſſe ſupra adnotavimus , quemque Olympiadi ex exilio ſuo commendaverat Chryſoſtomus , hoc inquam tempore , vir pietate , doctrina , miraculorumque gratia celeberrimus , legatione apud Perſas inita , illuſtrior evaſit ; de quibus audiendus eſt Socrates , qui Cyrilli ordinatione narrata , quam hoc anno contigiſſe ſcimus , de Marutha capite ſequenti hæc ſubdit : *Sub idem tempus Chriſtiana religio in Perſide propagata eſt hujuſmodi ex cauſa* ; quod cum frequentes ad Perſas legationes a Romanis mitterentur , inter eos Maruthas in Perſidem profectus , cum non ſolum pietate , prudentia , ſed ſignis etiam & miraculis gratiam Regis Perſarum ſibi meruiſſet , chriſtianæ Religioni amplificandæ , dilatandæque ſtuduit ; inpri-

Socrat. lib. 7. 7. *Cap.* 8.

primis etenim Regem diuturno capitis dolore laborantem precibus ſuis liberavit; quare metuentes Magi, ne aliquando chriſtianus fieret, ad fraudes & impoſturas, ut Regem fallerent, ſe ſe converterunt, ac in templo, ubi Perſarum more Rex ignem adorare conſueverat, hominem ſub terra occuluerunt, juſſum clamare cum Rex adveniſſet, foras eum eſſe exturbandum, *qui Sacerdotem Chriſtianorum Deo carum eſſe exiſtimet*: quare turbatus Isdegerdes, Marutham dimittere cogitabat; hic vero fraude Magorum detecta Regem adiens: *Noli*, inquit, *o Rex amplius deludi*, *ſed ingreſſus*, *poſtquam vocem audieris*, *effoſſa humo fraudem invenies*. Conſilium Maruthæ ſecutus Rex, impoſtore latitante detecto, ira inflammatus, Magorum plurimos extremo ſupplicio affecit, ac Maruthæ permiſit, ut ubicumque vellet eccleſias ædificaret; unde chriſtiana religio latius inter Perſas propagata eſt. CPolim vero reverſus Maruthas, paulo poſt ad Perſas iterum legatus mittitur, quem renitentibus, invidentibuſque Magis ac iteratis fraudibus arcere conantibus, maximo in honore habuit Isdegerdes, ex eoque tempore Romanos, eorumque Religionem diligere, ac venerationi habere cœpit, cum chriſtianæ Religionis vim, & Maruthæ ſanctitatem cognoviſſet, in eo præcipue quod Maruthas, adjuncto ſibi Abda Epiſcopo, precibus ad Deum fuſis, Regis filium a dæmone vexatum liberaverit. Isdegerdes interea morte præventus, regnum Vararani filio relinquit, quo imperante circa annum 420, ut ibidem dicturi ſumus, iterum non ſolum bellum inter utrumque Imperium, ſed etiam adverſus Chriſtianos dira perſecutio excitata eſt. De Marutha, ejuſque geſtis, & ſcriptis plura videri poſſunt apud Baylet, aut apud Joſephum Aſſemanum, & Stephanum Evodium Archiepiſcopum Apamenſem, Aſſemani in bibliothecæ Vaticanæ Præfectura ſucceſſorem, ac omnigenæ eruditionis æmulatorem. Maruthæ memoria die 4. Decembris Martyrologio Rom. recolitur.

Tom. 1. biblioth. Orient. cap. 12. pag. 174. Præf. in acta Martyr. Orient. tom. 1. pag. 46. & ſequentibus.

JE-

Jesu Chr. an. 413.

JESU CHRISTI an. 413. Innocentii Papæ 13. Honorii Imp. 21. et 19. Theodosii Jun. 12. et 6. Coss. Lucio, et Heracliano.

Heracliani conſulis rebellio, & interitus.

1. Cum Heraclianus ab Stilichonis tyrannide Honorium liberaſſet, ac Attalum ex Africa propulſaſſet, Africæ Præfectura exornatus, ac Conſulatus honore, hoc eodem anno immani ſcelere, rebellione ſcilicet adverſus Honorium, præclare geſta, adeptaſque dignitates violavit, eouſque temeritatis progreſſus, ut navium, militumque collecta manu, Romam quoque occupare tentaverit. At repulſam paſſus, vitam amiſit; cujus nomen e faſtis undique abraſum, ſcelerum tantum fama apud poſteros tranſiit, quem in ſua ad Demetriadem epiſtola his coloribus pingit Hieronymus, de Proba Demetriadis avia loquens: Quæ *de medio mari fumantem viderat patriam*, ideſt Urbem, & fragili cymbæ ſalutem ſuam, ſuorumque *commiſerat* (anno 409.) *crudeliora invenit Africæ littora. Excipitur enim ab eo*, ideſt Heracliano, *quem neſcias utrum avarior, an crudelior, cui nihil dulce præter vinum & pretium, & qui ſub occaſione Clementiſſimi Principis* (Honorii) *ſæviſſimus omnium extitit tyrannorum*. Hic itaque, teſte Oroſio, conſulatum adeptus, Sabinum quemdam, virum ingenio callidum, induſtriaque ſolertem generum ſuum, conſiliorum ſuorum participem fecit; *atque Africana annona aliquamdiu retenta*, ut Urbem fame affligeret; ipſe cum immenſa claſſe, trium ſcilicet millium, & ſeptingentarum navium, quot non habuiſſe Xerſem, aut Magnum Alexandrum adnotat, Urbem petens, *occurſu Comitis Marini territus, & in fugam verſus, arrepta navi, ſolus Carthaginem rediit, atque ibi continuo militari manu interfectus eſt, Sabinus gener ejus CPolim fugit, unde poſt aliquantum tempus retractus, exilioque damnatus eſt*, ait Oroſius. De Heracliani autem clade hæc addunt faſti Idaciani: *Heraclianus movens exercitum de Africa adverſus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu ſuperatus, effugit in Africam, cæſis in loco ſupradicto quinquaginta millibus armatorum; ipſe poſt Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percuſſoribus miſſis occiditur*. Hoc loco Idacium occiſorum numerum in immenſum exageraſse adnotat Muratorius; cum præcipue Marcellinus in chronico ad ſequentem annum, cum ſeptingen-

Hier. epiſt. 129.

Oroſ. lib. 7. 42.

Murat. annal. an. 413.

gentis navibus, ac tribus millibus armatorum in Italiam Heraclianum transfretaſse narret.

Reſcripta in Heraclianum, ejus nomen e faſtis abraſum.

2. De Heracliani interitu extat Honorii reſcriptum, quo publici hoſtis, ſociorumque cervices reſecari jubet. *Heraclianum hoſtem publicum judicantes, digna cenſuimus auctoritate puniri, ut ejus reſecentur infauſtæ cervices, ejus quoque ſatellites pari intenſione perſequimur &c.* facta cuilibet, ſive privato, aut militari rebelles perdendi poteſtate, *data* III. *nonas Julii Ravennæ* poſt Coſſ. Honorii nonum, & Theodoſii quintum. Reſcripto altero, perduellis nomen delendum e faſtis, jubet, ac ſub eo geſta irritantur, hæc Adriano Præfecto Prætorii ſcribens III. non. Aug: Romæ: *Heracliani vocabulum nec privatim nec publice ulla memoria teneat: ideoque ſubmovenda eſſe cenſemus, quæcumque ſub eo geſta eſſe dicuntur. Libertates quoque, quoniam certum eſt ſcelere ejus ſolemnitatem conſulatus eſſe pollutam, in melius revocamus*, ita ut ratæ quidem eſſent, a dominis tamen manumiſſiones iterandæ, *ut nullus ſub hac occaſione incipiat nolle, quod voluit*. Heracliani gener Sabinus, cum CPolim aufugiſſet, exilio paulo poſt mulctatus eſt, ut narrat Oroſius loco ſupracitato.

Cod. Theod. de pœnis. l. 21. lege 13. de infirm. iis quæ ſub tyrann.

Marcellinus Comes a Marino occiſus.

3. Cum in Heraclianæ rebellionis ſocios crudelius inquireret Marinus, nonnullos innocuos, aut leviter ſuſpectos ſupplicio affecit; inter eos Marcellinum Comitem, & Notarium, quem collationi a Catholicis cum Donatiſtis anno 411. habitæ præfuiſſe, ac judicem egiſſe vidimus; hunc quidem, in tanto periculo poſitum, Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, Auguſtinus, aliique, Cæcilianum Africæ Proconſulem adeuntes, eripere conati ſunt, ſpemque iis Cæcilianus dederat; at ubi occiſum fuiſſe Auguſtinus accepit, datis ad Cæcilianum epiſtolis impium facinus mœrens deteſtatus eſt; inter cetera: *Nos interea, quoniam rumor erat, quod eccleſiaſtica manus poſſet eos eripere, falſis promiſſionibus ludebamur, ut illo non ſolum volente, ſed etiam inſtante pro eis ad Comitatum Epiſcopus mitteretur, ea pollicitatione interpoſita Epiſcopalibus auribus, quod donec pro eis aliquid illic ageretur, nullum cauſæ illorum excitaretur examen. Poſtremo pridie quam ferirentur, venit ad nos præſtantia tua, ſpem dediſti, qualem numquam antea dederas &c.* Epiſcoporum ſpem Marini perfidia feſellit, nam poſtero die, quem ſuccedebat ſolemnitas Beati Cypriani, ad ſupplicium eos Marinus duci juſſit, idibus ſeptembris, ſeu die

Auguſt. epiſt. 151.

Noriſ. lib. 1. 5. Epiſt. 151.

Jesu Chr. An. 413.

die 14. ut in hiſtoria Pelagiana adnotavit Noriſius; de quibus iterum Auguſtinus audiatur: *Poſtero die*, inquit, *quo illius parturitionis nefarius fœtus eſt ortus, cum eſſet nobis repente nuntiatum, illos e carcere ad eum judicem ductos, quamquam perturbati fuerimus, tamen ego conſiderans, & quæ nobis pridie dixeras, & qui eſſet poſt illum exorturus dies, quoniam beati Cypriani erat pridiana ſolemnitas, exiſtimavi quod etiam elegerit diem, quo & tibi poſtulata concederet, & univerſam Chriſti Eccleſiam repente lætificans, ad locum tanti Martyris adſcendere voluerit, parcendi benignitate, quam occidendi poteſtate ſublimior; cum ecce nobis nuntius irruit, quo prius percuſſos eſſe noſſemus, quam quomodo audirentur quærere valeremus .... Satis itaque*, ſubdit, *indicavit, ei matri ſe inferre non timuiſſe cruciatum, cujus timuit interventum; Eccleſiæ ſcilicet ſanctæ, inter cujus fideles in ejus gremio baptizatos, & ipſum utique noveramus*, Marinum ſcilicet; de cujus improbitate hæc etiam Auguſtinus adnotat: *Nam ideo poſt illius impiam crudelemque perfidiam*, qua innocentes carceribus deſtinaverat, *cui etiam per tuam nobiſcum participatam ſollicitudinem fruſtra, vehementer inſtitimus, ne illo cor noſtrum dolore perculleret, ſuam vero conſcientiam tanto ſcelere trucidaret, continuo ſum Carthagine profectus, occultato abſceſſu meo, ne tot ac tanti, qui ejus intra eccleſiam gladium formidabant, violentis fletibus & gemitibus me tenerent, putantes meam ſibi aliquid poſſe prodeſſe præſentiam, ut quem ſatis digne pro ejus anima objurgare non poſſem, pro illorum corporibus etiam rogare compellerer; quam tamen eorum corporalem ſalutem ſatis parietes eccleſiæ muniebant. Ego autem duris coarctabar anguſtiis, quod neque ille me pateretur, qualem oporteret: & inſuper facere cogerer, quod non deceret. Dolebam etiam graviter vicem venerabilis Coepiſcopi mei tantæ rectoris eccleſiæ, ad cujus pertinere dicebatur officium, poſt hominis tam nefariam fallaciam adhuc ſe præbere humilem, quo cæteris parceretur. Fateor, cum tantum malum nullo pectoris robore potuiſſem tolerare, diſceſſi &c.* Hactenus de Marini perfidia Auguſtinus, quibus eum juſtitiam, ac fidem datam violaſſe patet.

N. 3.

Marcellinus inter ſanctos relatus. Hier. contra Pelag. lib. 3.

4. Donatiſtarum autem inſidiis periiſſe Marcellinum narrat Hieronymus: *Scripſit dudum vir Sanctus & eloquens Epiſcopus Auguſtinus ad Marcellinum, qui poſtea ſub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis*, ideſt Do-

Donatiſtis, *innocens coactus eſt*; unde Oroſius: *Marcellinum Marinus Comes apud Carthaginem (incertum eſt, zelo ſtimulatus, an auro corruptus) occidit*. Quem mox pœna ſubſequuta eſt, nam ſubdit: *Continuo revocatus ex* Africa, factuſque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conſcientiæ ſuæ dimiſſus eſt. Ne tamen ex Marcellini ſupplicio iterum Donatiſtæ, a quo repreſſi fuerant, inſoleſcerent, reſcripto ſuo Honorius anno ſequenti, ad Julianum Africæ Proconſulem dato, ſarta tectaque eſſe voluit, quæ in Africa hactenus Marcellinus geſſerat: *Notione & ſollicitudine Marcellini ſpectabilis memoriæ viri contra Donatiſtas geſta ſunt ea, quæ translata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem; neque enim morte cognitoris perire debet publica fides: dat. III.* Kal. Septemb. Conſtantio & Conſtante Coſſ. ideſt anno 414. Tandem ut Marcellini famam illuſtrius adhuc vindicaret Baronius, Romano Martyrologio nomen ejus die *6.* Aprilis inſeruit cum hoc elogio: *Carthagine S. Marcellini Martyris, qui ob catholicæ Fidei defenſionem ab hæreticis occiſus eſt*; quem impenſe laudat Auguſtinus in ſæpe citata epiſtola: *Quanta illi probitas in moribus*, inquit, *in amicitia fides, in doctrina ſtudium, in Religione ſinceritas, in conjugio pudicitia, in judicio continentia, erga omnes charitas, in beneficiis præſtandis facilitas, in petendis pudor, in recte factis amor, in peccatis dolor?* Hæc & alia de eo Auguſtinus, cujus caſum ad Cæcilianum ſcribens merito lamentatus eſt.

Jesu Chr. An. 413. *Oroſ. lib. 7. 42.*

Cod. Theod. de hæret. l. 55.

5. Heracliani rebellio vix ſopita fuit, cum Gothorum irruptione Galliæ, finitimæque provinciæ iterum turbatæ ſunt. Ataulphus enim cum Italiam vaſtationibus excurriſſet, tandem in Gallias tranſierat; unde Proſper, & Caſſiodorus in chronico ad annum 412. *Gothi, Rege Ataulpho, Gallias ingreſſi ſunt*; atque ex eo anno Gothicum regnum in Galliis, quod Viſigothorum etiam dictum eſt, initium ducit. Ataulphus quippe cum Jovino fœdus inierat, cito tamen Ataulphum in Gallias recepiſſe Jovinum pœnituit; nam is pacem cum Honorio iniit, ſeque tyrannorum capita miſſurum, ac Placidiam ſororem reſtituturum promiſit; quare ut promiſſa exequeretur: *Sebaſtiani mox caput Imperatori mittitur, Jovinus etiam ab Ataulpho obſeſſus ſe dedidit, miſſuſque ad Imperatorem eſt, quem Dardanus Præfectus ſua manu percutiens, interemit; utriuſque caput extra Carthaginem* (lege Ravennam) *palis* in-

Gothi Ataulpho duce Gallias invadunt.

Olymp. apud Phot. pag. 10.

Jesu Chr. an. 413.

inſixum. Narbonæ obſeſſos ac interfectos a Gothis Jovinum, & Sebaſtianum, qui Honorio hactenus rebelles fuerant, narrat Idacius in faſtis, ac ſubdit: *Gothi Narbonam ingreſſi vindemiæ tempore &c.* De Jovini, ac Sebaſtiani interitu, hæc merito Oroſius adnotat: *Jovinus poſtea vir Galliarum nobiliſſimus in tyrannidem, mox ut aſſurrexit, cecidit. Sebaſtianus frater ejuſdem hoc ſolum, ut tyrannus moreretur, elegit.* Interea Placidiam annonæ negatæ prætextu fratri nequaquam reddidit, *quin de Placidiæ nuptiis ſatagens, Conſtantio eam poſtulanti graviores prætexit poſtulationes, ut ſi compos illarum non fieret, illa juſte retenta videretur*, cum qua nuptias anno ſequenti celebravit. Poſt Narbonam Maſſiliam quoque occupare tentavit Ataulphus; *ſed a Bonifacio nobiliſſimo viro vulneratus, & vix ſalvo capite fugiens, in ſua ſe tentoria recepit, urbe omiſſa, quæ lætitiæ plena, laudibus, ac bonis omnibus Bonifacium eſt proſequuta.*

Oroſ. lib. 7. cap. 42.

Olymp. ubi ſup. 71.

Burgondiones in Gallias irruentes, partem poſſident.

6. Ad malorum cumulum, quibus Galliarum provinciæ a Gothis tyranniſque affligebantur, Burgundionum acceſſit irruptio, de qua ad annum labentem Proſper, & Caſſiodorus adnotant: *Burgundiones partem Galliæ propinquantem Rheno*; ſeu ut ait Caſſiodorus, *Rheno conjunctam, obtinuerunt*. Hi primum Jovino auxilio fuere, ut ex his Olympiodori verbis colligitur: *Jovinus apud Mundacium*, ideſt Mogontiacum, *Germaniæ alterius urbem, ſtudio Ooaris Alani, & Guntiarii Burgundionum Præfecti, tyrannus creatus eſt.* Poſt Jovini interitum, relictis ſedibus, in Gallias tranſierunt; Mogontiacum, ac Brandeburcicum tractum, eos olim incoluiſſe vero ſimile eſt; de quorum moribus, hæc notatu digna narrat Marcellinus: quod Regem facile deponerent, *ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam negaverit terra ... Sacerdos e contra omnium maximus vocatur Siniſtus, & eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis ut Reges.* Gloria ſibi ducebant Burgundiones, ſe *jam inde a temporibus priſcis ſobolem eſſe Romanam*; hinc Oroſius: *Burgundionum*, inquit, *novorum hoſtium, novum nomen, qui pluſquam octoginta millia, ut ferunt, armatorum ripæ fluminis inſederunt. Hos quidem ſubacta interiore Germania a Druſo, & Tiberio adoptivis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos, ajunt in magnam coaluiſſe gentem, atque ita nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limites habitacula conſtituta, Burgos vulgo vocant*, unde Burgon-

Olymp. apud Phot. ut ſup.

Amm. Marcell. lib. 28. 5.

Marcell. 26. 5.

Oroſ. lib. 7. 32.

gondianum nomen eſt derivatum. Sed quidquid ſit de Burgundionum nomine, aut origine, quæ ſane obſcura eſt, de Tiberii, Druſique in Germaniam expeditione nulla apud hiſtoricos memoria extat. Jesu Chr. an. 413.

7. Fauſto quidem, feliciqne auſpicio gens fortiſſima Galliarum partem obtinuit, nam avita ſuperſtitione abdicata, mox Chriſti fidem amplexa, ſanctos quoque mores induit, ut victis Gallis eſſet exemplo; unde Oroſius quadriennio poſt, ideſt anno 416. hæc ſcribebat: Burgundionum *eſſe prævalidam, & perniciosam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumpta poſſeſſione conſiſtunt. Quamvis providentia Dei omnes Chriſtiani modo facti, catholica fide, noſtriſque clericis, quibus obedirent, receptis, blande, manſuete, innocenterque vivant, non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed vere cum fratribus Chriſtianis.* Burgundionum converſionem ſub Valentiniano Imperatore, & ad annum 430. narrat Socrates, eoque loco adnotat eos trans flumen Rhenum ſedes habuiſſe, quorum in fines cum Hunni irruiſſent, Burgundiones ad conſilii inopiam redacti, Deo cuipiam ſe ſe committere ſtatuerunt. Cumque animadverterent, Romanorum Deum illis, qui numen ipſius revererentur, certiſſimum auxilium præbere, omnes communi conſenſu ad Chriſti fidem ſe contulerunt, & agmine facto ad quandam Galliæ civitatem profecti, poſtulant ab Epiſcopo, ut chriſtianum baptiſmum ſuſciperent. Ille cum ſeptem dies jejunare eos juſſiſſet, ac fidei rudimentis inſtituiſſet, octavo tandem die baptiſmo ablutos, ad propria dimiſit. Ii vero adverſus Hunnos progreſſi, Regem eorum, cui nomen erat Optar, nimia ciborum ingluvie oppreſſum ſuffocarunt, ac in Hunnos ſubito irruentes, vicerunt, etſi numero longe impares eſſent, ex eoque tempore Burgundionum gens Chriſtianam religionem ſtudioſiſſime profeſſa eſt, ait Socrates, quem tardius hæc retuliſſe adnotant Baronius, & Pagius. Cum tamen in varias turmas gens Burgundionum diviſa eſſet, fieri potuit, ut alii fuerint Burgundiones, de quibus Socrates, alii vero ii, de quibus Oroſius, loquuntur; primi enim trans Rhenum ſedes adhuc habebant, alii in Gallias tranſierant; quin medio hoc eodem ſeculo Burgundiones Attilam in Gallias irrumpentem ſecutos fuiſſe legimus in panegyrico Aviti a Sydonio recitato verſ. 320:

Burgondiones Chriſtiani fiunt.

Oroſ. lib. 7. 32.

Socrat. lib. 7. 30.

Bar. an. 413. 26. Pag. ibid.

Jesu Chr. an. 413.

Gepida trux ſequitur, Scyrum Burgundio cogit.

de quibus plura apud Valeſium lib. 3. rerum Franc. videri poſſunt.

Chriſtianorum corrupti mores, barbarorum cladibus caſtigantur. *Salv. de vero judicio Dei & provid. lib. 3.*

8. Innumeras Barbarorum turmas in orbem Romanum, Deo vindice, immiſſas fuiſſe, auctor eſt Salvianus Maſſilienſis, hujus temporis ſcriptor, ac teſtis cladium, quibus Galliarum provinciæ afflictæ ſunt, & ſcelerum, quibus Galli iram Dei promeruerant; cumque multa generatim de morum corruptela undique exundante narret, de Gallis contribulibus ſuis inter multa hæc adnotat: *In omnibus quippe Galliis, ſicut divitiis primi fuere, ſic & vitiis. Nuſquam enim improbior voluptas, nuſquam corruptior diſciplina*; .... exceptis paucis, qui *ſparſis redemerunt crimina nummis, ceteri & plurimi ferme ac nobiliſſimi, prope idem omnes, pene unus gurges, omnium gula, pene unum lupanar, omnium vita; & quid dicam de lupanaribus? minoris etiam criminis lupanar puto &c.* Cum multa de Gallorum luxuria adnotet, Aquitanos præcipue reprehendit, quorum turpitudines proſequi, ficuti longum eſſet, ita & ſtylus in his immorari refugit. Si Salviano fides, Gallorum tanta nequitia erat, ut vel ipſos Barbaros ethnicos, & hæreticos, vitiorum magnitudine ſuperarent. Omnes barbari, inquit, *aut Pagani ſunt hi, gens Saxorum fera, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Hunnorum impudica; ſed nunquid tam crimin oſa eſt Hunnorum impudicitia, quam noſtra; nunquid tam accuſabilis Francorum perfidia, quam noſtra; aut tam reprehenſibilis impietas Alemanni, quam ebrietas chriſtiani? aut tam damnabilis rapacitas Alani, quam rapacitas Chriſtiani?* De hæreticis autem lib. 7. addit: *Omnes hæretici, aut Vandali ſunt, aut Gothi, ſed ipſæ quondam hæreſes barbarorum de Romani magiſterii pravitate fluxerunt.* Cur autem Burgundiones inter barbaros tunc Gallias obtinentes non memoraverit, ea reddi ratio poteſt, quod cum de Paganis, & hæreticis loquatur, Burgundiones præteriit, qui jam tunc chriſtiani erant, & cum ſuperſtitione Barbariem & feritatem depoſuerant. Sed de his hactenus.

Salv. lib. 4.

Alexander Antiochenus Epiſc. Euſthatianorum ſchiſma extinguit.

9. Dum occidentale Imperium barbarorum incurſionibus undique, ut vidimus, affligeretur, orientale multa fruebatur pace, Theodoſii pietatem Deo ſic remunerante; eodemque

que tempore accidit, ut Eccleſiæ quoque, quæ inter ſe, vel cum Occidentalibus diſſidebant, mutua communione ſociarentur. Cum enim ob Meletii ordinationem in Antiochenum Epiſcopum, aduſque Conſtantini ætatem, diviſa eſſet Antiochena eccleſia, eo quod Euſtatiani ejus refugerent communionem, eorumque diviſionem Paulini ordinatio obfirmaſset, nam ut auctor eſt Theodoretus: *Ea res effecit diſſenſionem diuturniorem, quinque enim, & octoginta annos permanſit*; tot equidem ab anno 328., quo Euſtatius ab Arianis Epiſcopatu abdicatus fuit, ad labentem 413., quo Alexandri Antiocheni Epiſcopi induſtria ſchiſma tandem extinctum eſt: Meletio quippe ſucceſſerat Flavianus, Flaviano Porphyrius, huic vero Alexander, qui etſi catholicam fidem prædicaverint; Euſtatiani tamen Paulino, Evagrioque Epiſcopis ſociati, ab eorum ſe communione abſtinuerant. At Alexander, qui Porphyrio in Antiochena ſede ſucceſserat, quique vir erat ſtudio ſapientiæ, opum contemptu, aliiſque piis operibus excellens, *ſermone auditores docens, & ſermonem vita confirmans, Euſtatianos, quos olim Paulinus, & poſt illum Evagrius conjungi reliquis haudquaquam permiſerant, blanda verborum perſuaſione, crebriſque exhortationibus alliciens, Eccleſiæ corpori ſociavit, & feſtivitatem ejuſmodi inſtituit, cujuſmodi nemo unquam vidit mortalium*, tantam ſcilicet fidelium multitudinem in unum collectam, ut eo loco deſcribit Theodoretus. *Hic porro*, ſubdit, *omnium primus præſtantiſſimi Joannis*, Chryſoſtomi, *nomen eccleſiaſticis tabulis inſcripſit*. De reſtitutione nominis Joannis in Eccleſiæ dypticis, ac Reliquiarum ejus in urbem regiam translatione infra; nunc Alexandri præclare geſta proſequimur.

Theod. lib. 3. 5.

Theodor. lib. 5, 35.

10. Rebus Antiochiæ compoſitis, ac pace firmata, Alexander legationem ad Innocentium Rom. Pontificem miſit, ut cum Romana quoque eccleſia ſociari mereretur, quippe quæ cum Paulino primum, deinde cum Evagrio hactenus communicaſſet. Quam libenti animo hæc Innocentius ſuſceperit, ejuſdem epiſtolæ ad eum datæ teſtantur, quibus hæc habet: *Apoſtolici favoris gratia, magno pacis uſque ad nos decore reſplenduit, tantumque lucis, gaudiorumque infulſit fidelibus, ut dicentes Deo maximas laudes, majores nos debere fateremur &c.* Clericos quoque, *qui in Italia merita clericatus acceperunt, cenſui bono quietis gratiam retinere ſuſceptam*, addit Innocentius, atque

Alexandri Antioch. Epiſc. legatio ad Innocentium Papam. Innocentii epiſt. ad Alexandrum. *Apud Coutan. pag. 843.*

Jesu Chr. an. 413.

que inter ceteros Caſſianum Rom. presbyterum inter presbyteros Antiochenæ eccleſiæ adnumerandum jubet; Elpidium vero, & Pappum Epiſcopos, Chryſoſtomi cauſa ſuis ejectos ſedibus, reſtitutos fuiſſe gratulatur; Acacium vero inter Chryſoſtomi hoſtes infenſiorem, a Romanæ eccleſiæ communione ſuſpenſum, ejus arbitrio, an cum debita ſatisfactione recipiendus ſit, relinquit: *Ne per veſtram injuriam ille, qui jam olim a nobis ſuſpenſus fuerat, repudiaretur, & tamen ſatis abunde in actis ſtatuimus, ſicuti dignanter relegere procurabitis, quid in ejus perſona debeat cuſtodiri, ut ſi per omnia veſtris conſiliis, actibuſque tam ſanctis ſe rogaverit, veſtro noſtroque judicio communionis, atque litterarum a nobis gratia prærogata*. Subſcripſerunt viginti *Epiſcopi Italiæ*, & epiſtola altera ad eumdem data exultans Innocentius: *Quam grata mihi*, inquit, *quam pia, quam neceſſaria legatio a tua ſanctitate, frater cariſſime, ad nos directa fuerit, geſtorum ipſorum replicatione cognoſces*, peramanter itaque ei, una cum clero ſuo & populo ſalutem dicit, atque ad ſcribendum frequenter hortatur, haſque epiſtolas, Caſſiano presbytero hortante, ſe per Paulum presbyterum, Nicolaum Diaconum, & Petrum ſubdiaconum miſiſſe admonet.

Innocentii epiſt. 20. apud Coutan. p. 846.

11. Acacium vero in ſuam communionem, Alexandro deprecante, ſe recepiſſe teſtatur, dummodo imperata prompto libentique animo impleret. Interea de geſtis hactenus cum Alexandro, deque pace cum Antiochena eccleſia inita, Bonifacium in urbe Regia, apud Theodoſium, Romanæ eccleſiæ legatum, his aliis epiſtolis certiorem reddidit, quibus poſt plurima: *Omnia vero, quæ per ordinem geſta ſunt, filius meus diaconus Paulus, harum ſcilicet portitor litterarum, dilectioni tuæ poterit enarrare, ut & gaudium commune nobiſcum habeas, & eos informes, qui pro Attici partibus intervenire conſueverunt*: ſæpius quippe Atticus CP Epiſcopus Innocentium rogaverat, ut in Rom. eccleſiæ communionem, qua ob Joannis Chryſoſtomi dejectionem privatus fuerat, reciperetur; fruſtra tamen hactenus id expetierat, cum oblatam conditionem, ut Joannis nomen ſacris inſereret dypticis, implere Acacius recuſaverit. Hinc cum Maximianus Epiſcopus Innocentium hortatus fuiſſet, ut Attico ſuam redderet communionem, nonniſi reſtituto Joannis nomine, ſe id facturum, teſtatus eſt. Quod cum hactenus Atticus non feciſſet, fruſtra quoque ſe Rom. eccleſiæ communionem petere demonſtravit, ut epiſtola eadem perſequitur, quod etiam Theodo-

Innocentii Epiſtola ad AcaciumBæreæ Epiſc. *Coutan. pag. 848.* Altera ad Bonifacium in urbe regia Apocryſarium. *Pag. 849.*

doretus confirmat, dum ait: *Poſt mortem magni Doctoris Orbis terrarum*, ideſt Chryſoſtomi, *Occidentales Epiſcopi, Epiſcoporum Ægypti, & Orientis, & Boſphori, ac Thraciæ communionem non prius admiſerunt, quam divini illius viri nomen, una cum reliquis fato functis Epiſcopis conſignaſſent, & Arſacium quidem, qui poſt illum ordinatus eſt, ne ſalutare quidem dignati ſunt. Atticum vero Arſacii ſucceſſorem, qui multas ad ipſos legationes miſerat, & pacem cum ipſis habere poſtulaverat, tandem ſuſceperunt, poſtquam is nomen illius in ſacras tabulas retuliſſet*, quod anno 420. factum eſt, ut ſuo loco videbimus.

Jesu Chr. an. 413. *Coutan. pag.* 848. *Theodor. lib.* 5. 34.

12. Alteram Innocentii epiſtolam ad Alexandrum Antiochenum datam hoc loco adnectimus, cujus epocham ignoramus; qua nonnullis ſibi propoſitis quæſtionibus reſpondet, ac in primis Antiochenæ eccleſiæ dignitatem, non ex urbis amplitudine, aut dignitate repetendam admonet: *Quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, ubi & nomen accepit religio chriſtiana, & quæ conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, ita ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet*; Beatum ſcilicet Petrum, quare Alexandrum monet, ut in Oriente Epiſcopos viciniores per ſe ipſum ordinaret, diſſitos vero, datis epiſtolis, ordinandos juberet, *ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & ceteros non ſine permiſſu, conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari*. Capite altero interrogatus fuerat, num diviſo in duas partes ab Imperatore Oriente, duo quoque Metropolitani Epiſcopi eligendi eſſent. At Innocentius: *E re non eſſe viſum, ad mobilitatem neceſſitatum Mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator*. De Cypriis vero Epiſcopis, quos in ordinationibus Epiſcoporum Nicænos canones violaſſe admonuerat Alexander, *perſuademus eis*, ait Innocentius, *ut curent juxta canonum fidem catholicam ſapere, atque unum cum ceteris ſentire provinciis*. Cyprii tamen Epiſcopi, neque Alexandro, aut alteri Antiocheno Epiſcopo unquam ſubeſſe voluerunt, quibus ſua jura ſarta tecta ſervavit Epheſina ſynodus actione ſeptima; in qua cum Zeno Carii in Cypro Epiſcopus dixiſſet: *A ſanctis Apoſtolis nunquam poſſunt oſtendere, quod adfuerit Antiochenus, & ordinaverit, vel communicaverit unquam inſulæ ordinationis*

Altera Innocentii epiſt. ad Alexandrum Antioch. Epiſc. *Coutan. Pag.* 851.

Jesu Chr. an. 413.

nis gratiam; quare ſancta Synodus dixit , Nicænum canonem obſervandum eſſe, quo unicuique eccleſiæ priſca dignitas ſervata eſt; unde Cypriis Epiſcopis Innocentius, ut Antiocheno ſubeſſent, ſuaſit, non coegit. Capite tandem ultimo jubet Innocentius, ut ſicuti laici ab Ariana hæreſi, aliiſque hæreſibus ad eccleſiam redeuntes, manuum impoſitione recipiebantur, ita clericos Sacerdoteſque recipiendos eſſe admonet, ut nulla iis honorum aut graduum dignitas remaneret, nec in ſuis ordinibus miniſtrandi poteſtas fieret.

Demetrias veſtes mutat, virginitatem profitetur.

13. Interea Demetrias, Aniciorum illuſtris progenies, Julianæ filia, & Probæ neptis, cum pudoris periculum, ob Heracliani in Africa tyranni interitum, evaſiſſet, quod diu animo conceperat Deo ſe dicandæ, virginitatiſque ſervandæ propoſitum: tandem opere implevit, quod tanto mirabilius fuit, cum eo tempore nuptiarum inſtaret dies, ut pluribus narrat Hieronymus; quæ cum jamdiu carnis illecebris renunciaſſet, ita ut conſciis tantum virginibus, quæ in matris, & aviæ comitatu erant, neque linteaminum, aut plumarum mollitie uteretur, cilicio induta in nuda humo recumbebat, ac jugibus lacrymis Salvatoris genibus advoluta rogabat, ut ſuum reciperet propoſitum, ut aviæ animum matriſque molliret. Inſtante autem nuptiarum die, dum futuro matrimonio thalamus pararetur, ſecreto & abſque arbitris, talibus ſe fertur armaſſe conſiliis: *Quid agis Demetrias? cur pudicitiam tanto pavore defendis? libertate opus eſt & audacia*; & poſt aliqua: *Neſcis, miſera, neſcis cui virginitatem tuam debeas? Dudum inter barbaras tremuiſti manus: aviæ matriſque ſinu & palliis tegebaris: vidiſti te captivam, & pudicitiam tuam non tuæ poteſtatis: horruiſti truces hoſtium vultus: raptas virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti, Urbs tua, quondam Orbis caput, Romani populi ſepulcrum eſt: & tu in Libyco littore exulem virum exul ipſa accipies? quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? ſtridor Punicæ linguæ procacia tibi Feſcennina cantabit. Rumpe mores omnes: perfecta Dei dilectio foras mittit timorem. Quid metuis aviam, quid formidas parentem? &c.* Quare his, aliiſque inflammata admonitionibus, omnem corporis cultum, & habitum ſecularem projecit, pretioſa ſcilicet monilia, ardenteſque gemmas; ac vili tunica viliorique pallio induta, aviæ genibus repente provolvitur, fletu tantum, & planctu, quid vellet ſignificans; ac quantus fuerit aviæ

Hier. epiſt. 130.

aviæ & matris ad inopinatum caſum præ gaudio ſtupor, & fletus, ſic notat Hieronymus: *Succumbendum eſt huic loco, neque narrare aggrediar, quod dicendo minus faciam. Ad explicandam incredibilis gaudii magnitudinem, & Tulliani fluvius ſiccaretur ingenii, & contortæ Demoſtenis, vibratæque ſententiæ tardius, languidiuſque ferrentur*. Hæc aliaque multa in Demetriadis laudem, quam etiam celebrat utpote Aniciorum ſanguine genitam, ex avis proaviſque, quorum *aut nullus, aut rarus eſt, qui non meruerit conſulatum*. Solemne vero virginitatis votum eam edidiſſe, atque ab Epiſcopo velum accepiſſe, paulo poſt addit: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale ſanctum operuerit caput*, quam ideo, ut in virginitate ſuſcepta ſancte, conſtanterque perſeveraret, multis hortatur verbis, ac exemplis confirmat. Hanc epiſtolam hoc vel ſequenti anno ad Demetriadem dediſſe, Hieronymus ipſe indicat, cum prope finem adnotet, ſe ante annos triginta circiter ad Euſtochium de virginitate librum edidiſſe. Quanto fidelium plauſu egregium Demetriadis facinus exceptum, auditumque fuerit, idem narrat Hieronymus: *Per omnes domos fervebat virginitatis profeſſio*, inquit, .. *Cunctæ per Africam eccleſiæ quodam exaltavere tripudio. Non ſolum ad urbes, oppida, viculoſque, ſed ad ipſa quoque Magalia*, ſive Mapalia, *celebris fama penetravit. Omnes inter Africam, Italiamque inſulæ hoc rumore completæ ſunt, & inoffenſo pede longius gaudia cucurrere. Tunc lugubres veſtes Italia mutavit, & ſemiruta urbis Romæ mœnia priſtinum ex parte recepere fulgorem, propitium ſibi exiſtimantes Deum in alumnæ converſione perfecta*; & iterum poſt alia: *Penetravit hic rumor Orientis littora, & in mediterraneis quoque urbibus chriſtianæ gloriæ triumphus auditus eſt &c.*

Demetriadis propoſitum undique vulgatum.

14. Spiritualium Demetriadis cum Chriſto nuptiarum conciliatorem, & hortatorem Auguſtinum fuiſſe conſtat, qui cum eam, dum Carthagine eſſet, una cum matre & avia vidiſſet, ad virginitatem ſervandam excitaſse, idem Auguſtinus teſtatur in epiſtola ſua, & Alypii nomine ad Julianam data, cum jam virginitatis votum Demetrias edidiſset; qua inter cetera: *Grate admodum nobis jucundeque accidit, ut ſimul nos conſtitutos apud Hipponem tuæ reverentiæ litteræ reperirent, quibus hæc reſcripta pariter redderemus. Licet enim vos per litteras primum, deinde etiam præſentia corporali pia & catho-*

Auguſtini epiſt. gratulatoria de Demetriad. conſecratione. *Epiſt. 188. & epiſt. 150.*

JESU CHR. AN. 413.

lica, hoc eſt, vera membra Chriſti, exiguitas noſtra cognoverit: tamen etiam per miniſterium noſtrum, cum accepiſſetis verbum auditus Dei, ſicut dicit Apoſtolus, accepiſtis, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei. Cujus miniſterii noſtri, adjuvante gratia & miſericordia Salvatoris, in domo veſtra tantus fructus exortus eſt, ut humanis nuptiis jam paratis, ſancta Demetrias ſpiritalem Sponſi illius præferret amplexum, cui ſpecioſo præ filiis hominum, ad habendam ſpiritus uberiorem fecunditatem, nec amittendam carnis integritatem, virgines nubunt. Neſciremus autem quemadmodum noſtra illa tunc exhortatio a fideli & nobili virgine fuiſſet accepta, niſi nobis profectis, cum poſt paululum profeſſa fuiſſet ſanctimoniam virginalem, hoc ingens Dei donum, quod per ſervos quidem ſuos plantat, & rigat, ſed per ſe ipſum dat incrementum, nobis operariis proveniſſe veſtrarum litterarum lætiſſimo nuntio, & veraci teſtimonio diſceremus. Demetriadis propoſitum didicerat Auguſtinus ex Probæ & Julianæ litteris antea acceptis una cum nuptiali munere, ſeu velationis Apophoreto, ut ait Auguſtinus; quibus reſpondens; ac de accepto munere gratias agens, epiſtolam his verbis claudit: *Velationis Apophoretum gratiſſime accepimus &c.*

Pelagii ad Demetriadem epiſtola.

15. Cum ſancti viri Hieronymus, Auguſtinus, aliique ſanctum Demetriadis propoſitum dignis exornarent laudibus, certatimque cum eadem, vel cum matre & avia gratularentur, eamque ut in ſuſcepto vitæ inſtituto perſeveraret, hortarentur, adfuit inter canentes cycnos & corvus, qui crocitaret; ſeu inter Angelos Satan, ut Jobi verbis utar; nam Pelagius etiam ſub ſanctitatis pallio, tanquam ſub ovina pelle lupus adhuc latitans, gratulatorias ad Demetriadem litteras dedit, Auguſtino aliquando, vel Hieronymo etiam inſcriptas, nunc vero tanquam quiſquilliæ, & ſordes in appendice rejectæ ſunt. Pelagii autem epiſtolam eſſe, non ſolum Pelagiani errores, quibus infecta eſt, comprobant, ſed Auguſtini teſtimonio confirmatur, qui eam uti a Pelagio ſcriptam ſæpius confutat, eamque ipſe Pelagius ſuam aliquanto poſt agnovit. A Juliana autem Demetriadis matre ſe rogatum fuiſſe, ut eam ſcriberet, eadem epiſtola Pelagius teſtatur; at nomen ſuum & Demetriadis ſuppreſſit; unde Auguſtinus ad Julianam ſcribens, cum adhuc, utrum Pelagii eſſet, dubitaret, ut de his ſe certiorem redderet, rogavit. In ea autem epiſtola non ſolum Pelagianæ hæreſis indicia,

Job. cap. 1.

Apud Auguſt. tom. 2. epiſt. 17. in appen. Hier. tom. 11. edit. Veron.

Auguſt. de grat. Chriſti lib. 1. 22. & 37.

Epiſt. 188. in fine.

cia, aut ſemina ſparſiſſe Pelagium, ſed plena, ut dicitur, manu Pelagianum virus effudiſse, totamque conſpurcaſſe, facile probatur; inter cetera: *Naturam*, inquit, *ab hac tantummodo injuria vindicamus, ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum ſine voluntate faciamus, nec malum, & quibus liberum eſt unum ſemper ex duobus agere, cum ſemper utrumque poſſimus*. Quibus aperte ſatis duo præcipua Pelagianæ hæreſis capita inſinuat, dum vitium originis, ſeu peccati Originalis traducem negat, & volontatem ad malum æque ac ad bonum agendum ſibi ſufficere teſtatur; hinc addit: *Spirituales vero divitias nullus tibi præter te conferre poterit*, nec de auxilio Dei, ſeu Chriſti gratia verbum unquam addit. Cum tamen gravioribus, & ad pietatem fovendam referta eſſet ſententiis, Auguſtino, Hieronymo, aut Ambroſio nonnulli adſcripſerunt; at eam uti Pelagii opus Beda agnoverat, & ante Bedam Auguſtinus, aliique, qui eam ſcriptis ſuis confutarunt. Eodem oleo, & ſtylo ad viduam quoque ſcripſerat Pelagius, quam cum immoderata adulatione palpaſſet, his eum verbis Hieronymus arguit: *Eidem adulans viduæ, non erubeſcit dicere, pietatem, quæ nuſpiam reperitur in terra, & veritatem, quæ ubique peregrina eſt, in illa potiſſimum commorari*; & paulo poſt: *Docere eſt hoc, an occidere? levare de terra, an præcipitare de Cælo? id mulierculæ tribuere, quod Angeli non audeant uſurpare &c.*

JESU CHR. AN. 413.

Beda in cant. cant.

Hier. contra Pelag. lib. 3.

16. Ea epiſtola Demetriadi, ejuſque matri, & aviæ venenum in aureo calice Pelagius propinaverat; at Auguſtinus, litteris ad Julianam virginis matrem datis, antidotum continuo præparavit, quibus præcipua Pelagii dogmata ſeu hæreſes detexit, atque ut caveret, admonuit: quas cum libenter accepiſſet Juliana, redditis ad eum litteris gratias egit, iiſque reſpondens, ſuo & Alypii nomine Auguſtinus apertius fuſiuſque Pelagii dogmata confutavit: *Nemo*, inquit, *nos improbos dixerit, ſi in vobis admonendis, ut contraria gratiæ Dei dogmata devitetis, neceſſitudine ſumus propenſiore ſolliciti*, cum præcipue ut poſt aliqua ſubdit: *Admonitionem noſtram tam grato animo ſuſcepiſtis, ut in epiſtola tua, ad quam nunc reſcribimus, diceres: Sane quod me hortatur reverentia veſtra, ne aures indulgeam his hominibus, qui pravis tractatibus venerandam fidem ſæpe corrumpunt, gratias uberes ago tam piæ admonitioni*. Cum vero addidiſſet ſe, ſuamque familiam ab omni hæreſum labe, aut

Pelagii epiſtola a ſanctis viris confutata.

Auguſt. epiſt. 188.

 ſuſpi-

Jesu Chr. An. 413.

ſuſpicione quam longiſſime ſemper abfuiſſe, hinc ſubdit Auguſtinus: *Nos magis magiſque compellit non tacere apud vos de iis, qui etiam illa, quæ ſana ſunt, vitiare conantur &c.* Pluribus deinde Pelagii epiſtolam, ſeu librum de virginitate ſervanda ad Demetriadem datum confutat. *Qui libro*, inquit, *ſi fas eſt, legat virgo Chriſti, unde credat virginalem ſuam ſanctitatem, omneſque ſpirituales divitias, nonniſi ex ſe ipſa ſibi eſſe, atque ita prius, quam ſit pleniſſime beata, diſcat Deo eſſe, quod abſit, ingrata &c.* Julianam autem cum tota familia, & præcipue Proba matre, & Demetriade filia, Auguſtini monitis paruiſſe, ex aliis ipſius ſcriptis patet, atque inprimis, ejuſdem Auguſtini extat epiſtola auro cedroque digna, de orando Deo ad Probam; ad Julianam vero de bono viduitatis librum inſcripſit, quem poſt hæc tempora edidiſſe, idem teſtatur Auguſtinus his verbis: *Ordinatiſſime quippe provenit, ut matri veſtræ jam grandævæ*, ideſt Probæ, *de oratione epiſtolam ſcriberem; ad ipſam quippe maxime pertinet orando concertare pro vobis, quæ de ſe minus eſt ſollicita, quam de vobis: & ut ad te potius, quam ad illam hoc de continentia viduali opuſculum facerem, quia tibi ſuperare adhuc reſtat, quod jam ætas illius ſuperavit. Virgo autem ſancta proles veſtra, ſi aliquid de ſua profeſſione deſiderat, ex laboribus noſtris habet grandem librum de ſancta virginitate, quem legat.*

Auguſt. epiſt. 130.

Auguſt. de bono viduit. in fine.

Innocentii Papæ epiſtolæ ad Julianam. *Apud Coutan. p. 819.*

17. Hactenus ad Julianam Auguſtinus, quam ſuis quoque litteris Innocentium Papam laudaſſe, atque ut a Pelagii fraudibus caveret, admonuiſſe, ejuſdem Pontificis epiſtolæ ad eam datæ teſtantur, quibus eam ob fidei devotionem clariorem fuiſſe, quam generis nobilitate adnotat, ac Chriſti gratiæ tribuendum eſſe, quod nobilitatem moribus ſuperaverit, admonet. Tandem ut clarius pateat, quot quantiſve Patrum laudibus ſpirituales Demetriadis nuptiæ, ejuſdemque virginalis profeſſio celebratæ fuerint, ſancti Proſperi epiſtola gratulatoria adhuc ſupereſt, qua etiam Pelagii epiſtolam confutavit; quam Ambroſio nonnulli inſcripſerunt, alii vero Leoni Papæ. Proſpero tamen reſtituendam eſſe, Antelmius de operibus ss. Leonis, & Proſperi diſſert. 3. pluribus confirmat, ut a Pagio adnotatum eſt.

S. Proſperi epiſt. ad Demetriadem.

Queſnell. tom. 2. ep. S. Leonis diſſert. 4. Pag. not. 8, 9. ad an. 413.

JE-

JESU CHRISTI AN. 414. INNOCENTII PAPÆ 14. HONORII IMP. 22. & 20. THEODOSII IMP. 13. & 7. COSS. CONSTANTIO, ET CONSTANTE.

1. De hujus anni conſulibus audiendus eſt Olympiodorus apud Photium: *Conſtantius Conſul aliquando Ravennæ creatur, cum quo CPolitanum conſulatum Conſtans gerit*. Ad Conſulatus impenſas Heracliani ſpolia ab Honorio impetravit, *quas quidem facultates omnes una poſtulatione Conſtantius accepit*, auri ſcilicet duo millia denariorum, & immobilium ad bis mille libras. Subtriſti eum vultu fuiſſe, ac ſevero, ingentibus oculis, ſublataque cervice, & plano capite, addit: *In cœnis tamen atque ſympoſitis jucundus adeo civiliſque fuit, ut cum mimis interdum ad menſam ludentibus contenderit*; quem poſtea in Imperii ſocietatem adſcivit Honorius, ut ſuo loco videbimus. — De Conſtantio conſule Photii biblioth. p. 71.

2. Ad Placidiæ nuptias jamdiu Ataulphus inhiaverat; quare eam Honorio fratri ut redderet, nullo unquam pacto adigi potuit, etſi ſpem ſæpe dediſſet. Hoc tandem anno, invito etiam Honorio, ut veriſimile eſt, ea tamen conſentiente, Candidiani cujuſdam opera, eamdem juſtis ſibi nuptiis Ataulphus copulavit, uxore ſua, quæ ex Sarmatorum genere erat oriunda, repudiata, ait Philoſtorgius. Nuptiarum annum, & locum, quo celebratæ ſunt, ex Olympiodoro, cui & Idaciani faſti conſentiunt, ſcimus. De Ataulphi nuptiis hæc adnotat: *Ataulpho, ſtudio ac conſilio Candidiani, nuptiæ cum Placidia conveniunt, Januario menſe nuptiis dictus dies, Narbone Galliæ urbe, in domo Ingenii cujuſdam, primarii ejus urbis viri. Hic digniore loco reſidente Placidia in atrio, Romano more adornato, habituque regio, aſſedit ipſa, & Ataulphus læna indutus, omnique alio amictu Romano. Inter alia nuptiarum dona, donatur Ataulphus etiam quinquaginta formoſis pueris, ſerica veſte indutis, ferentibus ſingulis utraque manu ingentes diſcos binos: quorum alter auri plenus, alter lapillis pretioſis, vel pretii potius inæſtimabilis, quæ ex Romanæ urbis direptione Gothi deprædati fuerant. Hinc verſus canuntur epithalamii, Attalo præcinente, dein Ruſtacio atque Phœbadio, nuptiiſque finis datus, luſu gaudioque ingenti Barbarorum ſimul, & Romanorum, qui cum iis erant*. Idacius vero ad hunc annum: *Ataul-*

Ataulphi nuptiæ cum Placidia Narbone celebrantur.

Philoſt. hiſt. lib. 12. cap. 4. p. 491.

Phot. p. 71.

Jesu Chr. An. 414. *Ataulphus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem*, *in quo prophetia Danielis putatur impleta*, *qui ait filiam Regis Auſtri ſociandam Regi Aquilonis*; *nullo tamen ejus ex ea ſemine ſubſiſtente*, ſeu ſuperſtite relicto filio, etſi filium ex ea ſuſcepiſſet, quem Theodoſium vocaverat, ut idem Olympiodorus narrat: *Extinctum infantem vehementer uterque parens luxit*, *argenteaque capſa conditum juxta Barcinonem in Templo quodam ſepelierunt*. Ataulphus autem poſt nuptias cum Placidia initas, ſuſceptumque ex ea filium, *Romanam amplius Rempublicam amare videbatur*, ſubdit idem auctor, quam fortaſſe a liberis ſuis aliquando adminiſtrandam fore ſperabat; quod etiam Oroſius indicat, dum de Ataulphi conſiliis hæc refert, prout ab Ataulphi familiariſſimo audierat: *Is ut ſæpe auditum*, *atque ultimo exitu ejus probatum eſt*, *ſtudioſe ſectator pacis*, *militare fideliter Honorio Imperatori*, *ac pro defendenda Romana Republica impendere vires Gothorum peroptavit &c.* Quomodo autem dolo ſuorum Ataulphus interfectus fuerit, anno ſequenti videbimus; hoc loco addimus, eum poſt nuptias in Hiſpanias tranſiiſſe, unde idem Oroſius: *Conſtantius Comes apud Arelatum Galliæ urbem conſiſtens magna gerendarum rerum induſtria*, *Gothos a Narbona expulit*, *atque abire in Hiſpaniam coegit*, quem fruſtra pacem ab Honorii ducibus expetiiſſe ſubdit Olympiodorus: *Conſtantio ejuſque aſſeclis repugnantibus*; *ejus & uxoris Placidiæ pacis ineundæ conatus fruſtra fuerunt*; Conſtantius quippe ægre ferebat Ataulphum Placidiam ſibi copulaſſe, quam ſibi ab Honorio ſponſam dari petierat, quamque poſt Ataulphi obitum duxit uxorem.

Oroſ. lib. 7. 43.

Cap. ultimo

Honorii lex adverſus Donatiſtas. *Cod. Theod. de hæreticis, leg. 74. & 55.*

3. Marcellini interitu, ejuſdem quoque acta in collatione Carthaginenſi habita, periiſſe putabant Donatiſtæ; falſo tamen, nam ut anno proximo adnotatum eſt, Honorius reſcripto altero ejuſdem geſta in perpetuum ſervanda eſſe ſancivit; quorum pervicaciam ut frangeret, altera conſtitutione clericos æque ac laicos Donatiſtarum variis coercendos pœnis ſtatuit; ut ſcilicet clerici cujuſcumque ordinis in inſulas deportarentur; laici vero pecuniaria mulcta ſubjicerentur, ab iis toties repetenda, quoties illicita conventicula frequentaſſent; ſervi vero & coloni verberibus etiam coercerentur, eamque Kal. Julii Conſtantio & Conſtante Coſſ. ad Julianum Africæ Proconſulem datam fuiſſe ſubſcriptio docet, ac Dulcitium notarium & Tribunum in Africam, ut ejuſdem executioni inſtaret miſit.

Auguſt. retract. lib. 2. 29.

4. Ho-

4. Honorianæ legis ſeveritate Donatiſtarum quidem plurimi, ad ſaniora converſi conſilia, Eccleſiæ unitati ſociati ſunt; alii vero in deſperationem acti, violentas ſibi, tanquam frenetici, manus injiciendas duxerunt, ut indicat Auguſtinus contra Gaudentium ſcribens, ubi inter cetera eos Raziæ exemplo, tantum profeciſſe adnotat, *ut etiam feminas veſtras hoc facere docuerit*. Inter eos Donatus quidam presbyter, cum Hipponam duceretur, equo ad iter recuſato, ſe ipſum in terram collidens graviter ſauciavit, deinde ſe in puteum projecit; quem vel reluctantem Catholici extrahentes, ſub arcta cuſtodia tanquam freneticum cuſtodierunt, atque ut ad ſaniora rediret conſilia Auguſtinus epiſtolis ſuis hortatus eſt, qua inter cetera: *Noli ergo jam dicere, quod te aſſidue audio dicere: Sic volo errare, ſic volo perire; melius enim nos hoc omnino non permittimus, quantum poſſumus*.

JESU CHR. AN. 414. Donatiſtæ legum ſeveritate exagitati, in ſe ipſos ſæviunt. *Lib.* 1. 31. *Auguſt. epiſt.* 173.

5. Alterum inſanientis, ferocientiſque Donatiſtarum animi exemplum exhibet Gaudentius Donatiſtarum Epiſcopus, qui ne Honoriani decreti executionem ſuſtineret, ſe ſuoſque igni potius deſtinaverat: *Per id tempus*, ait Auguſtinus (ideſt aliquot ab hinc elapſis annis), *Dulcitius Tribunus & Notarius, hic erat in Africa executor Imperialium juſſionum contra Donatiſtas datarum; qui cum dediſſet litteras ad Gaudentium Thamugadenſem Donatiſtarum epiſcopum, unum illorum ſeptem, quos in noſtra collatione auctores ſuæ defenſionis elegerant, exhortans eum ad unitatem catholicam, & diſſuadens incendium, quo ſe ac ſuos cum ipſa, in qua erat, Eccleſia conſumere minabatur, addens etiam ut ſi ſe juſtos putarent, fugerent potius ſecundum præceptum Domini Chriſti, quam nefandis ſe ignibus concremarent, reſcripſit ille epiſtolas duas, unam brevem, feſtinante, ut aſſeruit, perlatore, aliam prolixam quaſi plenius diligentiuſque reſpondens. Has mihi ſupra memoratus Tribunus exiſtimavit mittendas, ut eas potius ipſe refellerem, quas ambas uno libro redargui*; cum enim anceps Dulcitius eſſet, an Honorii legem adverſus Donatiſtas exequi, vel remiſſius, ne exaſperarentur, & ad interitum properarent, ſibi agendum eſſet, Auguſtinum conſulendum cenſuit, cui etiam Gaudentii epiſtolas miſit, ut eas ipſe confutaret. Auguſtinus vero his acceptis, Dulcitii votis ſatisfaciens, Gaudentii litteras confutavit, eumque de vana martyrii gloria inſanientem repreſſit, addiditque alterum librum, ut Gaudentii reſponſionem refelleret; un-

Gaudentius Donatiſta ſe ſuoſque incendio deſtinat.

Auguſt. retractat. lib. 2. 59.

Auguſt. contra Gaudent. Donat. lib. 1. & 2.

Jesu Chr. an. 414.

unde libri initio *accepi*, inquit, *Gaudenti*, *reſponſionem tuam*; *ſi tamen reſponſio iſta dicenda eſt*, *quam mihi propterea referre voluiſti*, *ne ſi tacuiſſes*, *diceremus te eſſe convictum*. *Sed non hoc eſt reſpondere*, *quod eſt non tacere &c.* Primo autem libro, quo Gaudentii epiſtolas confutavit, cum id præcipue Gaudentius ageret, ut de martyrii palma, ſe ipſum interficiendo, inaniter gloriaretur, ubi, & in quo ſit martyrii corona pluribus proſequitur Auguſtinus, ac Martyrem non *pœnam*, ſed *cauſam* facere probat.

Quid Dulcitio reſponderit Auguſtinus. *Auguſt. epiſt.* 204.

6. Dulcitio autem in hæc verba reſpondit: *Non debui contemnere petitionem tuam*, *qua deſideraſti a me inſtitui*, *quemadmodum te oporteat hæreticis reſpondere*, *quorum ſalus in Domini miſericordia inſtantia quoque tuæ ſtrenuitatis inquiritur*. *Quid eis velimus*, *non ſolum Deus*, *& prudentes homines*, *verum etiam ipſi*, *cum ſint nobis inimiciſſimi*, *ſentiunt*: *cum enim ſua pernicie terrendos putant*, *non dubitant nos timere ne pereant*. *Sed quid faciamus*, *videntes quod multi*, *adjuvante Domino*, *per occaſionem veſtram*, *viam pacis inveniant*? *Numquid prohibere nos poſſumus*, *vel debemus ab hac unitatis inſtantia*, *dum metuimus ne quidam duriſſimi*, *& in ſe ipſos crudeliſſimi*, *non noſtra*, *ſed propria voluntate ſe perdant*? & poſt nonnulla: *Sed quoniam Deus occulta ſatis diſpoſitione*, *ſed tamen juſta*, *nonnullos eorum pœnis prædeſtinavit extremis*, *proculdubio melius incomparabili numeroſitate plurimis ab illa peſtifera diviſione*, *& diſperſione reintegratis*, *atque collectis*, *quidam ſuis ignibus pereunt*, *quam pariter univerſi ſempiternis ignibus gehennarum merito ſacrilegæ diſſenſionis ardebunt*. Quod Donatiſtam Epiſcopum humaniſſime tractaverit, laudat Auguſtinus, at quod honorificentioribus eum verbis, quam decebat, hæreticum exornaverit, modeſte redarguit; tandem quam ſacrilegum, deteſtandumque eſſet violentas, quacumque de cauſſa, ſibi manus inferre, demonſtrat, quod fuſius in libris contra Gaudentium ſcriptis perſecutus fuerat. Ad Dulcitium etiam paulo poſt, ideſt circa annum 420., librum de octo quæſtionibus inſcripſit.

Oroſius ad Auguſtinum pergit.

7. Hoc tempore cum variis hæreſum erroribus Hiſpaniæ infeſtarentur, Oroſius presbyter non minus pietate, quam fidei zelo incenſus, ab ultima Hiſpania in Africam tranſiit Auguſtini fama pertractus, ſperans quæſtiones nonnullas a nemine enucleatius, quam ab eo ſolvendas fore. *Ecce venit ad me*, ajebat

bat Auguſtinus ad Hieronymum: *Religioſus juvenis, catholica frater, ætate filius, honore compresbyter noſter Oroſius, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans ſtudio, utile vas in domo Domini eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius trucidarunt; nam inde ad nos uſque ab Oceani littore properavit fama excitus, quod a me poſſet de his, quæ ſcire vellet, quidquid vellet audire &c.* De Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum erroribus confutandis Auguſtinum interpellaſſe Oroſium, liber ejuſdem Auguſtini, ea de cauſa editus indicat, de quo in Retractationibus hæc leguntur: *Oroſii cujuſdam Hiſpani presbyteri conſultationi de Priſcillianiſtis, & de quibuſdam Origenis ſenſibus, quos catholica fides improbat, quanta potui brevitate, ac perſpicuitate reſpondi, cujus opuſculi titulus eſt, ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas.* Quanta autem inſtantia ab Auguſtino Oroſius, ut conſultationi ſuæ ſatisfaceret, exegerit, ejuſdem libellus teſtatur, quo inter cetera habet: *Per te Dominus Deus noſter, per te inquam, Beate Pater, quos caſtigavit in gladio*, Barbarorum ſcilicet incurſionibus, *emendet in verbo. Ad te per Deum miſſus ſum, de te per eum ſpero, dum conſidero qualiter actum eſt, quod huc venirem*; dum ſcilicet patria egreſſus, incertus quo iret, divina quadam impellente vi, ad Africæ oras appulit; quare: *Fac me ad dilectam dominam meam idoneum negotiatorem inventa margarita, non fugitivum ſervum everſa ſubſtantia, reverti.* Expoſitis deinde Priſcilliani erroribus, ſubdit Avitos duos concives ſuos, ut graſſanti hæreſi remedium quærerent, peregrinatos fuiſſe, alterum Romam, Hieroſolymam alium; *Reverſi unus retulit Origenem, alius Victorinum; ex his duobus alter alteri ceſſit: Priſcillianum tamen ambo damnarunt*; cumque vix notus eſſet Victorinus, de Origene multa in vulgus ſpargi cœperunt a Fide catholica aliena, ea præcipue, quæ animarum præexiſtentiam, earumque in corporum immiſſionem ad purganda peccata fabulabantur Origeniſtæ, ut pluribus ibidem proſequitur Oroſius; ad quem reſpondens Auguſtinus hæc præfatur: *Reſpondere tibi quærenti, dilectiſſime fili Oroſi, nec ad omnia debeo, quæ in tuo commonitorio poſuiſti, nec omnino non debeo, ne ſtudium tuum, quod mihi gratiſſimum eſt, contempſiſſe videar, & ob hoc intemperanter offendam*; narrat deinde, ſe alias Priſcillianiſtas, & Manichæos confutaſſe, quos

JESU CHR. AN. 414. *Auguſt. epiſt. 165.*

Auguſt. retract. lib. 2. 44.

Apud Auguſt. tom. 6. pag. 603.

JESU CHR. AN. 414. quos ibidem curſim iterum refutat. Quia vero ex Priſcilliani hæreſi ad Origenis errores nonnullos tranſiiſſe dixerat Oroſius; quæ de ſalute æterna a Dœmonibus aliquando obtinenda, deque animarum ante Mundi creationem præexiſtentia ab Origeniſtis docebantur, pluribus ibidem confutat Auguſtinus: nonnulla tamen in incerto relinquit, utpote nondum ſatis diſcuſſa, aut ab Eccleſia definita, cujuſmodi erat quæſtio, num ſol & Luna, ceteraque ſydera, quæ corpora eſſe conſtat, rationales haberent ſpiritus, quæ fortaſſe, ut ſubdit ſanctus Doctor, *doctiores, ſi ad illos afferas, tantam diſcendi ſcientiam, quantam ſciendi habes curam, docebunt*. Quare ut ad Hieronymum in Palæſtinam Oroſius iret, auctor fuit Auguſtinus, ut in epiſtola ad Evodium teſtatur, qua inter cetera, ſe tunc in libris de Civitate Dei, & Pſalmorum expoſitionibus abſolvendis intentum fuiſſe adnotat; ac de origine animæ ſollicitum fuiſſe addit, quam quæſtionem Hieronymus hoc tempore a Marcellino de animarum origine interrogatus tractaverat, ac *ſingulas animas novas naſcentibus fieri*, docuerat, quod etſi novum Auguſtino non eſſet, mirum tamen adhuc videbatur; unde in epiſtola ad Evodium: *Præter autem illos duos libros* (de Civitate Dei), *quos tribus me adjunxiſſe ſupra commemoravi, & trium Pſalmorum expoſitionem, ſcripſi etiam librum ad ſanctum presbyterum Hieronymum de animæ origine, conſulens eum quomodo defendi poſſit illa ſententia, quam religioſæ memoriæ Marcellino ſuam eſſe ſcripſit, ſingulas animas novas naſcentibus fieri, ut non labefactetur fundatiſſima Eccleſiæ fides, qua inconcuſſe credimus, quod in Adam omnes moriuntur, & niſi per Chriſti gratiam liberentur, quod per ſuum Sacramentum etiam in parvulis operatur, in condemnationem trahuntur. Scripſi & alium ad eumdem, quomodo illi videatur accipiendum quod ſcriptum eſt in epiſtola Jacobi: Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Sed in hoc dixi etiam quid mihi videatur, in illo autem de animæ origine tantum quid ei videatur conſultatoria quadam diſputatione quæſivi. Occaſionem quippe cujuſdam Sanctiſſimi & ſtudioſiſſimi juvenis presbyteri Oroſii, qui ad nos ab ultima Hiſpania, id eſt, ab oceani littore ſolo ſanctarum ſcripturarum ardore inflammatus advenit, omittere nolui, cui, ut ad illum quoque pergeret, perſuaſi. Huic etiam ipſi Oroſio ad quædam interrogata, quæ illum de Priſcilliani-* *ſta-*

Auguſt. epiſt. 169.

ſtarum hæreſi, & Origenis quibuſdam opinionibus, quas non recepit Eccleſia, permovebant, uno libro non grandi, quanta potui brevitate, & perſpicuitate reſpondi; hactenus de his Auguſtinus.

JESU CHR. AN. 414.

8. Quantum hoc tempore ea ſententia, ſeu verius error plurimorum mentes præoccupaſſet, ut crederent, Dæmones etiam, improboſque vitam æternam conſecuturos fore, teſtis eſt Auguſtinus, qui eam pluribus confutat: *Sunt etiam, quales in collocutionibus noſtris ipſe ſum expertus, qui cum venerari videantur Scripturas ſanctas, moribus improbandi ſunt, & agendo cauſam, ſuam multo majorem, quam iſti miſericordiam Deo tribuunt erga humanum genus. Dicunt enim de malis, & infidelibus hominibus, divinitus quidem verum prædictum eſſe, quod digni ſunt pœna; ſed cum ad judicium ventum fuerit, miſericordiam eſſe ſuperaturam. Donabit enim eos*, inquiunt, *miſericors Deus precibus, & interceſſionibus Sanctorum ſuorum*; & poſt multa, quibus eadem confirmare ſatagebant, de aliis, qui chriſtianis ſaltem ſalutem æternam promittebant, ſubdit: *Item ſunt alii, ab æterno ſupplicio liberationem, nec ipſis ſaltem omnibus hominibus promittentes, ſed tantummodo Chriſti baptiſmate ablutis, qui participes fiunt Corporis ejus, quomodolibet vixerint, in quacumque hæreſi, vel impietate fuerint; propter illud, quod ait Jeſus: Hic eſt panis qui de cælo deſcendit, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur &c.* Addit ad hæc de alia horum claſſe, qui quidem non omnibus habentibus baptiſmum Chriſti, & ejus Corporis ſacramentum, ſed ſolis Catholicis ſalutem æternam pollicebantur, quamcumque tandem vitam duxiſſent, aut finem feciſſent, propter id quod ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit; atque demum alios fuiſſe, qui dicerent, eos tantum arſuros illius æternitate ſuplicii, qui pro peccatis ſuis facere dignas eleemoſynas neglexerant, juxta illud Apoſtoli Jacobi: Judicium autem ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam: qui ergo fecerit, inquiunt, quamvis mores in melius non mutaverit, ſed inter ipſas ſuas eleemoſynas nefarie ac nequiter vixerit, judicium illi cum miſericordia futurum eſt, ut aut nulla damnatione plectatur, aut poſt aliquod tempus, ſive parvum, ſive prolixum, ab illa damnatione liberetur. Hæc Auguſtinus, aliorum opiniones, ſeu potius aber-

Sententia de ſalute reproborum confutatur.

Auguſt. de civit. Dei lib. 21. 17. 18.

Joan. 6.

Mat. 24.

Jacob. 2.

JESU CHR. AN. 415.

Lib. 21. de civit. Dei cap. 23. ad 28.

rationes de damnatorum ſalute referens, quas verbi Dei auctoritate, aliiſque argumentis dilucide ſapienterque ſequentibus capitibus confutat.

Quæſtio de origine animæ a Hieronymo, & Auguſtino agitata.

9. Inter cetera Origenianæ hæreſis portenta, ea de origine animæ ſententia merito recenſetur, qua docebant eas ante Mundi creationem, non ſolum in Cælo fuiſſe, ſed etiam peccaſſe, ob eamque cauſam corporibus, quaſi ergaſtulis perpetua ſucceſſione immitti, ut anteactorum peccatorum pœnam ſuſtinerent, uſquedum a peccatis purgatæ, æterna luce iterum frui poſſent, cui Manichæorum, Priſcillianiſtarumque opinio non multum diſſidebat; hinc factum ut, ſerpentibus adhuc Origeniſmi, ac Priſcillianiſtarum erroribus, quæſtio de origine animæ curioſius intentiuſque agitaretur. Hinc biennio ante interrogatus Hieronymus a Marcellino tribuno, & notario, expoſitis ea de quæſtione aliorum erroribus, Pithagoreorum ſcilicet, Platonicorum, & Origeniſtarum, qui eas de Cœlo lapſas dicebant, Stoicorum deinde, Manichæorum, Priſcillianiſtarumque, qui ex Dei ſubſtantia eas fuiſſe ſomniabant, tandem eccleſiaſticorum ſcriptorum, qui ſtulta, ut ait Hieronymus, perſuaſione tradebant, eas a Deo olim conditas, tanquam in Dei theſauro reconditas, poſt corporum creationem iiſdem animandis immitti, ſuam paucis verbis ſententiam promens, quotidie eas a Deo creari, ac corporibus immitti, non vero eas ex traduce generari docebat, *ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumant, ut quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima.* Perhonorificam deinde Auguſtini mentionem faciens, ut Auguſtinum conſulat, Marcellinum hortatur: *Habes ibi virum ſanctum & eruditum Auguſtinum Epiſcopum, qui viva, ut ajunt, voce docere te poterit, & ſuam immo per ſe noſtram explicare ſententiam.*

Hier. epiſt. 126.

Auguſtinus Oroſium ad Hieronymum mittit.

10. Sicuti Marcellinum Auguſtino remiſerat Hieronymus, ita viciſſim Hieronymo Oroſium Auguſtinus miſit, ut eum de origine animæ conſuleret, eaque occaſione duas epiſtolas ad Hieronymum deferendas Oroſio dedit, quarum prima de origine animæ quæſtionem pluribus agit, inſtanterque Hieronymum rogat, ut ſententiam ſuam, quam Marcellino inſinuaverat, enucleatius exponeret, quomodo ſcilicet fieri poſſit, ut continuo Deus animas corporibus inmiſcendas creet, eæque nihilominus originalis peccati labe inquinentur, ut regeneratione indigeant. Unde commemoratis iis, quæ ad Marcellinum ſcripſe-

pſerat Hieronymus, quod ſui ſcilicet honorificentiſſime commemorationem fecerit, de ea quœſtione ſe anxium adhuc eſſe addit: *Miſiſti ad me diſcipulos, ut ea doceam, quæ nondum ipſe didici. Doce ergo quod doceam, nam ut doceam multi a me flagitant, eiſque me ſicut alia multa, & hoc ignorare confiteor*; quare poſt aliqua: *Doce ergo quæſo, quod doceam, doce quod teneam, & dic mihi, ſi animæ ſingulatim in ſingulis hodieque naſcentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in Sacramento Chriſti remiſſionem peccati, peccantes in Adam, ex quo caro eſt propagata peccati, aut ſi non peccant, qua juſtitia Creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inſeruntur, ut eas, niſi per Eccleſiam ſubventum fuerit, damnatio conſequatur*. Animas quidem immortales, ſpirituales, ac peccato obnoxias eſſe ſibi hactenus perſuaſum fuiſſe teſtatur, quomodo autem id fiat, ſe adhuc ignorare fatetur; deinde ſe adverſus Manichæos olim agentem in libro de libero arbitrio eam quæſtionem tractaſſe narrat, ita tamen, ut quatuor de origine animæ opinionibus relatis, rem in incerto relinqueret, an ſcilicet ex illa una, quæ primo homini data eſt, ceteræ propagentur, an continuo a Deo creentur, an alicubi jam exiſtentes, vel mittantur divinitus, vel ſponte labantur in corpora; deinde: *Ne longum faciamus, hoc certe ſentis, quod ſingulas animas ſingulis naſcentibus etiam modo Deus faciat*, ut Marcellino reſpondens tradiderat; quare etiam atque etiam rogat, ut quibus ſententiam ſuam rationibus confirmare poſſet, exponere non dedignetur, qua epiſtola multa alia interſerit, quæ longum eſſet hoc loco inſerere. Epiſtola altera per eumdem Oroſium miſſa Hieronymum rogavit, ut eam Apoſtoli Jacobi ſententiam exponeret, qua legitur: *Qui offenderit in uno factus eſt omnium reus*, multaque in eam rem adnotat de Stoicis, qui docebant omnia peccata eſſe paria, ſicuti & virtutes, ita ut quiſquis haberet unam, haberet omnes, qui una careret nullam haberet. His acceptis ab Auguſtino epiſtolis ſive libris, brevi epiſtola Hieronymus reſpondendum cenſuit, eaque laudata Oroſii in iis perferendis diligentia, cur non reſponderit ſe ſe excuſat his verbis: *Itaque duobus libellis tuis, quos meo nomine dedicaſti, eruditiſſimis, & omni eloquentiæ ſplendore fulgentibus, ad tempus reſpondere non potui, non quod quidquam in illis reprehendendum putem, ſed quia juxta Apoſtolum, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*,

JESU CHR. AN. 414.

Inter epiſt. Hier. 131. *Auguſt. epiſt.* 166.

v. 3. 4. 5. 6.

Altera quæſtio Hieronymo ab Auguſtino propoſita.

Jacobi epiſt. 2.

Auguſt. epiſt. 167. *inter Hieronymi* 132.

Jesu Chr. an. 414.

det, alius quidem ſic, alius autem ſic; atque ne æmulis, aut hæreticis obloquendi occaſionem daret, ſe cum eo nullam quæſtionem habere velle profitetur: *Mihi decretum eſt*, inquit, *te amare, te ſuſcipere, colere, mirari, tuaque dicta quaſi mea defendere. Certe ut in Dialogo, quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus ſum, magiſque demus operam, ut pernicioſiſſima hæreſis de eccleſia auferatur*; Pelagiana ſcilicet, contra quam uterque jam ſtylum acuerat, Hieronymus tribus Dialogorum libris adverſus Pelagianos editis, Auguſtinus vero libro de natura & gratia, cujus meminit Hieronymus, etſi nondum accepiſſet: *Alios quoque libros ſpecialiter tuo nomini cudere dicitur*.

Hieronym. Dialog. 3. contra hær. Pelag.

Auguſtini liber de natura & gratia.

12. Hunc de natura & gratia librum Timaſio, & Jacobo Auguſtinus inſcripſit, quos honeſtiſſime natos, liberalibuſque inſtitutis eruditos fuiſſe teſtatur in libro de geſtis Pelagii cap. 23. in epiſtola vero ad Innocentium Papam, cui eumdem librum miſit, eos non ſolum religioſos, honeſtoſque juvenes, ac Dei ſervos appellat, quos etiam, Pelagio hortante, ſeculo renunciaſſe narrat, eorumque precibus, ſe Pelagii librum confutandum ſuſcepiſſe addit, quibus librum de natura & gratiæ inſcripſit, ut eos in Pelagii hæreſim incaute corruentes revocaret; unde in epiſtola ad Evodium de rebus ſuis agens, quot quantiſque curis deſtinaretur enarrans, inter opuſcula hoc tempore edita adnotat: *Scripſi etiam grandem quemdam librum adverſus Pelagii hæreſim, cogentibus nonnullis fratribus*, ideſt Timaſio & Jacobo, *quibus contra gratiam Chriſti opinionem pernicioſiſſimam ille perſuaſerat*. Nec Romæ ſolum ad Innocentium Pontificem una cum Pelagii libro confutationem ſuam Auguſtinus miſit, ſed Hieroſolymis etiam ad Joannem Epiſcopum, ut ubi Pelagius pietatis larva latens, hæreſis ſuæ venena ſparſerat, antidotum pararet; eaque epiſtola Joannem, quem Pelagio faviſſe audierat, hortatur, & admonet, ut ita diligat, ne errorem tueatur: *Pelagium fratrem noſtrum*, inquit, *filium tuum, quem audio quod multum diligis, hanc illi ſuggero exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, & diligenter audierunt, non ab eo tuam ſanctitatem exiſtiment falli*; & iterum: *Si diligitis Pelagium, diligat vos etiam ipſe immo magis ſeipſum, & non vos fallat*; hinc ut geſta eccleſiaſtica, quibus ab hæreſis labe Pelagium ſe Hieroſolymis purgaſſe audierat in Hieroſolymitana ſynodo, ad ſe

Epiſt. 177. n. 6.

Epiſt. 169. cap. ult.

ſe tranſmittat, enixe rogat. Hunc de natura & gratia librum recenſens Auguſtinus libro Retractationum, ſe quædam ex Pelagii libro tanquam Sixti Romani Pontificis & Martyris retuliſſe narrat, quæ poſtea Sixto Philoſopho, non Sixto chriſtiano tribuenda eſſe cognovit.

JESU CHR. AN. 414. *Cap.* 64.

De Oroſii libris.

13. Nec eſt prætereundum ex Oroſii ad Auguſtinum profectione accidiſſe, ut Oroſius adverſus Ethnicos hiſtoriam libris ſeptem ſcribendam ſuſciperet, quam hortante Auguſtino vulgaſſe idem initio, & ſub finem operis teſtatur: quam & Auguſtino dicavit, unde: *Præceptis tuis parui*, inquit, *Beatiſſime pater Auguſtine, atque utinam tam efficaciter, quam libenter*; & in fine, cum eam triennio poſt abſolviſſet anno 417. *Explicui adjuvante Chriſto ſecundum tuum præceptum beatiſſime pater Auguſtine ab initio Mundi uſque ad præſentem diem, hoc eſt per annos quinque millia quingentos nonaginta & octo cupiditates & punitiones hominum peccatorum, conflictationes ſeculi & judicia Dei quam breviſſime, & quam ſimpliciſſime potui*; & paulo ſupra: *Supereſt ut obtrectatores noſtros molitionum ſuarum pœniteat, veritatique erubeſcant*; cum etenim poſt captam a Gothis Urbem, innumeris pene calamitatibus afflictaretur Romanus Orbis, ad veterem rancidamque cantilenam Gentiles redierant, ideo ſcilicet tot calamitatibus Romanam Rempublicam affligi, quod veterem religionem, chriſtiana adoptata, Romani repudiaſſent, quos ideo Oroſius, totis ſeptem libris refellit, quæ ſingulis ætatibus calamitates evenerint recenſens, ut inde pateret, chriſtianæ Religioni eas non eſſe tribuendas; quos etiam hoc eodem tempore confutavit Auguſtinus libro quarto & quinto de Civitate Dei. Apologiam quoque contra Pelagium Oroſius ſcripſit, ſeu librum de arbitrii libertate, quo gratiæ neceſſitatem adverſus Pelagii errores adſtruit, ut ibidem videre eſt. Interea cum aliquandiu apud Auguſtinum ſubſtitiſſet Oroſius, eodem Auguſtino hortante, in Palæſtinam ad Hieronymum perrexit, ut Auguſtini, & Hieronymi epiſtolæ teſtantur; unde Gennadius: *Hic eſt Oroſius*, inquit, *qui ab Auguſtino pro diſcenda animæ ratione ad Hieronymum miſſus*, *rediens* (ad Auguſtinum) *reliquias Beati Stephani primi Martyris, tunc nuper inventas, primus intulit Occidenti*. Sed de peregrinatione ſua ad Hieronymum, id m audiatur Oroſius: *Latebam ignotus in Bethleem advena pauper, traditus a patre Auguſtino, ut timorem Domini diſcerem ad pedes Hieronymi, inde Hieruſalem*

Lib. 1. *proœm.*

Lib. 7. *Biblioth. PP. tom.* 6.

Auguſt. epiſt. 166. *Hier.* 17 *inter Auguſt. Gennad de vir. Illuſt. cap.* 39.

JESU CHR. AN. 414. *ſalem vobis accerſentibus vocatus adveni*; ac ſequenti anno ſynodo Hieroſolymitanæ adfuit, atque cum Pelagio de gratia & libero arbitrio diſputavit, ut ſuo tempore & loco dicturi ſumus.

Oroſ. apol. bibliotb. PP. tom. 6. pag. 449.

Pulcheria Auguſta a Theodoſio declaratur.

14. Dum in Occidente res ſacræ, ac prophanæ turbatæ erant, ut hactenus diximus, Orientale Imperium, cui Theodoſii ſoror præerat, altiſſima pace, felicitateque fruebatur, quod ſane Theodoſii, ac Pulcheriæ pietati præcipue debebatur; utque magis Principum concordia ſplendeſceret Imperium, novo, ac inuſitato exemplo ſororem ſedecim annorum virginem Imperio Theodoſius ſociavit hoc anno, ac Auguſtam dixit: *His conſulibus*, ideſt Conſtante, & Conſtantio, ait auctor Chronici Alex., *Pulcheria ſoror Theodoſii Junioris, nobiliſſima Auguſta dicta eſt menſe Panemo, IV. nonas Julias. Eodem anno dedicata ſunt tria ſtatharia ſeu pectoralia in Senatu*; ideſt tres pectorales, ſeu buſtales imagines Principum; *Honorii, & Theodoſii Auguſtorum, & Pulcheriæ Auguſtæ ab Aureliano iterum Præfecto ſacrorum prætoriorum, ac Patricio menſe Appelleo III. Kal. Januarias*. Baronius mendoſum Marcellini chronicon nactus, Pulcheriæ inaugurationem cum anno ſequenti copulavit, Theophanes vero anno præcedenti: *Hoc anno Antiochus Perſa e vivis exceſſit*. Is Theodoſio juniori tutor deſtinatus fuerat; *Beatiſſima vero Pulcheria ſupremam & abſolutam rerum adminiſtrationem exercuit*. At ſicuti in anno erravit Theophanes, ita in verſione erraſſe interpretem, poſt Combefiſium adnotat Pagius, ac legendum cenſet: *Antiochus Perſa rebus amotus eſt*; non vero *e vivis exceſſit*; amotus itaque, eo quod Theodoſius abſque curatore Imperii adminiſtrationem ſuſcepit, cujus initia ſororis Pulcheriæ inauguratione nobilitavit, quæ anno 399. nata quintum decimum agebat annum.

Pag. ad an. 414. n. 14. & an. 415. n. 22. Murat. Baſnag. an. 414.

Pulcheriæ in Deum pietas, & in Imperii adminiſtratione prudentia.

Sozom. lib. 9. cap. 1.

15. Quantum vero ſupra ſexum, & ætatem pietate in Deum, ac in Imperii adminiſtratione omni virtutum genere excelleret Pulcheria, pluribus narrant hiſtorici. *Primum quidem*, ait Sozomenus, *ſuam ipſius virginitatem Deo conſecravit, ſorores ſuas ad idem vivendi genus informavit, ne quem alium virum in palatium introduceret, atque æmulationis & inſidiarum occaſionem omnem excluderet. Denique ut ea quæ decreverat amplius confirmaret, Deumque, ac ſacerdotes, & ſubditos omnes, teſtes haberet actorum ſuorum, ex auro & pretioſis lapidibus admirabile quoddam donarium, operum quæ ſpectantur*

tur longe pulcherrimum, ſacram menſam in Eccleſia Conſtantinopolitana pro virginitate ſua, & pro fratris imperio dedicavit. Et in fronte ipſius menſæ, ut cunctis conſpicua eſſent, hæc eadem inſcripſit. Cumque divinis, humaniſque litteris inſtructa eſſet, ac Græco Latinoque idiomate ſcriberet, Romani Imperii curam optime ſapienterque gerebat, *quippe quæ recte conſuleret, & conſulta celeriter exequeretur, ac ſcriberet*; omnium tamen quæ agebantur laudem ad fratrem referebat; quem, ut diſciplinis ad ætatis captum accomodatis, quantum fieri poſſet, educaretur curavit, ac ut in cunctis verbis geſtiſque pro Imperatoria majeſtate ſe gereret, ipſa edocebat; nec ea, quæ ad pietatem fovendam ſpectabant, omittebat, eum aſſuefaciens, ut aſſidue oraret, & Eccleſias adiret, eaſque donariis ac pretioſis muneribus ornaret, ut Sacerdotes, omneſque viros bonos, & eos, qui ex Chriſtianorum legibus atque inſtitutis philoſopharentur, in pretio haberet. Præceteris vero, ne peregrinis dogmatibus chriſtiana Religio inficeretur, ſollicitius cavit; quot vero eccleſias extruxerit, ornaverit, aut ditaverit, quot pauperum, peregrinorumque diverſoria, quot denique monaſteria ædificaverit, ſumptibus ad id operis deſtinatis, recenſere longum eſſet, ait idem Sozomenus. JESU CHR. AN. 414.

16. Quantum vero Theodoſius Imperator, Pulcheriæ cura, & exemplo profecerit, ex infra dicendis conſtabit; atque hæc ex Socrate nunc adnotaſſe ſufficiet, in rebus gerendis prudentem adeo fuiſſe, omnique ſcientiarum genere inſtructum, ut longe ab ea vivendi mollitie, ac vecordia, qua ad Imperia educati diffluere ſolent, abeſſet; ita ut & algorem æque ac æſtum forti toleraret animo, jejunaret etiam ſæpiſſime, ac præſertim quarta & ſexta feria. Denique palatium ſuum ſic inſtituit, ut a monaſterio non multum diſcreparet. Matutino quippe tempore una cum ſororibus ſuis hymnos in Dei laudem recitare conſueverat, ſacræ autem Scripturæ libros memoriter callebat, et cum Epiſcopis, qui ipſum adierant, tanquam veteranus quidam Sacerdos de iiſdem diſſerebat. In colligendis autem divinis libris, eorumque interpretibus longe majorem adhibuit diligentiam, quam Ptolomæus olim Philadelphius. Clementia vero atque humanitate omnes mortales ſuperavit, ita ut nec illatas injurias unquam ſit ultus, nec quiſquam eum uſpiam iratum viderit; unde fiebat, ut capitali ſententia dignos quam ſæpiſsime dimittendos juberet. Quodam autem die, cum ſpe-

Theodoſii junioris religio, & morum probitas. *Socrat. lib. 7. 22.*

Jesu Chr. An. 414.

ſpectaculis in Amphitheatro intereſſet, ac populus petiiſſet; ut quemdam ad pugnandum cum beſtia immitteret; reſpondit: *Neſcitis nos cum humanitate & clementia ſpectaculis intereſſe ſolitos? quo dicto populum inſtruit humanioribus ſpectaculis delectari*. Dei autem Sacerdotes, eos maxime, qui vitæ ſanctitate excellebant, tanta pietate proſequebatur, ut cum Chebronenſis Epiſcopus extremum diem CPoli egiſſet, ſagum ejus petierit, ut eo tanquam pallio uteretur, ſperans ex tanti viri meritis, ſe ejuſdem protectione fruiturum. Eximiæ quoque in Deum pietatis ſpecimen exhibuit, cum graviſſima exorta tempeſtate, eo tempore quo ſpectaculis aderat, ad populum per præcones dixit: *Multo ſatius eſt, ut omiſſo ſpectaculo omnes pariter Deo ſupplicemus, quo ab imminente tempeſtate ſervemur illæſi*. Quo dicto, omnes ſumma alacritate Deo ſupplicantes, hymnos in circo concinere cœperunt, ac tota quidem civitas inſtar cujuſdam eccleſiæ videbatur; Imperator vero in medio incedens privato habitu ceteros præibat, quo factum eſt, ut continuo Cæli rediret ſerenitas. Ejuſdem votis ſupplicationibuſque alias quoque Deum faviſſe, ibidem Socrates adnotat.

De inventione reliquiarum SS. Quadraginta Martyrum. *Sozom. lib. 9. cap. 1. cap. 16. & ult.*

17. Theodoſii ac Pulcheriæ Auguſtæ pietatem Deo acceptam fuiſſe, multis quidem argumentis demonſtrari poteſt, ait Sozomenus; *libens* tamen prætereo, illud vero quod per ſe *ipſum, & eccleſiaſticæ hiſtoriæ congruum eſſe mihi videtur, & divini in illam*, ideſt Pulcheriam, *amoris perſpicuum argumentum, hoc loco commemorabo*, cum ſcilicet ejus Imperium ob inventionem Reliquiarum Sanctorum quadraginta Martyrum nobilitatum fuit, quorum inventionem & tranſlationem capite ſequenti pluribus narrat; eaſque in pretioſiſsima capſa reconditas, juxta admirandum Tyrſum Martyrem depoſitas fuiſſe addit; *cui ego quoque interfui*, addit Sozomenus.

Cap. 2.

Synodus Macedoniæ, Innocentii Papæ epiſtola ad Epiſcopos ejuſdem provinciæ. *Apud Coutan. pag. 830.*

18. Macedoniæ Epiſcopi ſynodum hoc anno celebrarunt, qua ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantia nonnulla ſtatuerant, ac datis ad Innocentium Pontificem epiſtolis, per Vitalem Archidiaconum confirmanda curarunt, ut ex Innocentii epiſtola conſtat, eaque data eſt idibus Decemb. Flavio Conſtantio Coſſ. inſcripta vero Rufo Theſſalonicenſi Epiſcopo, Euſebio, Euſtathio, aliiſque Epiſcopis Macedoniæ; ac inprimis ſe mirari ait Pontifex, quod dum ad Apoſtolicam ſedem, tamquam ad eccleſiarum caput recurrebant, injuria eam afficiebant, cum ab Apo-

Jesu Chr. an. 414.

Apoſtolica Sede olim definita iterum in dubium revocarent; cujuſmodi erat quæſtio, utrum bigamus cenſendus eſſet, qui viduam duxerat, aut qui virginem poſt baptiſmum, cum ante baptiſmum aliam duxiſſet, quos omnino bigamos habendos eſſe confirmat. Hæreticos, aut ab hæreticis ordinatos manuum impoſitione recipiendos quidem, ad ordines tamen non eſſe admittendos, ait; ſi qui vero a Bonoſo ordinati, in clero recepti fuerunt, id, neceſſitate cogente, in exemplum trahi non oportere admonet; nec etiam quod de ſolis Novatianis, ſeu Catharis ſtatuerat Nicæna ſynodus. Photinum deinde, quem Apoſtolica Sedes Epiſcopatu dejecerat, ut in ordine ſuo reſtitui poſſit, largitur, cum falſo rumore ſubreptum fuerit, quidquid adverſus eum olim fuerat geſtum; *Itaque pro veſtra approbatione fratres cariſſimi, & ſententia, & poſtulatione Photinum Epiſcopum habetote licitum ita conſtituere, ut deprecamini, & noſtram in melius converſam ſententiam, labore, vel teſtimonio veſtro compotes voti ſuſcipite.* Capite tandem ultimo Euſthaſium Diaconum nonnullorum invidia accuſatum, gradu ſuo dejiciendum non eſſe, admonet, eoſque ad pacem caritatemque cum eo fovendam hortatur, ut ibidem videre eſt.

De epiſtolis Paulini ad Auguſtinum, & viciſſim. *Auguſt. epiſt.* 27. 31. 42. 80. 95. 149. *Paul. epiſt.* 4. 6. 45. 50. *Auguſt. epiſt.* 149.

19. Quanto amicitiæ caritatiſque vinculo conjuncti eſſent Paulinus & Auguſtinus, eorumdem epiſtolæ viciſſim datæ, & acceptæ teſtantur. Paulinus interea Nolæ Epiſcopus circa annum 410. ordinatus, tanta Auguſtinum veneratione proſequebatur, ut ad eum varias quæſtiones, tanquam ad magiſtrum, & Orbis oraculum proponeret. In quam rem ſuperſunt adhuc Paulini epiſtolæ, ac Auguſtini, quibus propoſitas ſibi quæſtiones ſolvit. Eodemque amicitiæ vinculo cum aliis pietate doctrinaque præſtantiſſimis viris conjunctus erat Paulinus, ut ex epiſtolis ad Hieronymum, ad Severum Sulpicium, ad Amandum, ad Dulphinum conſtat. Inter quæſtiones, quas Paulinus Hieronymo exponendas rogaverat, hæc erat: Qua ratione dicatur, quod Deus Pharaonis cor induraverit; ac Apoſtolus Paulus addat: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei &c.* quibus liberum tolli arbitrium videbatur. Hieronymum etiam interrogaverat, cur chriſtianorum filii ſancti dicerentur, cum ſine baptiſmate ſalvi eſſe non poſſint. Utrique quæſtioni, aliis diſtentus curis, quambreviſſime ſatisfecit Hieronymus, ac ad libros Periarchon a ſe nuper Pammachio miſſos remittens, quibus primam tractaverat quæſtionem, alteram Tertullianum

De epiſtolis Paulini ad Hieronymum, alioſque. *Exod.* 4. 10. *ad Rom.* 9. 16.

JESU CHR. AN. 414. in libris de Monogamia ſolviſſe admonet, aſſerens *ſanctos dici fidelium filios, quod quaſi candidati ſint fidei, & nullis Idololatriæ ſordibus polluti*. Duabus alteris epiſtolis Paulinum ob vitæ ſanctitatem, ac ſermonis elegantiam mirifice laudat, atque ad ſacrarum Scripturarum ſtudia hortatur, ac de vita pie ſancteque agenda pluribus edocet.

Auguſtini epiſtola ad Hilarium Syracuſanum.

20. Hoc etiam tempore dum Auguſtinus immenſis pene negotiis non tam diſtineretur, quam obrueretur, ac in Pſalmorum expoſitionibus, librisque de Civitate Dei digerendis intentus eſſet, ut ejuſdem ad Evodium datæ epiſtolæ indicant, Hilarius quidam Syracuſanus, Pelagianam hæreſim Siracuſis impune graſſari cernens, Auguſtinum conſulendum cenſuit, ac datis ad eum epiſtolis enixe, ſubmiſſeque: *Rogo*, inquit, *ut mei memor in ſanctis orationibus tuis eſſe digneris, atque imperitiam noſtram informare de eo, quod quidam chriſtiani apud Syracuſas exponunt, dicentes poſſe eſſe hominem ſine peccato, & mandata Dei facile cuſtodire, ſi velit* (absque ſcilicet auxilio divinæ gratiæ); infantes etiam non baptizatos non poſſe perire merito, utpote qui ſine peccato eſſent; divites vero divitias retinentes Regnum Dei non poſſe ingredi, nec iis prodeſſe poſſe, etiamſi ex ipſis divitiis eleemoſinas fecerint, & cetera Dei mandata ſervaverint; de Eccleſia tandem quomodo dicatur eam non habere neque rugam, neque maculam, *utrum hæc ſit, in qua nunc congregamur, an illa, quam ſperamus &c.* Quod optaverat Hilarius, impigre præſtitit Auguſtinus, ad ſingula reſpondens capita; nomini tamen famæque Pelagii tunc pepercit, ſperans adhuc eum ad meliora fortaſſe rediturum; præcipua vero Pelagianæ hæreſis dogmata, tam diſtincte enucleateque in ea epiſtola confutavit, ut etſi in hoc prœlio adhuc tyro videretur, ac velitationibus tantum non aperto marte, aut juſto prœlio egerit, tanquam veteranus miles hoſtem lœthali vulnere ſauciaverit, & nullibi ubi pedem in tuto poneret, reliquerit, nec in aciem cum eo Pelagius deſcendere auſus fuerit, ut ſequentibus annis dicenda monſtrabunt.

Inter Auguſt. epiſt. 156. — *Epiſt. 157.*

Hieronymi epiſtola ad Cteſiphontem contra Pelagianos.

21. Quo tempore Auguſtinus tum epiſtola ad Hilarium Syracuſanum, cum libris de Natura & Gratia ad Jacobum & Timaſium, Pelagio ejuſque hæreſi bellum indixit; gravi quoque ictu eamdem ſauciavit Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem hoc anno data; unde Oroſius in Hieroſolimitana ſynodo anno ſequenti Julio menſe habita, de Pelagii errore loquens, quod

quod homo propriis viribus Dei mandata cuſtodire poſſit : *Hoc*, inquit, *B. Hieronymus in epiſtola ſua, quam nuper ad Cteſiphontem edidit, condemnavit*. Porro Cteſiphon, cum in Urbe Pelagii doctrinam circumferri, palamque tueri videret, Hieronymum de Pelagii dogmatibus, quæ multorum jam animos movebant, admonuit. Ille vero his acceptis, longiori adornata epiſtola, nihil hæreticorum minas veritus, quin potius idcirco animos ſibi ſumens, etſi illi ſcriptorum ſuorum fulmina minitarentur, cum Pelagianis in certamen deſcendere non dubitavit, ac primo decantatam Pelagianorum a peccatis omnibus immunitatem, tanquam diabolicæ ſuperbiæ figmenta, ac Pythagoreorum placita confutavit; Dei vero gratiam, cujus ope ad ſingulos pietatis actus indigemus, ita adſtruit, ut eorum fallaciis, quibus obtentu liberi arbitrii ſimplicioribus illudebant, nullum reliquerit locum. Tum illos ad reſpondendum, ac ut libere loquerentur, ne quod ſemel ſcripſerint negare poſſent, invitavit. Hæc & alia adverſus Pelagianos, quos etiam Dialogorum libris copioſius hoc eodem tempore confutandos ſuſcepit.

JESU CHR. AN. 415.

JESU CHRISTI AN. 415. INNOCENTII PAPÆ 15.
HONORII IMP. 23. ET 21. THEODOSII JUN. 14. ET 8.
COSS. HONORIO AUG. X. ET THEODOSIO AUG. VI.

1. Ob Inventionem Reliquiarum ſancti Stephani Protomartyris, illuſtris hic annus perſeverat. Id labenti anno contigiſſe teſtes ſunt Idaciani Faſti de ea hæc adnotantes: *Honorio X., & Theodoſio VI. Coſſ. Sanctus Stephanus primus Martyr revelatur s. Presbytero Luciano, die ſexta feria, quæ fuit tunc tertio nonas Decembris in Hieroſolymis, Sancto Joanne Epiſcopo præſidente, & extant ex his geſtis epiſtola ſupradicti Presbyteri, & s. Aviti Presbyteri Bracharenſis, qui tum in Hieroſolymis degebat*. Idacio conſentit Marcellinus in chronico ad hunc annum, aliique plures rerum eccleſiaſticarum ſcriptores etiam coævi, aut ea ætate proximi, Auguſtinus ſcilicet, qui cum libros de civitate Dei hoc tempore ſcriberet, reliquiarum inventionem, & miracula tunc edita commemorat. Gennadius etiam reliquias Beati Stephani Martyris nuper inventas in Occidenti Oroſium intuliſſe refert, una cum Luciani epiſtola in latinum ab Avito Hiſpano translata. Ejuſdem translatio-

Inventio Reliquiarum S. Stephani Protomartyris.

Auguſt. de civit. Dei lib. 22. cap. 8.

Gennad. de vir. Illuſt. cap. 46.

omnibus Sanctis, qui ſunt in Chriſto Jeſu in univerſo Mundo in Domino ſalutem &c. Die Paraſceve hoc eſt ſexta feria, tertio nonas Decembris, conſulatu Honorii decies, & Theodoſii ſexies Aug. ſibi apparuiſſe Beatum Sthepanum, cum Nicodemo, & Gamaliele narrat, ac ſibi dormienti hora tertia noctis apparuiſſe virum ſenem, palliatum alba ſtola, cui inerant gemmulæ aureæ habentes intrinſecus ſanctæ Crucis ſignum, & virgam auream in manu tenentem, qua ter eum pulſavit vocans nomine ſuo, ac dicens: Luciane, Luciane, Luciane, vade in civitatem, quæ dicitur Ælia, quæ eſt Hieruſalem, & dic. Joanni, qui eſt ibi Epiſcopus: Quamdiu clauſi ſumus, & non aperis nobis? Cui cum Lucianus dixiſſet, quis es tu Domine, & hi qui tecum ſunt? & reſpondit: Ego ſum Gamaliel, qui Paulum Apoſtolum Chriſti nutrivi, & legem docui in Hieruſalem, & qui mecum in Orientali parte monumenti jacet, ipſe eſt dominus Stephanus, qui lapidatus eſt a Judæis & a principibus ſacerdotum in Hieruſalem pro Chriſti fide, quem ego Gamaliel ſepeliendum curavi. Alter eſt Nicodemus, qui ad Salvatorem Jeſum noctu perrexit, ab eoque audivit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum cœlorum, & abiens baptizatus eſt a Chriſti diſcipulis, quem cum Judæi anathematizaſſent, ac de civitate ejeciſſent, ego perſecutionem pro Chriſto paſſum in agro meo ſepelivi juxta dominum Stephanum Prothomartyrem. Alter vero eſt Abibus filius meus dilectiſſimus, qui mecum baptiſmum Chriſti accepit, & cum viginti annorum ætatem ageret, ante me mortuus eſt, in tertia theca depoſitus jacet, in qua & ego ipſe poſtea defunctus poſitus fui. Hæc & alia cum Luciano dixiſſet Gamaliel, Lucianus e ſomno excitatus eſt, & Deum rogare cœpit, ut clarius rem aperiret, ne fortaſſe illuſione aliqua deciperetur; cui paulo poſt Gamaliel eadem ſimilitudine apparuit objurgans eum, quod ea Joanni Epiſcopo Hieroſolymorum nunciare hactenus diſtuliſſet; cumque rogaſſet Lucianus quo loco corpora ſepulta eſſent, *in medio Praſlio*, *quod poteſt intelligi agro ſuburbano* villæ *proximo*, reſpondit Gamaliel; cumque adhuc hæreret Lucianus, ne ſi forte hæc Joanni nunciaſſet, tamquam ſomniator rideretur, poſt tres hebdomadas Luciano iterum apparuit Gamaliel exprobrans, quod viſioni nondum paruiſſet, atque ut tandem juſſa perficeret excitavit, qui ſtatim expergefactus, Joannem adiit, eique cuncta per

Jesu Chr. an. 415.

Jesu Chr. an. 415. per ordinem narravit. Cum hæc Joannes Epiſcopus audiiſſet; Luciano dixit, ut ad locum properaret, ac foderet, quod ſi loculos inveniſſet, ad ſe continuo Diaconum remitteret, ut ipſe etiam Reliquiarum inventioni adeſſet; quare Lucianus illuc pergens fodere cœpit in loco, ubi acervus lapidum erat, putans ibidem juxta morem Hebræorum recondita fuiſſe Sanctorum corpora, ſed a Nigetio monacho admonitus, cui Gamaliel eadem nocte apparens locum indicaverat, ut ad auſtralem plagam foderet, tres thecas invenit uno ſepulchro reconditas, quod lapide claudebatur, cum hac inſcriptione: *Celiel. Apaan*: *Dardan*, ideſt ut Joannes interpretatus eſt: *Servus* Dei, ſeu Stephanus, Nicodemus & Gamaliel.

Reliquiarum inventio, & translatio.

4. *Statim ergo renunciavi Epiſcopo*, ſubdit Lucianus, *cum eſſet in Lidda, quæ eſt Dioſpolis, ſynodum agens*, adverſus Pelagianos ſcilicet, qua Pelagius ipſe adfuit, ac hæreſim ore tenus ejuravit, de qua infra dicturi ſumus, nunc ad Reliquiarum inventionem, & translationem properamus. *Aſſumpſit ſecum*, (Joannes ſcilicet Hieroſolymorum Epiſcopus) *duos alios Epiſcopos Eleutherium de Sebaſte, & Eleutherium de Jericho, & venerunt ad locum, qui cum aperuiſſent Domini Stephani thecam, ſtatim terræmotus factus eſt, & tanta ſuavitas, & fragrantia odoris inde egreſſa eſt, quantum nullus hominum ſe meminit vel audiſſe, vel ſenſiſſe, ita ut putaremus nos in amenitate paradiſi eſſe poſitos*. Cumque multitudo populi, ut fieri ſolet, adeſſet, atque ex iis quamplurimi variis languoribus laborantes, in ipſa inventione ſeptuagintatres curati ſunt, ab aliis fugati dæmones, aliorum fons reſtinctus eſt ſanguinis, alii ſtrumis, & furunculis liberati ſunt, alii a febribus tertianis, & quartanis, aliiſque morbis curati ſunt. Cum pſalmis autem & hymnis B. Stephani Reliquiæ in ſanctam eccleſiam Sion translatæ ſunt ſeptimo Kal. Januarii, ait Avitus. Ejuſdem inventionis non ſemel meminit s. Auguſtinus, ac in ſermone de S. Stephano hæc inter cetera habet: *Hujus corpus ex illo uſque ad iſta tempora latuit, nuper autem apparuit, ſicut ſolent apparere ſanctorum corpora Martyram revelatione Dei, quando placuit Creatori*; & poſt aliqua: *Præcedentibus ſignis locus demonſtratus eſt, & quomodo fuerat revelatum, ſic & inventum eſt. Multi inde Reliquias acceperunt, quia Deus voluit, & huc venerunt*; & ſermone ſequenti: *Statuit tanto tempore corpus ejus, proceſſit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta*

ta miracula fecit mortuus, vivos facit mortuos, quia nec mortuus &c.

Jeſu Chr. An. 415.

Miracula edita, occaſione Reliquiarum S. Stephani.

5. Quanta autem miracula tunc patrata fuerint, longum eſſet per ſingula exponere, nam præter revelationem Luciano Presbytero, & Nigetio monacho factam, & inſperatam diuque expetitam pluviam e Cœlo datam, ſeptuaginta tres variis languoribus afflicti ſanitati ſunt reſtituti, Dæmones etiam ex nonnullis eorum fugati, invictam Chriſti in Martyre ſuo virtutem vel inviti confiteri coacti. Inſigniora adhuc ſunt, quæ earumdem Reliquiarum occaſione in Occidente geſta ſunt miracula, quo earum partem Oroſius, tum in Hiſpanias, cum in Africam detulit, ad Auguſtinum, ad Poſſidium, & Evodium; unde Hippone, Calamis, & Uzali in Protomartyris memoriam eccleſiæ ædificatæ ſunt, in quibus Reliquiæ fuerunt reconditæ: ad Aquas etiam Tibilitanas Projectus Epiſcopus ejuſdem Martyris reliquias recondidit, Lucillus in Caſtello Sinicenſi, & in Caſtello Anduritano, de quibus pluribus agens Auguſtinus, inter cetera adnotat: *Nondum eſt biennium, ex quo apud Hipponem Regium cœpit eſſe iſta memoria*, Stephani Protomartyris ſcilicet, *& multis, quod nobis certiſſimum eſt, non datis libellis de iis quæ mirabiliter facta ſunt; illi ipſi qui dati ſunt, ad ſeptuaginta ferme numerum pervenerunt, quando iſta conſcripſi*. Erant libelli ipſa facti miraculi certa ſcriptis mandata teſtificatio; ſubdit autem: *Calamæ vero, ubi & ipſa Memoria prius eſſe cœpit, & crebrius dantur, & incredibili multitudine ſuperant. Uzali etiam, quæ Colonia Uticæ vicina eſt, multa præclara per eumdem Martyrem facta cognovimus; cujus ibi Memoria, longe priuſquam apud nos, ab Epiſcopo Evodio conſtituta eſt*. Fuit hic clarus inter Africæ Epiſcopos, ad quem extant litteræ ſancti Auguſtini, unuſque ex quinque illis Epiſcopis, quorum habentur privatæ litteræ ad Innocentium Pontificem, quarum infra mentio occurret; & iterum de miraculis Uzali ob reliquias S. Stephani fieri ſolitis, idem Auguſtinus: *Apud Uzalim*, inquit, *ubi eſt Epiſcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant, quærite, & invenietis*, ita ut non ſolum a morbis cujuſcumque generis, a Dœmonum infeſtatione quamplurimi liberati fuerint, ſed etiam mortui ad vitam revocati, de quibus non ſolum Auguſtinus loco ſupracitato agit, ſed etiam auctor antiquus & coævus, qui Evodius creditur a Lovanienſibus, & Baronio. Hic porro duobus libris miracula Uza-

Auguſt. de civit. Dei lib. 22. c. n. 20.

Serm. de diverſ. num. 323

Apud Auguſt. tom. 7. append. pag. 26.

JESU CHR. AN. 415. li patrata proſecutus eſt, Evodio jubente, nam ait: *Propterea Beatiſſime Papa Evodi, juſſis paternitatis tuæ ſtudioſe obtemperare curavi, non tam ſiſus viribus meis, quam adjutus gratia Dei, & ſanctis orationibus tuis, ut ea, quæ per patronum noſtrum Stephanum primum Martyrem ſuum operatus eſt apud nos Chriſtus, & adhuc operari dignatur, non malivola taciturnitate ſupprimere, ſed magis pia devotione narrare &c.* His addenda eſt epiſtola Severi Minoricenſis inſulæ ex Balearibus Epiſcopi ad omnes ubique Eccleſias de converſione quingentorum quadraginta Judæorum ad fidem Chriſti ob miracula ibidem facta, cum Oroſius Presbyter ex Hieroſolyma in Hiſpanias rediens, partem reliquiarum S. Stephani, quas ſecum deferebat, in ea eccleſia collocavit, quam epiſtolam anno 417. Honorio Aug. XI. & Conſtantio iterum Coſſ. Severus vulgavit; eamque annalibus ſuis integram Baronius inſeruit, quam nos utpote longiorem, ad alia properantes, prætermimus.

Apud Auguſt. tom. 7. append. p. 15.

Bar. an. 418. n. 43. ad 73.

In revelatione reliquiarum S. Stephani mira Dei conſilia.

6. Divino ſane Dei conſilio factum eſt, ut hoc tempore S. Stephani Reliquiæ detegerentur, & unius hominis chriſtiani ante quadringentos fere annos vita functi pulvis & oſſa, tot, tantaque præſtarent, ut ea ſola ſufficerent, ſi cetera ad fidei confirmationem miracula olim edita defeciſſent, non ſolum ad confirmandos in fide fideles, & Judæos, ac Ethnicos (dummodo non omnino excæcati, & obſtinati eſſent) ad fidem Chriſti pertrahendos; hoc inquam tempore, cum ob urbem a Gothis captam, variaſque calamitates Rom. Imperio immiſſas, Gentiles adverſus Chriſtianos obmurmurarent, quaſi eorum cauſa, & ob ſpretum Deorum cultum hæc orbi Romano contigiſſent, quos propterea Auguſtinus, & Oroſius confutandos ſuſceperunt, quibus Deus quodammodo auxilio adfuit, ut ſicuti Juliani Apoſtatæ impietatem Reliquiis S. Babylæ Martyris vicit, & Arianam impietatem Mediolani tempore S. Ambroſii Epiſcopi, Gervaſii & Protaſii Martyrum Reliquiis profligavit, ita quoque hoc tempore Judæorum perfidiam, æque ac Ethnicorum temeritatem, Reliquiis Protomartyris Stephani redargueret.

Auguſt. de civit. Dei lib. 1. 2. 3. 4.
Oroſ lib. 7. hiſt. ſeu de provid. Dei.

De ſynodo Hieroſolymitana adverſus Pelagium.

7. Anno 412. in Africam tranſiens Cæleſtius Pelagianam hæreſim ſecum detulerat, eamdemque a Carthaginenſi ſynodo damnatam fuiſſe ibidem adnotavimus. Eodem fere tempore Pelagius in Palæſtinam navigans eamdem peſtem detulerat; is vero a Joanne Hieroſolymitano Epiſcopo ob ſimulatam pietatem

tem, doctrinæque famam exceptus, ſub ovina pelle lupus aliquandiu latuit: errores ſuos verbo primum diſſeminavit, verens, ne ſi ſcripto traderet, nullus defenſioni locus relinqueretur; diſcipulorum tamen loquacitate cito res eo deducta eſt, ut in rixas, factioneſque Hieroſolymis fideles ruerent, ac de Pelagii nomine quidam etiam Pelagiani dicerentur; unde de Pelagio Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem: *Fratrum*, inquit, *cernis jurgia, & rides, atque lætaris, quod alii tuo nomine, alii Chriſti appellentur*. Cum itaque in ſchiſma fere Hieroſolymorum eccleſia ob Pelagii doctrinam ſcinderetur, Joannes rem ultra diſſimulandam non cenſuit, ſed coacta Presbyterorum ſuorum ſynodo, Pelagium ad eam vocavit, ut de fidei ſuæ rationem redderet. Rem geſtam narrat Oroſius, qui ad ſynodum a Joanne Hieroſolymorum epiſcopo vocatus fuerat, ut ſi quid de doctrina Pelagii, & Cæleſtii ſciret proderet; ac mirum eſt, hanc ſynodum Baronii diligentiam effugiſſe, cujus geſta ab Auguſtino in libro de geſtis Pelagii referuntur, ita ut de ea dubitari non poſſit, quam die 30. Julii habitam fuiſſe his verbis indicat: *Nunc* autem poſt dies 47. (ab ea ſynodo) *cum primo Enceniorum die, ut ſolitus eram, quando aderam, ad obſequium Joannis Epiſcopi cucurriſſem*; de Enceniis eccleſiæ Hieroſolymitanæ loquitur, quæ die decimaquarta Septembris celebrabantur; quare dies 47, ante 14. Septemb. in 30. Julii incidit, qua Hieroſolymitano conventui Oroſius adfuit, de qua: *Latebam*, inquit, *in Bethleem ignotus, advena, pauper, traditus ab Auguſtino, ut timorem Domini diſcerem ſedens ad pedes Hieronymi. Inde Hieruſalem vobis accerſentibus vocatus adveni: dehinc in conventum veſtrum una vobiſcum, Joanne Epiſcopo præcipiente conſedi. Illico a puſillitate mea poſtulatis univerſi, ut ſi quid ſuper hac hæreſi, quam Pelagius, & Cæleſtius ſeminarunt, in Africa geſtum eſſe cognoſcerem, fideliter ac ſimpliciter indicarem*. His reſpondit Oroſius, Cœleſtium *apud Carthaginem plurimis Epiſcopis judicantibus proditum, auditum, convictum, confeſſum, deteſtatumque ab Eccleſia*; anno 412. *ex Africa profugiſſe*; addidit etiam, Auguſtinum libro de Natura & Gratia Pelagii librum confutaſſe, ejuſdemque errores in epiſtola ad Hilarium Syracuſanum arguiſſe, quam cum Oroſius in promptu haberet, in ſynodo lecta eſt; tum vero Joannes Epiſcopus juſſit, ut Pelagius introduceretur, quo præſente una.

JESU CHR. AN. 415.

Hier. epiſt. 133. n. 12.

Oroſ. Apolog. cap. 2. 3. 4. Biblioth. PP. tom. 6. pag. 449. Auguſt. tom. 10. pag. 213.

JESU CHR. AN. 415. *unanimiter omnes* eum *interrogaſtis*, an hæc, quibus Auguſtinus Epiſcopus reſpondiſſet, ſe docuiſſe fateretur; at Pelagius: *Et quis eſt mihi Auguſtinus?* reſpondit. Ad hæc verba adſtantes exhorruere, eumque blaſphœmare dixerunt. Joannes nihilominus hominem laicum, *in conſeſſu Presbyterorum*, *reum hæreſeos manifeſtæ*, *in medio Catholicorum ſedere præcepit*; tum ad Pelagium converſus: *Auguſtinus ſum ego*, *ait*; cui repoſuit Oroſius: *Si Auguſtini perſonam ſumis*, *Auguſtini ſententiam ſequere*; cumque juſſus eſſet Oroſius, ut ea proferret, quæ adverſus Pelagium objiciebantur, dixit ſe Pelagium audiſſe docentem, *hominem poſſe eſſe ſine peccato*, *& mandata Dei facile cuſtodire*, *ſi velit*, eademque ſe dixiſſe faſſus eſt Pelagius; quare Oroſius addidit: *Hoc in Cœleſtio Africana ſynodus*, Carthaginenſis ſcilicet anni 412., *deteſtata eſt*; hoc Auguſtinus Epiſcopus ſcriptis ſuis exhorruit; hoc beatus Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem nuper edita condemnavit; *ſimiliter & in libro*, *quem nunc ſcribit*, *collata in modum Dialogi altercatione*, *confutat*; ideſt in Dialogis contra Pelagianos. His auditis, Joannes Epiſcopus Oroſium urgere cœpit, num apud ſe Pelagii accuſatorem agere vellet, ac laudata Abrahæ fide, Zachariæ, & Eliſabeth juſtitia, partes Pelagii tueri quodammodo conatus eſt; Oroſius autem accuſatoris officium nolle agere addidit ſe apud Joannem, cum Pelagii advocatus, & judex eſſe non poſſet; nonnulla etiam addidit, eo quod hactenus a ſe in ſynodo dicta interpres, vel data opera, vel ex latini ſermonis ignorantia corruperat; ita ut *viri primarii*, *& religioſi Paſſerius & Avitus Presbyteri* notarium & interpretem arguerent; unde factum eſt, ut integram cauſam Innocentio Rom. Pontifici Joannes Epiſcopus judicandam reſervaret, indicto interea utriuſque partis defenſoribus ſilentio, ideſt Pelagio æque ac Oroſio, ſecuturis poſtmodum ſententiam Innocentii Papæ, ad quem *epiſtola*, *& fratres mitterentur*; cui ſententiæ *univerſi conſenſimus*, ſubdit Oroſius, *gratiarum actione celebrata*, *pace facta*, *& conſumata*, *ad pacis teſtimonium oratione diſceſſimus*. Hactenus de eo conventu Oroſius, cujus cauſa, cum calumniam paſſus eſſet, apologiam edidit, qua in ſynodo geſta enarrat. Nam cum poſt dies 47., primo ſcilicet eccleſiæ Hieroſolymitanæ enceniorum die Joannem ſalutaturus adiiſſet, *ab eo*, inquit Oroſius, *notam falſi criminis pro gratia ſalu-*

Oroſ. ut ſup. pag. 450.

ſalutationis accepi; *ait enim mihi*: *Quare ad me venis homo*, *qui blaſphœmaſti?* Interrogatus ab Oroſio Joannes quando, aut quibus verbis blaſphœmaverit: *Epiſcopus reſpondit* : *Ego te audivi dixiſſe*, *quia ne cum Dei adjutorio poſſit eſſe homo ſine peccato*; quam calumniam edita propulſavit Apologia, culpam in interpretem potius, quam in Joannem transferens, eoſque, qui actis Hieroſolymitanis interfuerant, teſtes advocavit. Avitum ſcilicet, & Vitalem, Paſſerium etiam Presbyteros, & Dominum ex Duce, quos præcipue ut ſynodo adeſſent, Joannes ipſe rogaverat, ut pluribus ibidem perſequitur Oroſius. Hanc autem Oroſii apologiam, quam de arbitrii libertate inſcripſit, nonnulli tanquam apocrypham, & Oroſii nomine vulgatam dixerunt, atque adverſus Pelagium in Hieroſolymitana ſynodo geſta uti dubia habuerunt. At mirum eſt ait Noriſius, in re certiſſima celeberrimos ſcriptores falli aut fallere potuiſſe; eamque Apologiam Oroſio vindicant Maurini s. Auguſtini editores, Garnerius, Pagius, aliique; & ſane vel ipſe S. Auguſtini liber de geſtis Pelagii eamdem Apologiam Oroſio adſcribendam eſſe docet, ut ibidem videre eſt.

Jesu Chr. an. 415.

Noriſ. hiſt. Pelag. cap. 6. pag. 75. tom. 1. edit. Veron. Auguſt. vita cap. 9. lib. 7. & Præf. in tom. 10. 559. Garnerius in Marium Mercat. diſſert. 1. pag. 137. Pag. ad Bar. an. 415. Tillemont.

Dioſpolitana ſynodus adverſus Pelagium.

8. Celebrior Hieroſolymitana fuit ſynodus altera hoc eodem labente anno Dioſpoli celebrata, quæ olim Lida dicebatur, menſe Decembri, ut ex Luciani epiſtola de inventione corporis s. Stephani aperte patet, qua narrat, ſe revelationem Joanni Hieroſolymorum Epiſcopo nunciaſſe, *cum eſſet in Lidda*, *quæ eſt Dioſpolis*, *ſynodum agens*. In ea ſynodo, cum Pelagius ab Herote & Lazaro Gallicanis Epiſcopis accuſatus, hæreſim ore damnaſſet, abſolutus eſt, Pelagiana tamen hæreſis damnata fuit, ut ex dicendis conſtabit. Porro Heros & Lazarus Pelagii accuſatores, primus Arelatenſis, Aquenſium alter Epiſcopus erat, qui a ſuis ſedibus profugi, cum Pelagii hæreſim in Palæſtina, ac per Orientem ſerpere viderent, zelo Fidei tuendæ incenſi, libellum Eulogio Cæſarienſi Epiſcopo ac Palæſtinæ Primati obtulerant, quo Pelagii, & Cœleſtii dogmata exponebantur. Hos quidem Gallicanos epiſcopos Zoſimus Rom. Pontifex, quouſque Pelagii, ac Cœleſtii calumniis aures præbuit, duriſſime habuit, ut ejuſdem epiſtolæ teſtantur; Proſper tamen in Chronico ad annum 412. Herotem B. Martini diſcipulum fuiſſe dicit, ac virum ſanctum appellat, eumque ab Arelatenſi populo, inſontem & nullo crimine noxium, ſua ſede

Heros, & Lazarus Epiſcopi Galliarum Pelagii accuſatores qui fuerint.

JESU CHR. AN. 415. ſede pulſum; eademque de Lazaro, cujus obſcurior memoria remanſit, dicenda eſſe adnotat Baronius. *Quos enim calumnia eadem involvit*, ait, *eamdem decoraſſe parem virtutem putandum eſt*; *cum nonniſi bonos conſueverint odiſſe mali*, *& hæretici vexaſſe catholicos*. Utroſque etiam S. Auguſtinus ſanctos Fratres, & Coepiſcopos, & iterum bonos fratres appellat; qui cum perverſa Pelagii dogmata in Palæſtina vulgari cernerent, errores ex Cœleſtii & Pelagii libris collectos Eulogio obtulerunt; cum tamen eorum alter ægritudine detineretur, neuter ſynodo adfuit, unde ex Herotis & Lazari abſentia factum eſt, ut Pelagius, cui etiam Joannes Hieroſolymitanus favebat. animi ſui venena diſſimulans, innocens abſolveretur; unde *miſerabilem* ſynodum Hieronymus dixit. Auguſtinus vero ejuſdem geſta libro de geſtis Pelagii, alibique referens, in Pelagii ſimulatione totam rejicit culpam, ac Epiſcopos quatuordecim in ea congregatos excuſat. Dioſpolitanæ ſynodo Eulogius Cæſarienſis Epiſcopus præfuit, deinde Joannes Hieroſolymorum cum aliis duodecim, quorum nomina Auguſtinus recenſet his verbis: *Habemus alios Orientales Epiſcopos quatuordecim*, *Eulogium*, *Joannem*, *Ammonianum*, *Porphyrium*, *Fidum*, *Zoſimum*, *Zebænum*, *Nymphidium*, *Chromatium*, *Jovinum*, *Eleutherium*, *Clematium*, *quos uno loco ſimul inventos in iſtum conſeſſum introducere valeamus*, *illos ipſos*, *qui Pelagio judices præſiderunt*: *eumque ut homines*, *nullo ex altera parte urgente adverſario*, *putantes Catholicum*, *tamquam Catholicum pronunciarunt*. Hæc ipſe, quorum nomina paulo poſt iterum eodem ordine recenſet. Poſt Eulogium Cæſarienſem, & Joannem Hieroſolymitanum, inter alios Eutonius, & Eleutherius numerantur, quorum primum Sebaſtiæ, ſeu Samariæ Epiſcopum, alterum Hierichuntis fuiſſe, ex Luciani epiſtola conſtat; ex duobus autem Porphyriis, alterum Gazenſem Epiſcopum fuiſſe ſanctitate celebrem, de quo ſupra egimus, veroſimile eſt; Zebænus quidem Eleutheropolis Epiſcopus erat, cujus mentio apud Sozomenum eſt, cum narrat revelata eidem fuiſſe veneranda corpora Prophetarum Habacuc atque Michææ; Iovinus vero idem fortaſſe ac Ioannes, quem Palladius Aſcalonenſem Epiſcopum fuiſſe memorat: ceterorum obſcura memoria eſt.

Bar. an. 417. n. 23.
Auguſt. de geſtis Pelag. cap. 1. & 29.
Hier. epiſt. 143. inter Auguſt. 202.
Auguſt. contra Julian. lib. 1. cap. 5. & 7.
Sozom. lib. 7. 29.

Dioſpolitanæ ſynodi geſta.

9. Dioſpolitanæ ſynodi geſta fuſiori ſtylo Auguſtinus libro de geſtis Pelagii perſequitur, de quibus hæc ſummatim in Retra-

Retractationibus: *Per idem tempus in Oriente, hoc eſt in Syria Palæſtina, Pelagius a quibuſdam Catholicis fratribus ad Epiſcopalia geſta perductus, eiſque abſentibus, qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Epiſcopis quatuordecim auditus eſt, ubi eum dogmata ipſa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adverſus eum de libello legebantur, catholicum pronunciaverunt*. Hæc Auguſtinus de geſtis hoc anno in ſynodo Dioſpolitana, cujus acta, & Pelagii abſolutionem, nonniſi per famam audierat anno ſequenti 416. cum ad Innocentium Papam in Pelagii cauſa epiſtolas dederat, & ad Joannem Hieroſolymitanum, quibus ut ea ſibi mitterentur enixe rogavit, quæ cum præ manibus habuit anno 417. librum de geſtis Pelagii, ſeu de geſtis Palæſtinis, ut in libro de peccato originali nominat, edidit; eoque demonſtrat Pelagium retenta intus hæreſi, ore tantum eam damnaſſe, ac Patribus congregatis impoſuiſſe, abſentibus accuſatoribus, ac ſibi favente Joanne Hieroſolymorum Epiſcopo, & ſane doloſis verbis Epiſcopos congregatos feſelliſſe. Hinc interrogatus Joannes ab Epiſcopis, ut quæ coram eo Hieroſolymis geſta fuerant, exponeret, Pelagii cauſam agere viſus eſt, quem Chriſti gratiam admittere teſtabatur, ac in accuſatores ejus Herotem, & Lazarum, quin & in Oroſium abſentes multa addidit, quibus ſi præſentes fuiſſent, ut ait Auguſtinus, *fortaſſe poſſent, abſit ut dicam convincere eum de mendacio, ſed forte commemorare quid fuiſſet oblitus, aut in quo eum fefellerit latinus interpres*. Interea Pelagius talem tantumque nactus advocatum, ut famæ ſuæ periclitanti conſuleret, epiſtolas aliquot ſanctorum virorum, quorum amicitia utebatur, protulit, eaſque legi curavit, atque inter eas, quam ab Auguſtino paulo ante acceperat; qua epiſtola, ut idem adnotat Auguſtinus, *me non ſolum ab ejus laudibus temperavi, ſed etiam quantum potui ſine ejus commotione quæſtionis de Dei gratia recte ſapere admonui &c.* Cum vero lectus eſt libellus Herotis, & Lazari, quibus præcipua Pelagianæ hæreſis capita, ex ipſius, & Cœleſtii libris collecta, continebantur, inter cetera, quod doceret, *hominem non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui legis ſcientiam habuerit*, interrogatus, num ea dixiſſet, reſpondit legis ſcientia homines ad non peccandum adjuvari; deinde *omnes voluntate propria regi*, quæ propter liberum arbitrium ſe dixiſſe repoſuit. Poſt hæc Pelagio objectum eſt, quod eodem libro ſuo, ideſt capitulorum, ſcripſis

Jesu Chr. an. 415.

Auguſt. retract. lib. 2. cap. 47.

Auguſt. epiſt. 175. 177. & 179.

Auguſt. de geſtis Pelag. cap. 14. 15. 16.

Auguſt. epiſt. 146. & de geſtis Pelag. cap. 27. & 28.

Auguſt. de geſtis Pelag. pag. 192. & ſeptus.

JESU CHR. AN. 415.

Apud Auguſt. append. ad tom. 10. 84.

Auguſt. ut ſup. pag. 290.

pſiſſet: *Poſſe hominem ſi velit eſſe ſine peccato*. Deinde nonnulla, quæ ad viduam quamdam adulatorie, & hæreſi faventia ſcripſerat, quibus reſpondens Pelagius, hominem quidem ſine peccato eſſe poſſe ſe dixiſſe confeſſus eſt, at addidit cum Dei aliquali adjutorio id tantum poſſe, cetera vero negavit ſe dixiſſe, juſſuſque ea anathematizare, reſpondit Pelagius: *Anathematizo quaſi ſtultos*, qui ea dixerunt, *non quaſi hæreticos*, *ſiquidem non eſt dogma*.

Præcipua hæreſis Pelag. capitula.

10. Graviora ſunt, quæ ex Cœleſtii diſcipulis objecta fuerunt, cujuſmodi ſunt, Adam mortalem factum, qui ſive peccaret ſive non, moriturus eſſet. Quod Adæ peccatum ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. Quod Lex ſic mitteret ad Regnum Cœlorum, quemadmodum Evangelium, & ante adventum Chriſti fuiſſe homines ſine peccato. Quod infantes nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Neque per mortem, aut prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per Reſurrectionem Chriſti, omne genus humanum reſurgat. Deinde nonnulla addita ſunt, ab Auguſtino in epiſtola ad Hilarium Siracuſanum jam confutata; his tamen facile ſe Pelagius extricavit dicens, ſe nonnulla jam explicaſſe, cetera vero ſua non eſſe, nec iis ſe ſatisfacere velle, quinimmo ea, ut ſynodo ſatisfaceret, cum auctoribus anathematizare, addidit. Præterea cum alia Cœleſtii capitula objicerentur, ſcilicet Gratiam Dei, & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in Lege, aut doctrina, & iterum Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari, & alia hujuſmodi ex eodem errore manantia, Pelagius iterum dixit, ſe an ea Cœleſtii eſſent ignorare, ea tamen: *Ego nunquam ſic tenui, & anathematizo qui ſic tenet*. Eademque repoſuit ceteris, quæ eidem objecta fuerunt, exclamans: *Iterum dico, quia hæc non ſunt mea, pro quibus, ut dixi, ſatiſfactionem non debeo &c.* Quare cum Pelagius cuncta, quæ objecta fuerant, aut ſua eſſe negaverit, aut catholico ſenſu expoſuerit, aut diſſimulaverit, ſynodus eum catholicum, & eccleſiaſtica communione dignum judicavit: *Nunc quoniam ſatisfactum eſt nobis proſecutionibus præſentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis conſentit; contraria vero Eccleſiæ fidei reprobat, & anathematizat, communionis eccleſiaſticæ eum eſſe, & catholicæ confitemur &c.* Sic Pelagius ſimulatione, & aſtutia meritam condemnationem vitavit, ac exultans & triumphans, quod

Synodus Pelagium abſolvit.

Apud Auguſt. ut ſup. cap. 20.

quod a ſynodo Epiſcoporum quatuordecim catholicæ communionis dignus habitus eſſet, non ſolum in perfidia perſeveravit, ſed etiam adverſariis ſuis inſultare præſumpſit; unde in epiſtola paulo poſt ad amicum ſcripta inter cetera ajebat: *Quatuordecim Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt, qua diximus, poſſe hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facile cuſtodire ſi velit. Quæ ſententia contradictionis os confuſione perfudit, & in omnem in malum conſpirantem ſocietatem ab invicem ſeparavit.* Falſiſſime tamen hæc a Pelagio ſcripta fuiſſe, vaniſſimumque duxiſſe triumphum, res ipſa clamat, ac pluribus probat Auguſtinus, qui ſuo ſe gladio Pelagium una cum hæreſi ſua jugulaſſe ſcribit, & inter alia: *Non ergo tu abſolutus es, qui damnanda tenuiſti, ſed illud abſolutum eſt, quod tenere debuiſti; ut autem tu abſolutus putareris, creditus es ſentire laudanda, cum te judices non intelligerent occultare damnanda &c.* Ceterum Pelagianam hæreſim eo judicio damnatam fuiſſe etiam atque etiam teſtatur Auguſtinus: *Quomodolibet*, inquit, *ea Cæleſtius poſuerit, aut non poſuerit, vel Pelagius ſenſerit, aut non ſenſerit, tanta mala, tam novæ hujus hæreſis illo eccleſiaſtico judicio damnata gaudeamus, ac Deo gratias agamus.* Auguſtino concinit Proſper, qui etſi adnotet lenius cum hæreſis auctore Pelagio ab ea ſynodo actum fuiſſe, hæreſim tamen anathemate percuſſam fuiſſe his verbis cecinit:

Ut ſup. p. 219. cap. 30.

Auguſt. de geſtis Pelag. & de peccat. orig. contra Pelag. cap. 16.

De geſtis Pelag. p. 226.

Non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
Dogmatis auctorem conſtrinxit lege benigna
Commentum damnare ſuum, niſi corpore Chriſti
Abjungi, & ſancto mallet grege diſſociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos toleraſſe videtur,
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.

Proſp. carm. de ingratis.

Quare non immerito ab omni hæreſis, erroriſve labe, aut ſuſpicione Dioſpolitanam ſynodum ſingulari diſſertatione vindicat Natalis Alexander, de quibus plura etiam apud Noriſium, & Garnerium videri poſſunt.

Nat. Alex. diſſert. 1. ad ſecul. 5. tom. 5. pag. 224. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 8. Garner diſ. 2. de ſynod. p. 169.

11. De eadem Dioſpolitana ſynodo adnotat S. Proſper, Pelagium, ut anathema vitaret, hæreſim ſuam anathematizaſſe: *Erraverunt Orientales Epiſcopi, in quorum judicio Pelagius eos,*

Innocentius Papa ſynodum confirmare recuſat.

JESU CHR. AN. 415. *eos, qui dicunt gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ut catholicus poſſet videri, anathematizare compulſus eſt?* Ceterum etſi ſimulata hæreſis abjuratione Palæſtinam ſynodum Pelagius feſellerit, Innocentium Papam fallere non potuit. *Feſellit judicium Palæſtinum ipſe Pelagius, propterea ibi videtur eſſe purgatus, Romanam vero eccleſiam, ubi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere uſquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit utrumque conatus, ſed ut dixi minime valuit*, deinde verba Innocentii Papæ ſubdens, quibus ſuſpecta ſibi fuiſſe ſynodi geſta teſtatur, inter cetera ait: *Unde non poſſumus illorum nec approbare, nec culpare judicium, cum neſciamus utrum vera ſint geſta, aut ſi vera ſint, conſtet magis ſubterfugiſſe, quam ſe tota veritate purgaſſe*. His Auguſtinus addit: *Videtis certe in his verbis quemadmodum Papa Innocentius, non tanquam de incognito loqui videatur, videtis qualem tulerit de illius purgatione ſententiam*. Sed de Innocentii geſtis in cauſa Pelagii & Cœleſtii infra.

Proſp. adverſ. collat. cap. 5. Auguſt. de peccat. orig. cap. 8. 9.

Innocentii ep. inter Auguſt. 183. apud Couſtan. p.

Hieronymus Dialogorum tres libros vulgat contra Pelagianos.

12. Cum hæc in ſynodo Palæſtina agerentur, in eadem provincia degens Hieronymus, quod ad Cteſiphontem promiſerat, copioſius ſe adverſus Pelagianos ſcripturum, hoc eodem anno, tribus Dialogorum libris adverſus Pelagianos editis, præſtitit; unde Proſper cum ſynodi Palæſtinæ meminiſſet, mox de Hieronymi opuſculis contra Pelagianos ſubdit:

Proſper carm. de ingratis.

Tum etiam Bethlei præclari nominis hoſpes,
Hebræo ſimul, & Grajo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, Mundique magiſter
Hieronymus libris valde excellentibus hoſtem
Diſſeruit; noſcique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.

Hos autem libros paulo ante Dioſpolitanam ſynodum vulgaſſe Hieronymum, inde conjectantur eruditi viri, quod de ea ne verbum habeat, cujus certe non aliter ac Carthaginenſis, anno elapſo habitæ, meminiſſet; eoſque etiam Oroſio teſte inceptos fuiſſe hoc anno ſcimus, qui in conventu Hieroſolymitano die 30. Julii habito de iis hæc narravit: *Similiter & in libro, quem nunc ſcribit*, Hieronymus, *collata in modum Dialogi altercatione, confutat*. His libris Atticum, & Critobolum diſpu-

Noriſ. de hiſt. Pelag. lib. 1. 7. Garner. diſſ. 6. pag. 338.

diſputantes inducit, ut majori qua fieri poterat brevitate, & perſpicuitate, tum catholicæ Fidei, cum adverſariorum ſententiæ exponerentur, & confutarentur. In iis tamen libris, naturæ viribus ab omni peccato immunitatem conſequi poſſe homines, prout falſo jactabant Pelagiani, confutat Hieronymus, ac de Chriſti gratia, deque baptiſmate parvulorum vix loquitur, ut quæſtionem movere magis videatur; quam ſolvere, eamque Auguſtino reſervaſſe videtur, nam Auguſtini opuſcula adverſus Pelagianos hactenus edita recenſens, ſubdit: *Alios quoque ſpecialiter tuo nomini cudere diceris, qui necdum in noſtras venere manus. Unde ſuperſedendum huic labori cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatii. In ſilvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo, aut ſi nova voluerimus dicere, a clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora.* Hactenus Hieronymus adverſus Pelagianos, fortiſſimum commilitonem Auguſtinum, qui jam adverſarios gladio ſpiritus exterruerat, attriveratque, teſtimonio & præconio ſuo exornans.

Jesu Chr. An. 415.

Hier. Dialog. adverſ. Pelag. lib. 3. in fine.

13. Porro ſi in debellandis Pelagianis faſces quoque ſuos Hieronymus Auguſtino ſubmiſit, quis Sancto Doctori hanc eripiet palmam? *cujus ductu*, Proſpero auctore, *viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies ita pugnavit, & vicit, ut non paſſa fuerit reſpirare quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum Sacerdotum manu ſententiam conſcripſit*. Hinc factum, ut cum primum in eccleſiaſtico judicio, Carthaginenſi ſcilicet ſynodo anni 412., damnata eſt hæreſis Pelagiana, Auguſtinus primas in ea partes habuerit, & iterum cum Dioſpolitana ſynodo hoc anno Pelagii cauſa retractata eſt, unius Auguſtini epiſtolam ad Hilarium ſcriptam Pelagio Patres objecerint, nam Synodus dixit: *Quoniam Sanctus Auguſtinus Epiſcopus adverſus diſcipulos ejus in Sicilia reſpondit Hilario &c.* Sicque Auguſtinus etſi procul a Palæſtinis Patribus, quantum Africa a Palæſtina, eſſet, arma tamen concilio ſubminiſtravit, & abſens licet judex ſedit, unde Noriſius: Non epiſtolam Hieronymi ad Cteſiphontem, non ejus adverſus Pelagianos Dialogos hæretico objecerunt, ſed unam Auguſtini epiſtolam; *ut evidens ſit, in Pelagiana cauſa plus uni Auguſtino, quam ceteris Patribus tribuendum*. Id adhuc mirabilius in ipſo Hieroſolymitano conventu, quod etſi Joannes Pelagii cauſam agere viſus ſit, non eſt tamen paſſus Pelagium quidquam contra Auguſtinum obloqui; quin cum Oroſius repoſuiſ-

Auguſtinus gratiæ Chriſti præcipuus defenſor.

Proſper contra collat. c. 1.

Augu. de peccat. Origin. cap. 10.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. c. 8.

Jesu Chr. an. 415. ſet, Pelagii ac Cœleſtii dogmata Auguſtinum, tum epiſtola ad Hilarium, cum aliis libris confutaſſe, introductus Pelagius interrogatus eſt, num *hæc, quibus Auguſtinus Epiſcopus reſpondiſſet, ſe docuiſſe cognoſceret*. Pelagius vero ſumma cum impudentia dixiſſet; *Et quis eſt mihi Auguſtinus?* quaſi nullius ſibi ponderis foret tanti viri auctoritas, exhorruit Synodus, & tanquam blaſphæmus non a conventu ſolum, ſed tota Eccleſia exterminandum cenſuit. *Cumque univerſi acclamarent blaſphæmantem in Epiſcopum, ex cujus ore Dominus univerſæ Africæ unitatis indulſerit ſanitatem, non ſolum a conventu illo, verum ab omni eccleſia pellendum*; quare Joannes ut adſeſſorum indignationem mitigaret, Pelagium admonens, ut Auguſtini perſonam, & doctrinam revereretur, *Auguſtinus ego ſum*, ait, *ut ſcilicet perſona quaſi præſentis aſſumpta, liberius ex auctoritate ejus, qui lædebatur, ignoſceret, & dolentium animos mitigaret*. Porro ſi vix exorta hæreſi Pelagiana, tanquam blaſphæmus habitus eſt Pelagius, & tanquam monſtrum ab omni Eccleſia exterminandum, eo quod Auguſtini auctoritatem ſpernere viſus eſſet, cum nondum Auguſtinus cum Pelagianis graves iniiſſet pugnas; quo loco ii habendi, aut quas in terras exterminandi, qui Pelagii exemplo, cum eorum erroribus Auguſtini auctoritas objicitur, reſpondere non erubeſcunt, *quis eſt mihi Auguſtinus?* atque ita Auguſtini ſententiæ de gratia Chriſti adverſantur, auctoritatemque ſpernunt, etſi ſanctiſſima, tutiſſimaque dogmata, in Auguſtini operibus de gratia & libero arbitrio, de dono perſeverantiæ, de correptione & gratia, contineri ſanctiſſimi Pontifices Innocentius primus, Cœleſtinus, Hormiſdas, aliique paſſim uſque ad noſtram ætatem comprobaverint, ita ut non tam Auguſtini placita ea habenda ſint, quam Romanæ Eccleſiæ omnium matris & magiſtræ, ut ex Pelagianorum hiſtoria abunde infra patebit? Nunc ad hiſtoriam revertimur.

Biblioth. PP. tom. 6. p. 449.

14. Interea Pelagius poſt Dioſpolitanam ſynodum, qua hæreſim, ne damnaretur, condemnaverat, tanquam ab omni hæreſis ſuſpicione ſe purgaſset, ac quaſi victor diſceſſiſſet, ad amicum quemdam presbyterum epiſtolas triumphans dedit plenas carnalis ventoſitatis, & elationis, quibus, ut ait Auguſtinus inter cetera, quatuordecim Epiſcoporum ſententia opinionem ſuam comprobatam fuiſſe narrabat, *poſſe*, ſcilicet, *hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facile cuſtodire ſi velit*, ac ſe objectis

Auguſtini ep. ad Joannem Hieroſolymit. Epiſcopum.

De geſtis Pelagii cap. 30.

jectis Gallorum, Herotis ſcilicet & Lazari plene ſatisfeciſſe mentiebatur, cui geſtorum Dioſpolitanæ ſynodi epitomen quandam more ſuo adulteratam addidit, quæ cum anno ſequenti, non ſine catholicorum ſcandalo, vulgata fuiſſet, eaque de cauſa cum apud Occidentales Joannis Hieroſolymitani Epiſcopi, qui Pelagii tutelam ſuſceperat, fama periclitaretur, Auguſtinus ſuo, & Coepiſcoporum ſuorum nomine, data ad eum epiſtola, ut a Pelagii fraudibus caveret, admonendum cenſuit, & ut Dioſpolitanæ ſynodi geſta ad ſe tranſmitteret, enixe rogavit: *Peto etiam nobis tranſmittere*, inquit, *quibus perhibetur eſſe purgatus, geſta eccleſiaſtica digneris. Quod ex multorum Epiſcoporum deſiderio peto, quos mecum de hac re fama incerta perturbat.* Narrat quippe geſtorum quamdam falſam relationem a Pelagio vulgatam fuiſſe, qua ſe non ſolum abſolutum fuiſſe, ſed etiam adverſarios ſuos confudiſſe, ac viciſſe gloriabatur; quare qualem Pelagio exhibere deberet dilectionem, his verbis admonet: *Pelagium vero fratrem noſtrum filium tuum, quem audio, quod multum diligis, hanc illi ſuggero exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt, & diligenter audierunt, non ab eo tuam ſanctitatem exiſtiment falli*; & iterum poſt plurima: *Si diligitis Pelagium, diligat vos etiam ipſe, immo magis ſe ipſum, & non vos fallat.*

Jesu Chr. an. 415. *Cap. 33. & epiſt. 179.*

Epiſt. 179.

15. Quam opportune hæc Joanni Hieroſolymitano Auguſtinus ſuggeſſerit, ne ſcilicet ſe a Pelagio, ejuſque aſſeclis fallendum incaute ſineret, ſi cetera deeſſent, vel ipſa ſcelera poſt Dioſpolitanam ſynodum adverſus Hieronymum, & famulos, famulaſque Dei, qui ſub ejus cura vivebant, perpetrata teſtantur; quæ ſane Joannis patrocinio ſuffultos auſiſſe veroſimile eſt, de quibus hæc Auguſtinus: *De his autem, quæ poſt hoc judicium ibi a neſcio quo cuneo perditorum, qui valde in perverſum perhibentur Pelagio ſuffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur, ut Dei ſervi & ancillæ ad curam Sancti Hieronymi presbyteri pertinentes, ſceleratiſſima cæde afficerentur, Diaconus occideretur, ædificia monaſteriorum incenderentur, vix ipſum ab hoc impetu atque incurſu impiorum in Dei miſericordia turris munitior tueretur; tacendum nobis potius video, & exſpectandum quid illic fratres noſtri epiſcopi de his tantis malis agendum exiſtiment, a quibus eos diſſimulare poſſe quis credat?* Huc ſpectat objurgatoria ad ipſum Joannem epiſtola ab Innocentio Pontifice data, cui cum ignotæ non eſſent vete-

Pelagianorum ſævitia in Hieronymum, alioſque.

De geſtis Pelagii cap. ultimo n. 66.

Innocentii Papæ epiſt. 35. apud Coutan, pag. 908.

JESU CHR. AN. 415.

res Joannis cum Hieronymo Origenis cauſa inimicitiæ ; & favor Pelagio hactenus præſtitus, a Pelagianis adverſus Hieronymum, ſocioſque tentata Joannis conniventiæ adſcribenda cenſuit, & ut ea emendaret, diligentiuſque ne impoſterum talia acciderent, admonuit, unde ait: *Direptiones, cædes, incendia, omne facinus, extremæ clementiæ generoſiſſimæ ſanctæ Virgines Euſtochium & Paula deploraverunt in locis Eccleſiæ tuæ perpetraſſe diabolum; nomen enim hominis cauſamque reticuerunt &c.* Hæc & alia ad Joannem Innocentius, qui epiſtola altera ad Hieronymum, ſe de iis, quæ adverſus eum patrata fuerant, condoluiſſe teſtatur, atque ut patienter ferat hortatur, admonens, ſedis Apoſtolicæ auctoritatem ad comprimendum ſcelus adhibuiſſe. *Si depoſueris autem apertam manifeſtamque accuſationem in homines aliquos, aut judices competentes tribuam, aut, ſi aliquid urgentius ſollicitiuſque a nobis fieri poteſt, non retardabo, fili dilectiſſime. Tamen Epiſcopo fratri meo Joanni ſcripſi, ut circumſpectius agat: ne quid circa eccleſiam ſibi creditam adhuc tale aliquid fiat, quale providere, & propellere, ne accideret, vel ne accidat, etiam ipſi ſit & poſtea moleſtiſſimum.* Sed de geſtis in Pelagianorum cauſa hoc anno ſatis, de quibus multa, etſi ſummatim, ſequentibus annis dicenda ſuperſunt.

Epiſt. 74.

Cyrilli Epiſcopi diſſidia cum Oreſte Præfecto Alex.

Socrat. lib. 7. 13.

16. Jam vero ex Palæſtina in Ægyptum, atque ex catholicorum cum Pelagianis pugna, ad aliam Chriſtianorum cum Judæis, & quidem cruentam, oratio ſe transferat, cui Cyrilli Alex: Epiſcopi ſimultates cum Oreſte urbis Prefecto cauſam dediſſe auctor eſt Socrates, qui addit ex Alexandrinorum quoque in ſeditiones excitandas propenſione in immenſum eam exarſiſſe. Itaque cum Oreſti Præfecto Alexandriæ inviſa eſſet intemperans Cyrilli in populum dominatio, accidit, ut die Sabbato ad ſpectacula convenirent magno numero Chriſtiani, ac Judæi. Inter Chriſtianos adfuit Hierax quidam *humilioris litteraturæ magiſter*, qui Cyrillo impenſiſſime favebat, quique in ejus concionibus plauſus excitare ſolitus erat. Hunc cum Judæi vidiſſent, confeſtim exclamarunt, non aliam ob cauſam in theatrum intraſſe, quam ut populum ad ſeditionem excitaret, quare eum Oreſtes comprehendi, ac publice in theatro torqueri juſſit. Cyrillus autem, Judæorum primatibus ad ſe vocatis, graviora minatus eſt, niſi adverſus Chriſtianos tumultuari deſinerent; at ii ob Cyrilli minas exardeſcentes, in Chriſtia-

ſtianorum perniciem pejora moliti ſunt, ac ſigno inter ſe dato, ut ſinguli *annulum ex cortice ſurculi palmei* geſtarent, ut a Chriſtianis diſtinguerentur. Interea cum vulgaſſent eccleſiam, quæ Alexandri dicebatur, incendendam fore, ac Chriſtiani undique ad eccleſiæ tutelam convolaſſent, eorum plurimos Judæi interfecerunt. Quare Cyrillus ſceleris immanitate commotus, cum ingenti multitudine ad ſynagogas Judæorum profectus, eas quidem Judæis ademit, facultates vero eorum diripi a plebe permiſit; Judæi autem ſynagogis, boniſque ſpoliati alio migrare coacti ſunt. At Oreſtes Præfectus, urbem tanta civium multitudine viduatam fuiſſe, moleſte ferens, rem ad Imperatorem detulit. Cyrillus etiam de ſeditione commota, deque Chriſtianorum ſtrage certiorem fecerat, eodemque tempore nuncios reconciliandæ amicitiæ cauſa ad Oreſtem miſerat, quos cum Oreſtes ne videre quidem ſuſtinuiſſet, Evangeliorum codicem Cyrillus ei obtulit, *ejus reverentia pudorem ſe Oreſti incuſſurum exiſtimans*, fruſtra tamen; unde implacabile bellum inter eos perſeveravit, quod novo facinore paulo poſt exaſperatum eſt, ut capite ſequenti Socrates narrat.

Monachi Nitriæ adverſus Oreſtem pugnant. Lib. 7. 14.

17. Nitriæ etenim monachi, quos olim Theophilus in Dioſcorum fratreſque ejus, qui Longi dicebantur, excitaverat, audita Cyrilli cum Oreſte ſimultate, manufacta Alexandriam quingentorum numero convolarunt, atque Præfectum vehiculo inſidentem media in urbe aggreſſi, immolatorem & Ethnicum proclamantes, claſſicum quodammodo ac ſignum pugnæ dederunt. Quare Oreſtes inſidias ſibi a Cyrillo parari ſuſpicatus, Chriſtianum ſe eſſe, atque CPoli ab Attico Epiſcopo baptizatum fuiſſe teſtatus eſt; at exaſperati monachi in eum irruentes, Ammonius quidam lapidis ictu Præfectum in capite percuſſit. *Quo vulnere ipſe quidem totus cruore conſperſus eſt, Apparitores vero omnes, paucis exceptis, recedentes, alius alio diffugiunt, ſeque intra turbam occultant, mortem ex jactu lapidum formidantes. Inter hæc Alexandrinorum populus accurrit, opem Præfecto laturus adverſus Monachos. Et alios quidem omnes in fugam vertunt: Ammonium vero comprehenſum ſiſtunt Præfecto. Qui ex præſcripto legum publice tormentis hominem ſubjiciens, eo uſque excruciavit, quoad vitam adimeret. Nec multo poſt, quæ geſta eſſent, Principibus ſignificavit. Cyrillus quoque contraria ejus relationi nunciavit*; ac corpus Ammonii in eccleſia quadam depoſuit, Martyrem etiam ob animi magnitudinem dicens.

18. In-

Jesu Chr. an. 415.

De Hypatia Philoſopha a chriſtianis necata.

Socrat. lib. 7. cap. 15.

18. Infandum præ ceteris immaneque ſcelus memorat Socrates ad hunc annum, cujus etiam meminit Theophanes in Chronico: *Hoc anno Hypatiam Theonis Philoſophi filiam, in Philoſophiæ ſtudiis exercitatiſſimam, violento mortis genere nonnulli ſuſtulerunt*. Erat Hypatia non ſolum ſui ſexus, ſed ſui temporis etiam inter Philoſophos celeberrima, in Platonicam ſcholam, quæ Alexandriæ etiam tunc florebat, Photino, ut ait Socrates, ſeu verius Ammonio ſucceſſerat; ad eam omnes Philoſophiæ ſtudioſi conveniebant; ex his Syneſius Ptolemaidis Epiſcopus, ut ejus epiſtolæ teſtantur; cumque ob doctrinæ præſtantiam ſingularemque modeſtiam omnes eam diligerent, gravis adverſus eam conflata eſt calumnia: *Nam quoniam cum Oreſte crebrius colloquebatur*, ait Socrates, *concinnata eſt adverſus eam calumnia apud plebem Chriſtianorum, quaſi per ipſam ſtaret, quominus inter Cyrillum atque Oreſtem amicitia reconciliaretur*. Quam ob cauſam audaciores quidam, quorum primus erat Petrus quidam Lector, conſpiratione facta, mulierem, domum redeuntem e ſella detractam, ad Eccleſiam, quæ Cæſarea cognominatur, rapiunt: & veſtibus exutam teſtis interemerunt, membratimque conciſam incendio concremarunt: facinus ſane quod Cyrillo, & Alexandrinæ Eccleſiæ *non minimum attulit probrum, quippe quod ab Eccleſiæ moribus alienæ ſunt cædes, & pugnæ*, ait Socrates. His vero atrocius adhuc Judæorum ſcelus adjungit, dum Cruci illudentes, iiſque qui in Cruce ſpem ſuam collocabant, *in loco inter Antiochiam Syriæ, & Chalcidem ſito, qui Immeſtar nominatur*, ſeu *Immum*, ut ait Theophanes: dum ſe ſe oblectarent, multaque inter ludendum abſurda facerent, temulentia abrepti, puerum quemdam Chriſtianum cruci alligantes ſuſpenderunt, eumque verberibus ad mortem uſque ceciderunt. Quod cum nuntiatum eſſet Imperatoribus, Provinciæ Rectoribus mandatum eſt, ut facinoris hujus auctores perquiſitos ſupplicio afficerent.

Biblioth. PP. tom. 6.

Aliud Judæorum immane facinus.

Cap. 16.

Theodoſius Judæorum privilegia revocat.

19. Hanc fortaſſe Judæis injecerat audaciam, tum Theodoſii manſuetudo, cum ejuſdem in eam gentem collata beneficia, cum Gamalielem eorum Patriarcham honorariæ Præfecturæ titulo decoraverat, ac anno 412. edita lege iis moleſtiam inferri, aut eos Synagogis, vel habitationibus ejici prohibuerat. At lege altera, hoc anno decimotertio Kal. Novemb. CPoli data, Gamalielem Præfectura honoraria dignitate exuit, & judicandi poteſtate privavit, aliaque ad Judæorum fre-

frenandam licentiam ſtatuit. *Quoniam*, inquit, *Gamalielus exiſtimavit ſe poſſe impune delinquere, quod magis eſt erectus faſtigio dignitatum: illuſtris auctoritas tua ſciat, noſtram ſerenitatem ad virum illuſtrem Magiſtrum Officiorum direxiſſe præcepta, ut ab eo codicilli demantur honorariæ præfecturæ; ita ut in eo ſit honore, in quo ante præfecturam fuerat conſtitutus, ac deinceps nullas condi faciat ſynagogas: & ſi quæ ſint in ſolitudine, ſi ſine ſeditione poſſint deponi, perficiat: & ut in Chriſtianos nullam habeat copiam judicandi; etſi qua inter eos ac Judæos ſit contentio, a Rectoribus Provinciæ dirimatur. Si Chriſtianum, vel cujuslibet ſectæ hominem, ingenuum ſervumque Judaica nota fœdare tentaverit, vel ipſe, vel quiſque Judæorum, legum ſeveritati ſubdatur. Mancipia quoque Chriſtianæ ſanctitatis, ſi qua apud ſe retinet, ſecundum Conſtantinianam legem Eccleſiæ mancipentur.* Hactenus lex Theodoſii adverſus Judæos, Judæorumque Patriarcham Gamalielem, cujus tanta auctoritas tunc temporis erat, ſeu potius temeritas, ut adverſus viros conſulares inimicitias contentioneſque gereret; unde ad Pammachium Hieronymus: *Dudum Heſychium virum conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel graviſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius Princeps capite damnavit, quod ſollicitato Notario chartas illius invaſiſſet.*

Cod. Theod. de Judæis leg. 22.

Hieronymi epiſt. 51.

20. *Anno tertio poſtquam Gallias, Hiſpaniaſque domuiſſet*, Barcinone occiſum fuiſſe Ataulphum Jornandes narrat, cui Idatius, & Chronicon Alex. conſentiunt. *Menſe Corpiæo ſeptimo Kal. Octob. die Veneris*, ideſt 24. Septemb. *nuncius allatus eſt de cæde Ataulphi barbari in partibus ſuperioribus Hiſpaniarum*, ait ſub hujus anni Coſſ. Chronicon Alex. Idatius vero iiſdem Coſſ. *Ataulphus a Patricio Conſtantio pulſatus, ut relicta Narbona Hiſpanias peteret*, ut anno elapſo diximus, *per quemdam Gothum apud Barcinonem inter familiares fabulas jugulatur, cui ſuccedens Wallia in Regno, cum Patricio Conſtantio pace mox facta, Alanis, & Vandalis Silingis, in Luſitania & Bœtica ſedentibus adverſatur.* Ataulphum a Gotho quodam nomine *Dobbii*, dum in ſtabulo equos ſuos de more obſervaret, occiſum fuiſſe narrat Olympiodorus apud Photium, veteris odii cauſam prætexens, quod Ataulphus olim Dominum ſuum occidiſſet. Moriens Ataulphus fratri ſuo injunxit, ut Placidia Honorio redderetur, utque, ſi quo modo poſſent, Romanæ ſibi gentis concordiam ſocietatemque Gothi conciliа-

Ataulphi Gothorum Regis obitus.

Jornandes de rebus Geth. cap. 31.

Phot. pag. 71. Philoſt. lib. 12. n. 4.

Jesu Chr. an. 415.

ciliarent. At qui ſucceſſit Sari frater Sigerichus, Ataulphi e priore conjuge liberos vi e ſinu Sigeſati Epiſcopi abreptos occidit; atque ipſam Placidiam Reginam, in Ataulphi contumeliam, pedibus ante equum una cum ceteris captivis ambulare coegit, idque toto illo ſpatio, quod eſt ab Urbe ad duodecimum uſque lapidem. *Septem ille dies cum imperaſſet, interemptus eſt, & Gothorum dux Valias conſtituitur*. Ut Placidiam duceret, priorem repudiaverat uxorem Ataulphus, ex qua filios a Sigiricho enecatos ſuſceperat, quos ſex fuiſſe, uno eodemque ſepulchro reconditos teſtatur Epitaphium, quod Barcinone Ataulpho ejuſque filiis erectum fuiſſe teſtatur Ambroſius Morales, a Baronio, aliiſque relatum his verſibus:

Ambroſ. Morales lib. 1. Hiſt. Hiſp. Bar. an. 414. Boſnag. Murat. an. 415.

Bellipotens valida Natus de Gente Gothorum,
Hic cum ſex natis Rex Ataulphe jaces.
Auſus es Hiſpanias Primus deſcendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virum,
Gens tua tunc natos, & te invidioſa peremit,
Quem poſt amplexa eſt Barcino magna gemens.

De hac tamen inſcriptione, an antiqua habenda ſit, cum nonnullis eruditis viris, ſe quoque dubitare teſtatur Muratorius; nec ſane ſuſpicionis argumenta deſunt, quorum maximum eſt, eam a Flavio Dextero primum vulgatam fuiſſe, cujus hiſtoria Hiſpanica, una cum ejus commentatore Bivario, inter recentioris ævi impoſturas accenſendam eſſe eruditorum nemo dubitat.

Vallia Ataulpho ſuccedit, Galla Placidia Honorio reſtituitur. *Olymp. apud Phot. ut ſup. Oroſ. lib. 7. 43.*

21. Ataulpho, ut diximus, Sigerichus ſucceſſerat, eoque poſt ſeptem dies interempto, Vallias Gothorum Regno potitus eſt, ut Olympiodorus, & Oroſius narrant. Hunc autem ad Regiam dignitatem evexerant Gothi, ut pacem cum Romanis infringeret, quam tamen arctius firmavit, ac Placidiam Ataulphi relictam, Honorio fratri reſtituit, de quibus audiendus iterum Olympiodorus: *Euplutius Magiſtrianus, ad Valium*, ſeu Valiam, *Gothorum Præfectum mittitur, qui pacis fœdera iniret, Placidiamque reciperet. Ille vero commode recepit, miſſaque frumentatione ſexcentorum millium, Placidia Euplatio tradita, ad Honorium fratrem remittitur*. Eadem fere Philoſtorgius: *Exinde Barbari*, poſt Ataulphi necem, *fœdus cum Honorio percuſſerunt, & Placidiam ſororem, atque Attalum Impera-*

Philoſt. ut ſup.

peratori Honorio reddiderunt, *cum prius ipſi annonas ab Imperatore*, *& partem Galliæ ad agros excolendos excepiſſent*. Hanc cum Romanis pacem Dei juſſu iniiſſe narrat Oroſius.

Oroſ. lib. 7. 43.

22. Quanta autem Gothorum Rex Vallia poſt pacem cum Romanis initam adverſus Barbaros geſſerit, Idacius in Chronico ad annum ſequentem his verbis teſtatur: *Vallia Rex Gothorum Romani nominis cauſa intra Hiſpanias cædes magnas efficit Barbarorum*, *Romanæ etenim ſecuritati*, ait Oroſius, *periculum ſuum obtulit*, *ut adverſus ceteras gentes*, *quæ per Hiſpanias conſediſſent*, *ſibi pugnaret*, *& Romanis vinceret &c. Itaque nunc quotidie apud Hiſpanias geri bella gentium*, *& agi ſtrages ex alterutro Barbarorum*, Vandalorum nempe & Svevorum. *Crebris certiſque nunciis diſcimus*; *præcipue Valliam Gothorum Regem inſiſtere patrandæ paci ferunt*; hæc Oroſius anno ſequenti, aut altero cum hiſtoriam ſuam vulgavit. Valliæ bella & victorias adverſus Svevos, Vandaloſque Sidonius in panegyrico Anthemii Imperatoris commemorat, dum laudat Ricimerem Anthemii generum patre Svevo, matre Gotha Valliæ Regis filia natum, ac de Valliæ geſtis verſu 360.

Vallia Gothorum Rex in Hiſpania pro Romanis pugnat.

Oroſ. lib. 7. cap. ult.

. . . . Nam patre Svevus
A Genitrice Gethes, *ſimul & reminiſcitur illud*,
Quod Tarceſſiacis avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas, *& juncti Martis Alanos*
Stravit, *& occiduam texere cadavera Calpin*,

quam Gibilterram fuiſſe nonnulli dicunt, alii Cartejam, ut apud Valeſium in excerptis ex Nicolao Damaſceno pag. 72. videre eſt.

23. De rebus Orientalis Imperii adnotare ſufficiet, Theodoſium hoc anno, quo quindecennalia Imperii ſui celebravit, eccleſiam quoque CPoli, quæ anno 404. conflagraverat, reſtauraſſe, in quam translatæ ſunt per ſcalam Chalcedonenſem reliquiæ Joſephi filii Jacobi, & Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ. *Menſe Gorpiæo ex die ſexto nonas Septemb. die Sabbati*, ſeu pridie idus Septembris, menſe Hyperberetæo, ut legendum eſſe adnotat Pagius, *ipſas Reliquias in binis arculis deferentibus Attico Patriarcha CP*, *& Moiſe Antaradi Phœnices Epiſcopo buricis vectis*, *quæ quidem in magna eccleſia depoſitæ ſunt*, *has deducente Urſo Præfecto urbi*, *& univerſo Senatu*. Hæc eccleſia a Conſtantino primum ædificata, ac a Conſtantio ejus

CPolitana eccleſia dedicatur, reliquiæ ibidem conditæ.

Chronicon Alex. pag. 309. edit. Reg. Pariſ.

Pag. not. 28. ad an. 415.

 filio

Jesu Chr. an. 416.

ſilio in ampliorem formam, & elegantiam aucta & ornata, anno 404. conflagaverat, cum s. Joannes Chryſoſtomus in exilium ejectus eſt, quam Atticus hoc anno a Theodoſio juniore inſtauratam dedicavit.

Thermantiæ Honorii uxoris obitus.

24. Eodem anno ſubdit idem auctor, renunciata eſt mors *Thermantiæ Domini Honorii Auguſti conjugis menſe Panemo die 3. Kal. Auguſti feria 6. eodemque anno VIII. Kal. Octob. feria ſexta* nuncius allatus eſt, Ataulphum barbarum *in ſuperioribus partibus*, ideſt in Hiſpania, ut ſupra hoc anno adnotatum eſt, *a Domino Honorio fuiſſe ſublatum, factaque luminum accenſione, poſtridie circenſes ludi acti ſunt in pompæ ſpeciem facto ingreſſu*. Sed de his hactenus.

JESU CHRISTI an. 416. Innocentii Papæ 16.
Honorii Imp. 24 et 22. Theodosii Jun. 15. et 9.
Coss. Theodosio Aug. VII. et Junio Quarto Palladio.

Carthag. ſynodus adverſus Pelagianos celebratur. *Concil. tom. 2. Labb. pag. 1533.*

1. Cum in dies, non ſine catholicæ Fidei periculo, Pelagiana hæreſis divulgaretur, duabus ſynodis in Africa celebratis hoc anno damnata eſt, Milevitana ſcilicet, & Carthaginenſi. Ut ab hac, quæ præceſſit, ordiamur: cum ex Palæſtina in Africam hoc anno rediiſſet Oroſius, epiſtolas Herotis, & Lazari Epiſcoporum Galliæ, qui in ſynodo Dioſpolitana anno elapſo Pelagium accuſaverant, ad Africæ Epiſcopos detulit, quibus eos de geſtis Hieroſolymitanæ, & Dioſpolitanæ ſynodorum, deque Pelagii fraudibus, certiores reddebant; quare cum de more provinciæ ſynodum Aurelius hoc anno congregaſſet, quo Epiſcopi ſexaginta octo convenerant, (quorum nomina poſt Aurelium Carthaginenſem in fronte epiſtolæ ad Innocentium Pontificem datæ leguntur) Pelagianorum cauſam, de qua anno 412. jam egerant, iterum retractarunt, Pelagii tamen Cœleſtiique nomini pepercerunt, ac ſynodi geſta ad Innocentium Pontificem, una cum ſynodica epiſtola miſerunt, eaque Innocentium rogant, ut: *Statutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam etiam perverſitate corrigenda*. Quare anathematis ſententiam in Pelagii Cœleſtiique ſectatores ferendam eſſe cenſent, cum meliora de Pelagio & Cæleſtio ſperarent, quos forte errores retractaſſe audierant, ut his verbis indicant: *Etiamſi Pelagius Cœleſtiuſque correcti ſunt, vel ſi iſta nun-*

Labb. concil. pag. 1533. tom. 2. Coutan. pag. 868.

quam ſe ſenſiſſe dicunt, poſſe ſcilicet homines abſque gratia Chriſti, ſolis humani arbitrii viribus mandata Dei implere, & parvulos ſine baptiſmate ſempiternam ſalutem poſſe conſequi; *& quæcumque ſcripta contra eos prolata fuerint, ſua eſſe negabunt, nec eſt quemadmodum de mendacio convincantur. Generatim tamen quicumque dogmatizat, & affirmat humanam ſibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adverſarius invenitur; et quicumque negat parvulos per baptiſmum Chriſti a perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.*

2. Carthaginenſi ſynodo concinit Milevitana hoc eodem anno circa finem Octobris celebrata poſt ſynodum Carthaginenſem, ut ex his verbis in ſua ad Innocentium Pontificem ſynodica epiſtola conſtat. *Hæc ad Sanctitatem tuam de concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſis provinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Unus & ſexaginta Epiſcopi ad eam ſynodum convenere, quorum primus erat Silvanus ſenex, ſeu Primas, deinde Valentinus Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alypius, Auguſtinus, ceterique, quorum nomina in ſynodica epiſtola leguntur; integram tamen cauſam Apoſtolicæ ſedi judicandam finiendamque reliquerunt, contenti ea Innocentio expoſuiſſe, quæ ad rem pertinebant; nec ſine culpa futuros, ſi tanto Pontifici, *quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quam ea tu poſſis vel faſtidioſe, vel negligenter accipere; quare magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris &c. Nova quippe hæreſis*, ſubdunt, *& nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti, qui nobis Dominicam etiam orationem impiis diſputationibus conantur auferre*; dum ſine gratiæ adjutorio ad perfectionem juſtitiæ homines pervenire poſſe, ac parvulos ſine gratia baptiſmatis decedentes vitam æternam adipiſci docebant. Infauſtæ hæreſis auctores Pelagium atque Cœleſtium fuiſſe narrant, de quibus ex epiſtola Carthaginenſis ſynodi plura ad rem pertinentia addiſcere eum poſſe addunt. Utriuſque ſynodi epiſtolas Julius Epiſcopus ad Innocentium detulit, per quem eas ſe accepiſſe S. Pontifex teſtatur, earumque ſæpe Auguſtinus meminit. *Miſſæ ſunt*, inquit, *itaque de hac re ex duobus conciliis Cartha-*

Synodus Milevitana adverſus Pelagianos, & ſynodi epiſt. ad Innocentium Papam. *Apud Coutan. pag. 876. Labb. concil. pag. 1546. Apud Coutan. pag. 873.*

Epiſt. 29. pag. 889.

Jesu Chr. an. 416. *Auguſt. epiſt. 186. ad Paul.*

thaginenſi , & Milevitano relationes ad ſedem Apoſtolicam ; antequam geſta eccleſiaſtica , quibus apud Epiſcopos provinciæ Palæſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus , vel in manus noſtras , vel in Africam perveniſſent; deinde : *Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium litteras familiares , ubi de ipſa cauſa aliquanto diutius egimus .*

Epiſtola quinque Epiſc. Africæ ad Innocentium . *Coutan. pag. 876.*

3. Præter ſynodicas litteras , aliam Auguſtinus ſuo & aliorum Epiſcoporum , Aurelii ſcilicet Carthaginenſis , Alypii , Evodii , atque Poſſidii , ad Innocentium dedit , qua non ſolum hactenus in cauſa Pelagii , & Cœleſtii geſta refert , ſed eorum errores fuſius confutat , rogatque Pontificem , ut Pelagium Romam vocet , ac ſe præſente , qua gratia ad non peccandum juſteque vivendum homines adjuvari fateatur , interroget , vel hoc idem cum eo per litteras agendum curet : ſanctum etiam Pontificem admonet , audiſſe nonnullos Romæ etiam Pelagio favere , quem in Oriente ab hæreſis labe purgatum fuiſſe credebant , quare ut ab iis caveret hortatur ; integram tamen cauſam ejus judicio cognoſcendam , finiendamque ſe ſe reſervaſſe teſtantur . De ſynodis eodem tempore in Africa , ea de re habitis , hæc epiſtolæ ipſius initio præfantur: *De conciliis duobus Provinciæ Carthaginenſis , atque Numidiæ ad tuam ſanctitatem a non parvo Epiſcoporum numero ſubſcriptas litteras miſimus contra inimicos gratiæ Chriſti &c.* & ut reſcriptis ſuis hactenus geſta confirmet , deprecantur . *Non enim rivulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus , ſed in hac non parva tentatione temporis , unde nos liberet , cui dicimus ne nos inferas in tentationem &c.*

Tres Innocentii epiſtolæ ad Africanos . *Epiſt. 29. 30. 31.*

4. His tribus , deſinente hoc anno , acceptis epiſtolis , totidem Januario ineunte Innocentius reſcripſit , Carthaginenſis ſcilicet concilii Patribus , Milevitanis , tertiam vero quinque Epiſcopis Aurelio , Alypio , Auguſtino , Evodio , Poſſidio . Tres Innocentii epiſtolæ ſexto Kal. Februarias anni ſequentis datæ ſunt , cumque una fuerit Epiſcoporum Africæ ſcribendi cauſa , ita unum eſt , idemque argumentum epiſtolarum Innocentii , ac illorum ſollicitudinem commendat , quod in detegendis confutandiſque Pelagianorum erroribus tantam contulerint operam , ut nihil ſibiupereſſe videatur , præceteris vero , quod Romanam eccleſiam conſulendam , nova ſe jam prodente hæreſi , cenſuerint : *In requirendis Dei rebus , quas omni cum ſollicitudine decet a ſacerdotibus , maxime a vero juſtoque & catho-*

Romanæ ſedis dignitas & auctoritas .

tholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ ſedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe epiſcopatus & tota auctoritas nominis hujus emerſit &c. Gratulor igitur cariſſimi fratres, ſubdit, *quod per fratrem & Coepiſcopum noſtrum Julium litteras ad nos deſtinaſtis, petentes decernendum a nobis eſſe, quod cunctis prodeſſet eccleſiis*; ac quantum veræ pietati, catholicæque veritati adverſarentur Pelagianorum placita pluribus demonſtrat; quare e corpore Eccleſiæ eos, qui talia ſapiunt, abjiciendos eſſe denunciat, quod in epiſtola altera ad Epiſcopos Numidiæ iterum urget, ac nominatim Pelagium, & Cœleſtium a ſua, & catholicæ Eccleſiæ communione excluſos eſſe teſtatur, donec reſipiſcant de laqueis Diaboli, a quo tenebantur captivi. In epiſtola vero ad quinque Epiſcopos data, an Romæ eſſent, qui Pelagio faverent, ut ab iis ſibi relatum fuerat, ſe ignorare fatetur; poſt auctoris tamen condemnationem, ceteros facile corrigi poſſe, ſive Romæ, aut alibi eſſent, confidit; Pelagium etiam ſe geſtis Palæſtinis purgaſſe, nullatenus ſe credere poſſe addit, cum maxime ejus librum, quem Africani Epiſcopi una cum epiſtolis tranſmiſerant, erroribus, blaſphæmiiſque plenum ſibi viſum fuiſſe indicet; quare non opus, nec e re cenſet eſſe, Pelagium Romam ad dicendam cauſam vocare, cum ſponte ad ſe purgandum accedere poſſet: *Si confidit, novitque non noſtra dignum eſſe damnatione, quod dicat, aut hoc jam totum ſe refutaſſe, quod dixerat, non a nobis accerſiri, ſed ipſe debet potius feſtinare, ut poſſit abſolvi. Nam ſi adhuc taliter ſentit, quando ſe noſtro judicio, quibuſvis accitus litteris, cum ſciat damnandum ſe eſse, committet? Quod ſi accerſendus eſſet, ab iis melius fieret, qui magis proximi, & non longo terrarum ſpatio, videntur eſse disjuncti; ſed non deerit cura, ſi medicinæ præbeat ille materiam, poteſt enim damnare quæ ſenſerat, ac datis litteris erroris ſui, ut regreſſum ad nos decet veniam poſtulare &c.* Hactenus Innocentius in epiſtola ad Africanos quinque Epiſcopos, qui eum in cauſa Pelagii privatim poſt ſynodum interpellaverant. Quanti Innocentii epiſtolas Africani Patres fecerint, ad Paulinum ſcribens Auguſtinus teſtatur his verbis: *Ad omnia nobis ille*

JESU CHR. AN. 416. *Coutan. pag.* 888.

Pag. 894. & 898.

Quanti æſtimatæ ſint Innocentii Papæ epiſtolæ.

JESU CHR. AN. 416. *ille reſcripſit, eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem*. Ad populum vero Hipponenſem anno
Epiſt. 186. ſequenti ſermonem habens, ob reſcripta, ſeu epiſtolas ab In-
Serm. 131. n. 10. nocentio in Africam miſſas, quibus Pelagius & Cæleſtius una cum eorum hæreſi damnati fuerant, cauſam Pelagianorum pene finitam fuiſſe aſſerere non dubitavit: *Jam enim*, inquit, *de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error*; tantam quippe in quæſtionibus fidei dirimendis auctoritatem Apoſtolicæ ſedi tribuebat Auguſtinus, ut vel uno Innocentii reſcripto, Pelagianorum cauſa, quæ tandiu, tantoque ſtrepitu Orbem pene commoverat, finitam extinctamque cenſeret, niſi tam obſtinatos obcæcatoſque propugnatores inveniſſet. De Africanis ſynodis; deque relatione ad Innocentium Pontificem, Chriſtianus audiatur poeta in carmine de in-
Preſp. de ingratis cap. 2. gratis, quo cecinit:

Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtra
Exequeris, tecumque ſuum jungente vigorem
Juris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.

De duobus vero conciliis ea de re tunc in Africa celebratis ſubdit:

Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cetu
Decernis quod Roma probet, quod Regna ſequantur

Deinde in Aurelii, & Auguſtini laudem:

An alium in finem poſſes procedere ſanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia cornu
Uberiore rigans, noſtro lumen dedit ævo.

De Auguſtino vero paulo poſt hæc alia addit:

Iſtius ergo inter cunctos, qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria major.
Majus opus, totum præſtantius imbuit Orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hoſtis,

Qua-

Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occurſu eſt præventus, milleviarum
Inſidiis aditum non reperientibus ullum.

Poſt alia:

Iſtius ore viri fecit Deus, iſtius ore
Flumina librorum Mundum effluxere per omnem,
Qua mites, humileſque bibunt, campiſque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

6. Hæc S. Proſper de S. Auguſtino, cujus tanta apud Africanos Patres erat opinio, ut eum præceteris utraque ſynodus ad debellandam Pelagianam hæreſim nominatim deſtinaverit, ut ipſe ad populum Hipponenſem narrat, quo tempore ſibi Eraclium Presbyterum in ſucceſſorem elegerat: *Placuit*, ait, *mihi & vobis propter curam Scripturarum, quam mihi fratres, & patres mei Coepiſcopi duobus conciliis Numidiæ & Carthaginis imponere dignati ſunt, ut per quinque dies nemo mihi moleſtus eſset. Geſta confecta ſunt, placuit, acclamaſtis, parvo tempore ſervatum eſt circa me, & poſtea violenter irruptum eſt, & non permittor ad quod volo vacare; ante meridiem, & poſt meridiem occupationibus hominum occupor.* Quare populum hortatur, ut impoſterum Eraclium presbyterum adeant, ac ſibi vacationem donent. Porro quam naviter accurateque impoſitum ſibi ab Epiſcopis officium Auguſtinus impleverit, ſua ipſius ſcripta in Pelagianos edita teſtantur, ut nihil uberius, doctiuſque, & elegantius dici potuerit: appareatque, uti a Baronio quoque adnotatum eſt, cum in aliis ſcriptis ceteros ſcriptores Auguſtinus ſuperaverit, in tractatibus contra Pelagianos ſe ipſum etiam ſuperaviſſet.

S. Auguſtinus ab Africanis Patribus electus ad debellandam Pelag. hæreſim. *Acta eccleſ. ſeu epiſt. 213.*

Bar. an. 416. n. 15.

7. In Labbeana conciliorum collectione extat in hanc Milevitanam ſynodum Præfatio, quam canones viginti ſeptem ſequuntur, octo ſcilicet contra Pelagianos, ceteri de eccleſiaſtica diſciplina editi. At ipſam Præfationem ad aliud concilium pertinere, anni ſcilicet 402., indicat conſulatus duorum fratrum Auguſtorum Arcadii & Honorii; hinc vel ipſe Baronius canones octo adverſus Pelagianos editos *ad aliud Milevitanum concilium antea celebratum ſub conſulatu Arcadii & Honorii* perperam relatos fuiſſe teſtatur, quos ad Milevitanam ſynodum labentis

An Milevitani Patres canones contra Pelagianos ediderint. *Labb. tom. 2. pag. 1537. Bar. an. 416. n. 19.*

Jesu Chr. an. 416. anni ſpectare cenſuit; falſo tamen. Nam ſicuti Præfatio ibidem Milevitanæ ſynodo inſcripta ad aliud concilium anteacti temporis pertinet, ita canones addiri eidem falſo inſcripti ſunt. Milevitanæ vero ſynodo canones octo adverſus Pelagianos nequaquam inſcribendos eſſe, inde patet, quod nullam ſententiam ſynodus protulerit, ſed totam cauſam Innocentio Pontifici judicandam reſervaverit, ut ex ſynodica epiſtola conſtat; ceteri vero ad alia Africana concilia pertinent. Itaque primi octo, quibus Pelagiana hæreſis configitur, a plenaria ſynodo Africana, ſeu Carthaginenſi anni 418. Coſſ. Honorio Aug. XII. & Theodoſio VIII. editi ſunt, quando Pelagiana hæreſis in Africa primum damnata eſt; ſequentes canones, nonum, 10. 11. 12. 16. 17. 18. 19. 20. a Carthaginenſi ſynodo anni 407. Coſſ. Honorio VII. & Theodoſio iterum editi ſunt; ceteri vero 21. 22. 24. 25. 26. 27. ad ſupradictam ſynodum anni 418. pertinent, qua totidem verbis leguntur; ac merito miratur Noriſius, in noviſſima conciliorum editione Regia Pariſienſi ab Harduino vulgata ſynodo Milevitanæ labentis anni priores adverſus Pelagianos canones octo inſcriptos fuiſſe; unde purum, putumque Labbei, Binniique exſcriptorem ſocium eorum Harduinum fuiſſe, luce clarius probatur. Veterem tamen fuiſſe eam canonum collectionem ſub nomine concilii Milevitani, teſtatur Turonenſe concilium ſecundum circa annum 567. celebratum, quo Milevitani canonis 26. de virgine ante annum vigeſimumquintum velanda, cum id neceſſitas exigat; mentio his verbis occurrit: *Cum etiam id in antiquis Milevitanis canonibus fuerit ſtatutum &c.* Nil tamen inde aliud ſequitur, niſi eam canonum collectionem ex pluribus conciliis deſumptam, ac Milevitano inſcriptam, ſeculo ſexto vulgatam in Galliis fuiſſe. Alii tamen ſcriptores Turonenſi concilio æquales, ut Ferrandus, eumdem canonem in ſua collectione, non Milevitanis Patribus, ſed Carthaginenſibus recte inſcripſerunt, de quibus plura alibi videri poſſunt.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 10.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. 10. Pag. not. ad an. 416. Baſnag. ibid.

Theodoſii lex contra Paganos, & Parabolanos.

Cod. Theod. de Paganis leg. 22.

Lege 42. de Epiſc. & clericis.

8. Ne taciti Orientalis Imperii res prætereamus, adnotabimus hoc anno Theodoſium ſeptimo idus Decemb. legem contra Paganos vulgaſſe, qua eos a militia, a judiciis, aut Reipublicæ regimine arcendos eſſe jubebat. Tertio vero Kal. Octobris ad Monaxium Præfectum Prætorio reſcribens, lege altera Parabolanorum temeritatem frenari, ac numerum minui juſſit, eoſdemque, ne judiciis publicis, aut ſpectaculis intereſ-

tereſſent, prohibuit. Parabolani autem clerici inferioris ordinis erant, qui ægrotantium curam habebant, mortuorum corpora ſepeliebant, prompti propterea in inſerviendis quocumque morbo laborantibus, aut mortuis ſepeliendis, ad omne periculum ſubeundum: quod officium etſi eximiæ charitatis eſſet, tractu tamen temporis eo temeritatis devenerant, ut ſub Epiſcopo militantes, ſæpe Præfectis urbis, aliiſque magiſtratibus negotium faceſſerent, ut anno elapſo Alexandriæ contigiſſe narravimus; quare Oreſtis ea de re ad Theodoſium legationem, & querelas adverſus Cyrillum Alex. huic legi cauſam dediſſe, adnotant eruditi, de quibus plura apud Gothofredum in commentario ad eamdem legem 42. de Epiſcopis & Clericis videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 417.

JESU CHRISTI an. 417. Zosimi Papæ I.
Honorii Imp. 25. et 23. Theodosii Jun. 16. et 10.
Coss. Honorio Aug. XI. et Fl. Constantio II.

1. Nuptiis cum Placidia initis conſulatum ſuum nobilitavit Conſtantius. Eam ſæpius, antequam Ataulpho nuberet, concupierat; relictam poſtea, ac Honorio redditam, etſi vehementer ipſa refugeret, Honorius invitam fere Conſtantio copulavit.

Conſtantii nuptiæ cum Placidia.
Olymp. apud Phot. pag. 73.

2. Poſt ſororis nuptias Ravennæ celebratas Romam Honorius *Triumphans ingreditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Liparæ vivere juſſit*, ait Proſper in Chronico ad hunc annum; Philoſtorgius vero: *Poſt hæc autem Roma paululum a graviſſimis malis reſpirans, incolis frequentari cœpit, & Imperator cum eo adveniſſet, manu ſimul, & lingua ædificationem urbis comprobavit*. Oroſius etiam capite ultimo hiſtoriæ ſuæ, quam uſque ad hunc annum perduxit, de Attalo ſcribit: *In mari captus, ad Conſtantium Comitem deductus, deinde Imperatori Honorio exhibitus, truncata manu, vitæ relictus eſt*.

Honorius Romam triumphans ingreditur.
Philoſt. lib. 12. 5.

3. Ex triumpho, & nuptiis ad funera tranſimus. Longum annorum ſexdecim Pontificatum egregiis geſtis illuſtraverat Innocentius Papa, qui & hoc anno ad Africanos Epiſcopos ſcribens, ob Pelagii & Cœleſtii condemnationem, hactenus præclare geſtis cumulum addiderat; quare clarus meritis ad Cœleſtem gloriam vocatus eſt. De anno Innocentii ultimo erravit Proſper in Chronico, dum anno ſuperiori eum obiiſſe ſcribit,

Innocentii Papæ obitus.

 cujus

Jesu Chr. An. 417.

cujus extant epiſtolæ ad Africanos Epiſcopos datæ ſexto Kal. Februarii hujuſce anni Coſſ. Honorio Aug. XI. & Conſtantio II. ut anno proximo diximus; quare Marcellinus ſub hiſce Coſſ. Zoſimum trigeſimum octavum Romanæ ſedis Antiſtitem ordinatum fuiſſe veriſſime ſcribit, cumque Innocentius Januario ineunte ad Africanos epiſtolas dederit, Zoſimus vero ejus ſucceſſor Aprile ineunte ad Epiſcopos Galliæ ſcripſiſſe conſtet, hinc ſequitur, eo temporis intervallo Innocentium occubuiſſe; ac tota erraruat via, qui alio tempore eum obiiſſe ſcripſerunt, quinto ſcilicet Kal. Auguſti, Julii die 28., ut Baronius, librum Pontificalis & Martyrologium Rom. ſecutus, aut Bollandus die 21. Decemb. nonnullorum Martyrologiorum auctoritate innixus, quibus ſane præferimus Bedæ, Adonis, & Uſuardi Martyrologia, quibus die duodecima Martii Innocentii obitus adſignatur. Certior adhuc res redditur ex teſtimonio Paſchaſini Lilibei in Sicilia Epiſcopi in epiſtola ad Leonem, qua narrat, ineunte Paſchate labentis anni, Zoſimum Innocentio jam ſucceſſiſſe: *Tempore piæ recordationis Domini Præceſſoris Apoſtolatus veſtri Zoſimi, anno Coſſ. Honorii Aug. XI. & Conſtantio bis, cum declinaretur ne X. Kal. Maii die Paſcha teneretur, celebratum eſt VIII. die Kal. April.* Si ergo Paſchatis tempore Pontificatum gerebat Zoſimus, nec 28. Julii, multo minus 21. Decemb. obiit Innocentius, ut pluribus eruditi viri demonſtrant.

Bar. an. 417. n. 4. Papebrocb. in conatu hiſt ad catel. Rom. Pontiſ.

Epiſt. 3.

Coutan. pag. 738. Pag. ad an. 417. n. 4. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 11.

Innocentii Papæ epiſtolæ ad varios datæ. *Apud Coutan. pag. 910.*

4. Antequam ad Zoſimum Innocentii ſucceſſorem tranſeamus, de ceteris Innocentii epiſtolis, quæ certam temporis notam non habent, nonnulla ſunt adnotanda; quarum prima Probo cuidam data eſt, qua matrimonium poſt primæ uxoris captivitatem, a Fortunio quodam celebratum, nullum eſſe declarat: *Quare fide catholica ſuffragante ſtatuimus, illud eſſe conjugium, quod erat primitus divina gratia fundatum, conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nec divortio ejecta, nullo pacto poſſe eſſe legitimum.* In altera ad Felicem Nucerinum Epiſcopum, poſtquam devotionem ejus laudavit, qua in dubiis quæſtionibus Romanam ſedem conſulere voluerat, varias de ordinandorum qualitate regulas ſervandas eſſe jubet; & qui ſe ipſos, vel uno digito ſponte mutiliverint, ab ordinibus excludendos eſſe declarat; quod etiam in bigamis, aut qui viduas duxiſſent, ſervari oportere ſtatuit; ex laicis etiam nonnullos in clerum nequaquam inſcribendos eſſe monet, eos ſcilicet, qui mili-

Ad Felicem Nucerinum Epiſc.

militaverant, qui cauſas egerant aut adminiſtraverant, antequam rationes reddidiſſent. Curiales etiam, quia ſæpe ad curiam revocantur, paſſim non eſse ordinandos admonet, ne propter eos Eccleſia tribulationem patiatur; laici vero, qui uxorem habentes baptizati ſunt, ſi talem poſt baptiſmum duxerint vitam, ut ab uxoribus ſejuncti, aut cum clericis, aut in monaſteriis cœlibem vitam duxerint, hujuſcemodi ad clericatus ſortem aſſumi nil obſtare ait, dummodo tempora conſtituta ſerventur, nec cito Lector, Acolythus, Diaconus, aut Sacerdos ordinetur, ſed in minoribus ordinibus diu vita eorum pariter, & obſequia probentur.

Jesu Chr. An. 417.

5. Epiſtola altera ad Maximum & Severum, Bruttiorum Epiſcopos, qui filios in Sacerdotio genuerant, a Sacerdotali miniſterio arcendos eſſe jubet, quod vivendo illicite polluerant, ac Epiſcopos hæc diſſimulaſſe miratur; tum ſequenti epiſtola Agapito, Macedonio, Mariano Apuliæ Epiſcopis, eos, qui publicam pœnitentiam egerint, juxta Nicænum canonem ab omni etiam infimo clericatus ordine alienos eſſe declarat. Florentinum etiam Tiburtinum Epiſcopum, quod Nomentanam ſive Felicienſem Paræciam, quæ ad Urſi jurisdictionem ſpectabat, occupaſſet, ibidemque eo inconſulto divina celebraverit myſteria, ne quid inpoſterum tale præſumat, hortatur; quod ſi cauſæ ſuæ juſtitiæ confidebat, eum poſt venerabiles Paſchæ dies Romam adeſſe jubet, ut utriuſque probationibus expenſis, *quid antiquitas, aut veritas habeat, requiramus*, ait S. Pontifex. Tandem Laurentium Senienſem Epiſcopum epiſtola ultima admonet, ne ultra patiatur hæreſis Photinianæ ſectatores, non ſolum in ſua paræcia verſari, ſed quod pejus eſt, non ſine fidelium ſcandalo, conventicula celebrare; quare *tuum eſt*, inquit Pontifex, *quæ præcepta ſunt, non ſegnius agere, ne plebem tibi creditam diſſimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis reddere rationem*. Hactenus Innocentii epiſtolæ, quem plures alias ſcripſiſſe ſcimus, etſi non extent, in cauſa præcipue Joannis Chryſoſtomi ad Theophylum, ac ad Orientales, alioſque Orbis Epiſcopos, de quibus plura apud Coutantium videri poſſunt. Hoc unum adnotaſſe ſufficiet, Sanctum Pontificem, non ſolum fidei integritati, ſed etiam ut eccleſiaſtica diſciplina ſarcta tectaque ſervaretur, impenſe diligenterque toto Pontificatus ſui tempore, annorum fere ſexdecim, curaſſe.

Epiſt. ad Epiſc. Bruttios.

Epiſt. ad Florentinum Tiburi Epiſc.

Coutan. pag. 920.

6. Innocentio ſucceſſit Zoſimus natione Græcus Abrahami

Zoſimus Rom. Pontifex ordinatur.

Jesu Chr. An. 417.

bami filius, ait Anaſtaſius, & quidem poſt dies ſex ab deceſſoris obitu ordinatus, propterea die decimoctava Martii, quæ in dominicam eo anno incidit, cum vero Paſchali tempore Romanum egiſſe Pontificem, ſupra vidimus; die autem 22. Martii epiſtolas ad Galliæ Epiſcopos dedit undecimo Kal. Aprilis Honorio Aug. XI. & Conſtantio II. Quot annis in Pontificatu vixerit, etſi diffideant auctores, cum annum unum menſes duos dies undecim eum in Pontificatu vixiſſe ſcribat Pontificale Damaſi, Marcellinus vero in chronico, *vixit annis tribus*, Proſperi tamen chronologia ceteris verior videtur. *Rom. eccleſiæ Pontificatum 39. ſuſcepit Zoſimus, anno uno menſibus novem dies novem*; quare die 26. Decembris anni proximi 418. vivere deſiit, quod & confirmat relatio Symmachi Urbis Præfecti ad Honorium Auguſtum anno ſequenti, quarto Kal. Januarii data, qua de ejus ſucceſſore agitur, ut ibidem dicturi ſumus.

Quanto tempore in Pontificatu vixerit.

Pelagii epiſt. ad Innocentium datæ, Zoſimo redditæ.

7. Ad Zoſimi geſta tranſimus, cujus Pontificatus etſi brevis fuerit, ac biennio minor, ob res tamen in Pelagianorum cauſa geſtas illuſtris fuit. Singula quo ordine facta ſunt, ſummatim ſaltem recenſebimus, atque inprimis, cum ſe undique diffamatum eſſe Pelagius ſciret, vulgataſque per Orbem tum Afrorum Epiſcoporum, cum Innocentii adverſus eum epiſtolas, quibus Pelagiani errores condemnabantur, ut infamiæ notam quacumque poſſet arte repelleret, libellum fidei ſuæ una cum litteris ad Innocentium, quem vivere adhuc credebat, miſit, iiſque ſe, ſuoſque ab erroribus adſcriptis purgare conabatur. Zoſimo autem ſucceſſori libellus Pelagii, ac litteræ ſunt redditæ. Libellus fidei a Pelagio oblatus, & Baronianis in annalibus inſertus, integram ſane, illibatamque de Trinitatis myſterio, deque Filii Dei incarnatione, de reſurrectione carnis fidem continet, eos quoque anathematizans, qui animas, antequam in corpora mittantur, in Cœlo peccaſſe, cum Origeniſtis ejebant, aut qui nuptias cum Manichæis, aut Cataphrygibus condemnabant, aut eos, qui aliquid impoſſibile a Deo hominibus præcipi, aut Dei mandata, non a ſingulis, ſed in commune tantum poſſibilia obſervatu eſſe dicebant. Jovinianum præterea meritorum differentiam in futuro ſeculo auferentem eodem anathemate percellit. De libero autem arbitrio, deque gratiæ neceſſitate, unde per Orbem aut hæreticus habebatur, aut gravi ſaltem laborabat ſuſpicione, paucis, iiſque ambiguis ver-

Apud Auguſt. tom. 10. in append. pag. 96. Bar. 417. n. 31. ad 37.

verbis ſenſus ſuos ita incluſit, ut erroris argui facile non poſſet; hinc ut adnotavit Auguſtinus, *ab unitate Trinitatis uſque ad carnis reſurrectionem*, in quibus nulla cum eo quæſtio erat, pleniſſime ſatisfecit, de baptiſmate autem parvulorum hæc tantum addidit: *Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, aſſerimus eſſe celebrandum*; de libero arbitrio, hæc addebat: *Liberum ſic eſſe confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio; & tam illos, qui cum Manichæis dicunt hominem peccatum vitare non poſse, quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt hominem non poſse peccare, uterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos vero dicimus, hominem ſemper & peccare, & non peccare poſse, ut ſemper nos liberi confiteamur eſse arbitrii. Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus, in qua ſi minus perite, aut parum caute aliquid forte poſitum eſt; emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & ſedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur; quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

JESU CHR. AN. 417.

Auguſt. de gratia Chriſti cap. 32.

8. Hactenus fidei libellus Pelagii, Innocentio deſtinatus, ſed Zoſimo redditus; quo ut facilius incautos falleret, & hæreſis ſuſpicionem propulſaret, non ſolum obſcuris verbis de peccato originali, de gratiæ neceſſitate ad ſervanda mandata, ſententiam obvolvit, ſed etiam in fine addidit, ſe cuncta, ſi quid minus saperet, Apoſtolicæ ſedis judicio ſubmittere, ejuſque ſententiam ſe in omnibus ſequi paratum, qua conteſtatione ſe quidem hæreticum eſſe non poſſe docebat, ac accuſatorum ſuorum ora obſtruebat, ſicque aſtutus homo ovina indutus pelle, tanquam catholicus ab ipſo Pontifice habitus eſt; citiſſime tamen impoſtoris arte detecta, omne conſilium ejus evanuit, ut ex dicendis conſtabit. *In litteris præterea, quas*, libello adjunctas, cujus fragmenta tantum apud S. Auguſtinum ſuperſunt, *Romam miſit ad Beatæ memoriæ Papam Innocentium, & quoniam in corpore eum non invenerunt, Sancto Papæ Zoſimo datæ ſunt, & ad me directæ*, ait Auguſtinus. Is porro ſe injuria infamari conquerebatur, quod parvulis ſine baptiſmate Regna Cœlorum promitteret, ac homines ſine divino auxilio peccata vitare poſſe diceret, cumque alia ad conflandam adverſariis ſuis invi-

Pelagius catholicam fidem ſimulans a Zoſimo Papa abſolvitur.

Auguſt. de peccato orig. n. 19. 20.

Auguſt. de gratia Chriſti cap. 30.

Jesu Chr. an. 417. Cap. 31.

invidiam addidiſſet, tandem ſubdit: *Ecce apud Beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua pure atque ſimpliciter ad peccandum, & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino adjuvatur ſemper auxilio*, ac multa de naturali poſſibilitate ad peccandum, & non peccandum addit; opuſcula etiam hactenus a ſe edita adverſariis ſuis objiciens, epiſtolam ſcilicet tercentorum verſuum ad Paulinum Nolanum, & ad Sanctum Conſtantium Epiſcopum, ac eam, quam ad virginem Demetriadem in Oriente conſcripſerat: *Legant etiam recens meum opuſculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulſi ſumus, & agnoſcent quam inique nos negatione gratiæ infamare geſtierint, qui per totum pene ipſius textum operis perfecte, atque integre, & liberum confitemur arbitrium & gratiam*, quod in aliis quoque epiſtolis ſe feciſſe addidit; irrito tamen conatu inde Apologiam fidei ſuæ texere aggreſſus eſt, cum ea opuſcula præcipue Pelagiana fuligine undique aſperſa ſint, ut pluribus proſequitur Auguſtinus libro de gratia Chriſti, anno ſequenti 418. edito.

Auguſt ut ſup. cap. 35. 36 37. 41.

Praylii Hieroſolym. Epiſc. epiſt. ad Zoſimum.

Joannis Hieroſolym. Epiſc. obitus, cui Praylus ſuccedit.

Coutan. pag. 949.

9. Cauſam Pelagii apud Zoſimum Praylii Hieroſolymorum Epiſcopi litteræ commendatitiæ adjuvarunt, qui cum anno proximo 416. Joanni ſucceſſiſſet, ad Zoſimum ſcribens, Pelagii cauſam perſonamque commendavit, quem in Hieroſolymitana ſynodo ſub anteceſſore ſuo Joanne abſolutum fuiſſe ſciebat. Unde Zoſimus in epiſtola ad Aurelium Carthaginenſem, ceteroſque Africanos Epiſcopos, de Praylii epiſtolis: *Ecce epiſtolam*, inquit, *Hieroſolymitani Epiſcopi Praylii, qui in locum quondam Sancti Joannis Epiſcopus eſt ordinatus, accepimus, qui cauſæ Pelagii enixius adſtipulator intervenit*. Fraudibus tamen, & ſubdola fidei confeſſione a Pelagio oblata, deceptum fuiſſe Praylium, ut ea in ejus gratiam Zoſimo ſcriberet, inde facile patet, quod detecta poſtmodum Pelagianæ doctrinæ perverſitate, Pelagium Hieroſolymorum confiniis exturbavit, ac alteris litteris Romam miſſis, poſt Zoſimi obitum, idem Praylius, quæ in Pelagii gratiam ſcripſerat, retractavit, ut auctor eſt Marius Mercator, de quibus ſuo loco inferius. Triginta porro annos eam ſedem tenuerat Joannes, non vero ſexdecim, ut in Nicephori chronico legitur, ubi & Praylii nomen in Paulinum mutatum eſt. De Praylio Joannis ſucceſſore audiatur Theodoretus: *Poſt Joannem illum admirabilem mortuum, Praylius, qui nomini ſuo pulchre reſpondebat, illius eccleſiæ regimen ſuſcepit*.

10. Nunc

10. Nunc cetera Pelagianorum geſta proſequimur, adnotantes Cœleſtium, oblato fidei ſuæ libello, ac viva voce, cum Romæ eo tempore adeſſet, apud Zoſimum Papam ab hæreſis ſuſpicione ſeſe liberaſſe; quod etiam Pelagius litteris ſuis Zoſimo teſtatus eſt. Unde idem Pontifex ad Africanos ſcribebat: *Poſtquam a nobis Cæleſtius Presbyter auditus eſt, & quid de fide ſentiret evidenter expreſſit, eademque, quæ in libello extulerat, repetitis crebro profeſſionibus roboravit,... ecce epiſtolam Hieroſolymitani Epiſcopi Praylii,.... litteras quoque ſuas idem Pelagius purgationem continentes abundantiſſime miſit*; quibus conſtat Zoſimum primum Cœleſtii præſentis, deinde Pelagii abſentis cauſam retractaſſe. Cum itaque Cœleſtius Carthaginenſi ſynodo anni 412. damnatus ad Romanam ſedem appellaſſet, ne ab Innocentio Pontifice condemnaretur, *appellatione neglecta*, ut ait Marius, *Epheſum contendit*, ubi per obreptionem Presbyter ordinatus fuit, poſt aliquot vero annos CPolim perrexit, at Attici Epiſcopi cura, tanquam hæreticus ex prædicta urbe ejectus eſt, datis etiam litteris ſuper ejus nomine in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem, ad Epiſcopos miſſis, *quarum exemplaria proferre parati ſumus*, ait Marius Mercator; cum autem undique tanquam monſtrum, & ſub ovina pelle lupus ejiceretur Cœleſtius, poſt Innocentii obitum, multa cum feſtinatione ad Zoſimum perrexit, a quo interrogatus, an illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accuſatus, condemnaret, cum id ſe facturum promiſiſſet, nonnulla humanitate dignus eſt habitus, & *ſic epiſtolam* Zoſimi *benignitatis plenam ad Afros Epiſcopos meruit, qua ille abuſus eſt, vel adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem*, ait Mercator.

Cœleſtius Zoſimum adit, cui fidei ſuæ rationem reddit.

Coutan. ut ſup.

Apud Garner. pag. 7.

11. Quam cum Cœleſtio agendi rationem inierit Zoſimus, in epiſtola ad Africanos Epiſcopos narrat, qua poſt præfationem, Cœleſtium Apoſtolicæ ſedi ſe exhibuiſſe, ait, ut quæ adverſus eum vulgata fuerant, dilueret; quare ſubdit: *Et licet multæ occupationes majoribus vinculis eccleſiaſticorum negotiorum curam noſtram ſollicitudinemque diſtraherent: tamen ne fraternitatis veſtræ adventu ac diſcuſſione prædicti diutius penderet exſpectatio, poſthabitis omnibus, die cognitionis reſedimus in Sancti Clementis baſilica, &c. Omnia igitur, quæ prius fuerant acta, diſcuſſimus, ſicut geſtorum huic epiſtolæ cohærentium inſtructione diſcetis; & intromiſſo Cœleſtio, libellum*

Cœleſtius a Zoſimo in eccleſia S. Clementis exceptus.

Coutan. pag. 945.

Jesu Chr. an. 417.

ejus, quem dederat, fecimus recitari: nec hoc contenti, utrum hæc, quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur, an labiis, ſæpenumero exploravimus; cum de occultis animorum ſolius Dei noſtri poſſit eſſe judicium, cui non tantum cogitata, ſed cogitanda etiam præſto ſunt. Quid voces ejus contineant, compendioſius duximus a Sanctitate veſtra legendo cognoſci; deinde addit mirari ſe, quod cum præſentem Cœleſtium in concilio Carthagineuſi habuiſſent, fidei ſuæ ſe rationem reddere paratum, litteris Herotis, & Lazari Galliarum Epiſcoporum, qui Cœleſtio vix cogniti erant, fidem præſtiterint; quos *inobſervatis ordinationibus, plebe cleroque contradicente, ignotos alienigenas intra Gallias Sacerdotia vindicaſſe, quibus ſe ipſi propria abdicavere ſententia*; quos ideo *nos quoque*, ſubdit Zoſimus, *ſacerdotali loco, & omni communione ſubmovimus*; quare præjudicatam nimis fuiſſe in Cœleſtium latam ſententiam, ait, utpote adverſus eum, *qui ſe præſens tuetur, qui exponit fidem, qui provocat accuſantem*: ac propterea hanc inpræſens ſententiam tulit Zoſimus, ut in ſuſpenſo cuncta eſſent, donec infra bimeſtre Cœleſtii accuſatores hæreſis eum aut convincerent coram Apoſtolica ſede, aut ab eadem abſolutum ſcirent; hæc Zoſimus. Partem libelli a Cœleſtio Zoſimo Pontifici oblati exhibet Auguſtinus in libro de peccato orig. cap. 5. 6. 7. & 13. cetera periiſſe quamplurimi cenſent; partem tamen reliquam ab Auguſtino in ſermone 190. de tempore inſertam eſſe, Coutantius pag. 986., & Garnerius in Mar. Mercat. pag. 313. diſsert. 5. adnotarunt, ac vix quidquam libelli ejuſdem deſiderandum ſupereſt, ut ibidem videre eſt.

Zoſimi epiſt. adEpiſc. Africæ. *Coutan. pag. 949.*

12. Alteram hoc anno Zoſimus Papa ad Africanos Epiſcopos in Pelagii cauſa epiſtolam dedit, undecimo Kal. Octob. qua ſe litteras a Pelagio accepiſſe narrat, *in quibus purgationem abundantiſſime miſit, & profeſſionis ſuæ fidem, quid ſequeretur, quidve damnaret, ſine aliquo fuco, ut ceſsarent totius interpretationis inſidiæ, cumulavit*; quæ dum legerentur, vix a lacrymis ſanctiſſimi viri audientes temperarunt, cogitantes abſolutæ fidei viros *infamari potuiſse*, cum locus non eſſet, *in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſsum ſit &c.* In Herotem deinde, & Lazarum Galliæ Epiſcopos, ac Pelagii accuſatores multa congerit, quos Apoſtolicæ ſedis auctoritate ab omni eccleſiaſtica communione ſubmotos fuiſſe ait, ac de Lazaro Aquarum Sextium Antiſtite nominatim hæc adnotat: *Vetus Lazaro conſuetudo eſt innocentiam criminandi. Per multa concilia*

cilia in ſanctum Britium Coepiſcopum noſtrum Turonicæ civitatis diabolicus accuſator inventus eſt. A Proculo Maſſilienſi in ſynodo Taurini oppidi ſententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit poſt multos annos Sacerdos, tyrannici judicii defenſor civitatis Aquenſium: cum contrairent addicta, in ipſum penetrale & ſacerdotale ſolium ſanguine innocentis pene reſperſum irrupit. Stetitque in eo hactenus umbra Sacerdotii, donec in tyranno imago ſtaret Imperii: quo loco poſt internecionem patroni ſponte ſe exuit, & propria ceſſione damnavit. Quæ porro Lazari fuerit culpa, ut Zoſimi indignationem promereretur, non diſſimulavit S. Pontifex, cui duo præcipue objecit: primum quod Britium Epiſcopum Turonenſem, ac S. Martini ſucceſſorem calumniaverit; unde a Proculo Maſſilienſi accuſatus in ſynodo Taurinenſi, ſententiam calumniatoris exceperat; alterum vero, quod tyranni partibus aliquando ſtuduerit. *Hinc tyrannici judicii defenſor civitatis Aquenſium dictus eſt:* Is tyrannus, cui Lazarus faverat, Conſtantinus fuerat, qui Galliarum partem occupaverat, ac anno 411. interfectus fuerat, ut ſuo loco diximus, quo ſublato, ne quid gravius ab Honorio pateretur, ſponte ſe Aquenſium Epiſcopatu exuit. Idem Herotis Arelatenſis Epiſcopi crimen fuit; unde ſubdit Zoſimus: *De Herote omnia ſimilia*, ideſt *tyrannus patronus*, (Conſtantinus ſcilicet,) *cædes, turbæ, Presbyterorum contradicentium vincula, & cuſtodiæ, & totius civitatis addictio, ſimilis pænitentia de abdicatione Sacerdotii*. Quem Arelatenſes poſt Conſtantini interitum, ut Honorio Imp. rem gratam facerent, ſede & urbe ejecerunt, ut Proſper narrat in Chronico ad annum 412. *Eodem tempore Heros vir ſanctus, & Beati Martini diſcipulus, cum Arelatenſi oppido præſideret, a populo ejuſdem civitatis, inſons, & nullis inſimulationibus noxius pulſus eſt. Inque ejus locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantii Magiſtri militum, cujus per ipſum gratia quærebatur. Eaque res inter Epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum materia fuit.* Hinc a Patroclo, qui in Herotis locum ſucceſſerat, inflammatum fuiſſe Zoſimum, ut in Lazarum & Herotem acrius ſuccenſeret, vix eſt dubitandum, atque Zoſimi in Patrocli gratiam geſta ſequentibus annis ſatis confirmant. Interea Heros & Lazarus ſedibus ſuis ejecti, ut Honorii Imp. iram declinarent, in Palæſtinam tranſierunt, quo cum eſſent Pelagii accuſatores effecti ſunt, quare ſubdit

Jesu Chr. An. 417. Zoſimus mirum non eſſe eos, qui in fratres & Coepiſcopos tanta machinati erant, laicum quoque hominem, ideſt Pelagium calumniaſſe, quem una cum Cœleſtio apud Apoſtolicam ſedem fidei ſuæ, ſcriptis, & voce rationem reddidiſſe addit; ſed *ubi Heros, ubi Lazarus, ubi illi adoleſcentes Timaſius & Jacobus*, Pelagii Cœleſtiique accuſatores? Herotem deinde, & Lazarum redarguit, quod cum de ambiendo Epiſcopatu ageretur, terram & mare luſtraverint, in Africam ſcilicet navigando; ut vero innocentes calumnia percellerent, litteris uſi ſint, ac Pelagii præſentiam declinaverint; atque apud Africanos Epiſcopos potius, quam apud ſedem Apoſtolicam eam cauſam detulerint: *Miſimus igitur*, concludit Zoſimus, *ad dilectionem veſtram exemplaria ſcripturarum, quas Pelagius miſit, quarum lectionem non ambigimus parituram eſſe vobis in Domino de abſoluta ejus fide lætitiam, data undecimo Kal. Octob.* labentis anni: ſed de Zoſimi epiſtolis ad Aurelium, alioſque Africæ Epiſcopos hactenus.

Qua ratione Zoſimus excuſari poſſit. *Tacund. lib. 7. cap. 3.*

13. His duabus ad Africanos Epiſcopos datis litteris, aliqualem nomini ſuo credulitatis labem inuſſiſſe Zoſimum negari non poteſt, in quam rem Facundus ajebat: *Invenient poſtremo B. Zoſimum Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, contra S. Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit, fidem ipſius Pelagii, ejus complicis Cœleſtii, quem in eccleſia Carthaginenſi convictum, atque appellantem ad Apoſtolicam ſedem, & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram & Catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem Epiſcopos, quod ab illis hæretici crederentur*; atque hæc clarius adhuc ex ipſiuſmet Zoſimi epiſtolis patent. Quin tamen inde ea Pontifici conſletur invidia, quantam nonnulli exagerare ſolent, nec neceſſitas exigit, nec æquitas ſuadet, a veteratoribus quidem Pelagio & Cœleſtio, eum deceptum fuiſſe *fatentur illi, qui Pontificiam Majeſtatem adorant, & colunt*, ait Baſnagius, ideſt Catholici, quos inſulſe tanquam adoratores & cultores Majeſtatis Pontificiæ appellat, eo quod eam Rom. Pontifici reverentiam, ac obedientiam præſtent, Chriſti Vicario Petrique ſucceſſori, ac totius Eccleſiæ Primati ac magiſtro debitam. Deceptum tamen ab hæreticis Zoſimum fuiſſe tantummodo Baſnagio non eſt ſatis. *Negligentiam Zoſimi non accuſare non poſſumus*, addit, *qui hæreticum libellum, catholicum eſſe pronunciavit, dum docet ex cathedra... Neque culpæ immune eſſe*

Baſnag. an. 417. n. 10.

eſſe putamus præceps de Pelagio judicium. Fruſtra tamen tantos adverſus Zoſimum rumores excitat, ut Pontificiæ majeſtatis adoratores, & falſum ex cathedra judicium, in ſcenam proferat, cum vel ipſa rerum geſtarum ſeries, vix quidquam peccaſſe Zoſimum, doceat, etſi faciles Pelagio ac Cœleſtio aures præbuerit. Quam leviſſimam culpam, ſi ita loqui fas eſt, paulo poſt, altera ab Africanis Epiſcopis accepta geſtorum relatione, tam cito emendavit, ut inter Pelagianæ hæreſis impugnatores, acerrimus fuerit, ut ex dicendis infra conſtabit.

Zoſimi Pontificis geſta, & fama vindicantur. *Noriſ. hiſt. Pelag. cap. 12. Garner. pag. 13. Nat. Alex. diſſert. 3. in ſequint.*

14. Interea ne Apologiam pro Zoſimi fide texendo, actum ab eruditiſſimis viris agamus, adnotare ſufficiet Zoſimum inſontes ideo Pelagium atque Cœleſtium declaraſſe, quia cum a Carthaginenſi concilio anni 412. a quo damnati fuerant, ad Apoſtolicam ſedem appellaſſent, ejus judicio Pelagius quidem abſens epiſtolis ſuis, Cœleſtius vero coram ſe ſiſtitit, fideique ſuæ rationem ſubdola profeſſione fidei reddiderunt. Quo factum eſt, ut tanquam catholici in communionem reciperentur, quod etiam Innocentius Zoſimi præceſſor, qui eos damnaverat, poſt errorum retractationem promiſerat his verbis: *Si unquam ſani depoſito pravi dogmatis errore reſipuiſſent, damnaſſentque ea, quorum ſe ipſi prævaricatione damnarunt, eis medicinam ſolitam, ideſt receptaculum ſuum ab eccleſia non negari, ne dum eos redeuntes forſitan prohibemus, vere extra ovile remanentes, expectantis hoſtis rabidis faucibus glutiantur*; quare dum eos palinodiam offerentes Zoſimus catholicos declaravit, atque eccleſiaſticæ communionis dignos cenſuit, ejuſdem Innocentii judicium confirmavit, atque eos Innocentii ſententiæ ſubſcripſiſſe, ac ea, quæ ab eodem Pontifice damnata fuerant, condemnaſſe narrat Auguſtinus; nam Cœleſtius inter cetera, libello ſuo hæc inſeruerat: *Si forte ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur*. Pelagius vero eadem teſtatus, hæc litteris ſuis addiderat: *Si minus perite aut parum caute aliquid forte poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri fidem, & ſedem tenes*; quare ambo his verbis, ſe ea retractare, quæ hactenus docuerant, ac Innocentii Pontificis ſententiæ ſubſcribere teſtati ſunt, *quod catholicæ mentis eſt*, ait idem Auguſtinus, *ſi qua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſime definire, ſed detecta, ac demonſtrata reſpuere*. Neque tamen generali hac, ut dixerim, retractatione accepta, Cœleſtium continuo dimiſit Zoſimus, ſed ut nomi-

Apud Couſtan. pag. 899.

Auguſt. de peccato Orig. cap. 6.

Auguſt. lib. 2. ad Bonif. cap. 3. & 4.

Jesu Chr. An. 417.

De pecc. Orig. cap. 6.

nominatim etiam hæreſim ſuam ejuraret, & Innocentii prædeceſſoris ſui decreta amplecteretur, exegit: *Cæleſtii præloquutionem Venerabilis Papa Zoſimus tenens, egit cum homine, quem falſæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea, quæ illi a Paulino Diacono fuerant objecta*, anno 412. coram Aurelio in Concilio Carthaginenſi, *damnaret, atque ut ſedis Apoſtolicæ litteris, quæ a ſanctæ memoriæ ſuo præceſſore manaverant, præberet aſſenſum; at ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, ſed B. Innocentii Papæ litteris non eſt auſus obſiſtere, imo ſe omnia, quæ ſedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſit*. Preſſius adhuc Cœleſtium ſtrinxit Zoſimus his verbis: *Illa omnia damnas, quæ jactata ſunt de nomine tuo*, cui Cœleſtius: *Damno ſecundum ſententiam beatæ memoriæ præceſſoris tui Innocentii*, quam epiſtolis ſuis ad Africanos Epiſcopos datis declaraverat; hinc Pontifex, eodem Auguſtino teſte: *Cognoviſti quales litteras dederit ſedes Apoſtolica ad Fratres & Coepiſcopos Africanæ Provinciæ*, quæ ſane pleniſſimam Zoſimi Pontificis apologiam continent, neque his obſtat, quod Cœleſtii libellum Zoſimus probaſſe viſus ſit, quo etſi parvulos baptizari in remiſſionem peccatorum faſſus eſt, negavit tamen eos habere originale peccatum, ut narrat Auguſtinus; nam non verba libelli, aut ſententiam probavit Zoſimus; quin hæc eum retractaſſe cenſuit, dum ſe eam fidem amplecti teſtatus eſt, quam ſedes Apoſtolica prædicaret, *& litteris Innocentii Papæ, quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt, conſentire reſpondit*, quare ad rem adnotat Auguſtinus: *Voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt &c. & propterea libellus ejus catholicus dictus eſt, quia & hoc catholicæ mentis erat, ſi qua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſime definiſſe, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere*, ait Auguſtinus, qui etiam in libro de peccato Originali, & in libris ad Bonifacium ad Zoſimi excuſationem, quin etiam ad defenſionem multa affert; inter cetera cum Julianus Apoſtolicam incuſaret ſedem, quod adſtruendo Originali peccato, a ſententia Zoſimi receſſiſſet. *Quænam tandem epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zoſimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci? nuſquam prorſus hæc dixit, nuſquam omnino conſcripſit*. His adde tunc Zoſimum in cauſa Pelagii & Cæleſtii definitivam nequaquam protuliſſe ſententiam, quam altero reſervavit concilio poſt duos menſes, coram eorum

Ut ſup. cap. 7. Auguſt. ad Boniſ. lib. 2. cap. 4.

Auguſt. de peccat. orig. cap. 6. 33.

Et lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.

Lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.

rum accuſatoribus celebrando; quos ea de cauſa, ut infra bimeſtre adeſſent, vocavit: *Unde in præſenti cauſa*, ajebat in prima ad Africanos Epiſcopos epiſtola, *nihil præcox, immaturumque cenſuimus. Quare intra ſecundum menſem, aut veniant, qui præſentem redarguant aliter ſentire, quam libellis, & profeſſione contexuit, aut nihil poſt hæc tam aperta & manifeſta, quæ protulit, dubii ſanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat.* Quæ etſi de Pelagio tantum ſint dicta, ad Cæleſtii quoque cauſam pertinere facile quiſque intelligit, cum utriuſque eadem mens, & cauſa eſſet; hinc factum, ut cum Zoſimus alias ab Africanis Epiſcopis litteras accepiſſet, quibus de Pelagii Cœleſtiique perfidia plenius inſtruebatur, ac Cœleſtius cauſæ ſuæ diffidens, Roma exceſſiſſet, eoſdem damnaverit Zoſimus, ut anno ſequenti videbimus.

Jesu Chr. An. 417. *Coutan. pag. 947.*

15. Pontificatus ſui initio novis privilegiis Arelatenſem eccleſiam Zoſimus illuſtravit, data ad Epiſcopos Galliæ epiſtola, qua inter cetera juſſerat, ut Epiſcopi vel clerici cujuſcumque ordinis & dignitatis, ex quacumque Galliarum parte, aut ad urbem, aut alibi profecturi eſſent, ab Arelatenſi Epiſcopo formatas litteras, ſeu communicatorias acciperent, ut Arelatenſis Epiſcopus per Viennenſem provinciam, & utramque Narbonenſem, ſolus Epiſcopos ordinaret, ut Parochiæ quædam Arelatenſi Diœceſi reſtituerentur. Hæc autem Arelatenſi eccleſiæ idcirco eſſe attribuenda Zoſimus præceperat, tum ut vetus privilegium Arelatenſis eccleſiæ ſervaret, *ad quam primum ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus eſt, idcirco quaſcumque parœcias in quibuslibet territoriis, etiam extra provincias ſuas, ut antiquitus habuit, intemerata auctoritate poſſideat, ad cujus notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſemus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen.* Formatarum tamen privilegium, utpote Metropolitanis ceteris inuſitatum, *Patroclo fratri, & Coepiſcopo noſtro, meritorum ejus contemplatione conceſſimus*, ait Zoſimus, cujus epiſtola XI. Kal. April. Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. inſcripta legitur, ideſt hoc anno.

Zoſimi epiſt. ad Epiſc. Galliæ, de privilegiis Arelatenſis Epiſc. *Apud Coutan. pag. 935.*

16. Hæc privilegia Patroclo Arelatenſi Epiſcopo collata in cauſa fuerunt, ut non multo poſt variæ inter Gallicanos Epiſcopos exorirentur quæſtiones, ac præcipue inter Viennenſem, & Arelatenſem Epiſcopum De Galliarum primatu, quam Taurinen-

Aliæ in eamdem rem Zoſimi epiſtolæ.

Jesu Chr. an. 417.

rinenſe concilium non multo ante ſopiendam cenſuerat; Primatum ei tribuens, qui probaſſet ſuam civitatem eſſe Metropolim. Taurinenſe concilium exceperant turbulentiſſima tempora, quibus ob Maximi, & Conſtantini rebellionem Galliarum pars maxima a Romanis defecerat. Cum vero poſt Conſtantini interitum, ad Valentiniani Imperium rediiſſent Galliæ, de Primatu quæſtio iterum exorta eſt, quam pro ſumma, qua pollebat auctoritate, Zoſimus finiendam cenſuit, Arelatenſi Epiſcopo Primatum in ceteras provincias tribuens, quod jure an injuria ſtatuerit, alii viderint: certe S. Leo, aliique Pontifices tantam Arelatenſium Epiſcoporum auctoritatem imminutam voluerunt, ac Viennenſi potius Epiſcopo Narbonenſes provincias ſubeſſe ſtatuerunt, ut infra adnotaturi ſumus. Pro aris quidem ac focis Zoſimi decreta tuetur Queſnellus in diſſertatione quinta ad opera S. Leonis, qua Hilarii Arelatenſis Epiſcopi apologiam texit; at Zoſimo Patroclum impoſuiſſe, ut ſibi Primatum, inauditaque privilegia tribueret, eruditorum plurimi cenſent. Inter eos pluribus rem perſequitur noviſſimus S. Leonis editor Ballerinus Veronenſis, in notis & obſervationibus ad ſupracitatam Queſnelli diſſertationem, nec mirum hæc a Zoſimo per ſubreptionem obtinuiſſe Patroclum, quem etiam in Herotem & Lazarum Galliarum Epiſcopos infenſiſſimum reddidiſſe ejuſdem Zoſimi litteræ ſupracitatæ teſtantur.

S. Leonis op. tom. 2. pag. 998.

Zoſimi epiſtolæ ad Epiſc. Gall. Hiſp. & Africæ. *Coutan. pag. 955.*

17. Epiſtola autem altera univerſis per Africam, per Gallias, per Hiſpanias Epiſcopis data, Urſum & Tuentium Epiſcopos illegitime ordinatos, eccleſiaſtica communione excluſos fuiſſe admonet, quibus cum multa objiciat, hæc potiſſimum commemorat, *improborum* ſcilicet, *& damnatorum ordinatio*, *prætermiſſio Metropolitani*, injuſſu ſcilicet Patrocli Arelatenſis Epiſcopi, & Metropolitani peracta, ac inconſultis comprovincialibus Sacerdotibus, inſuper alienorum locorum impudentiſſima uſurpatio; atque Lazari in concilio olim Taurinenſi ob calumniam Britio Turonenſi Epiſcopo impactam damnati in eorum ordinatione ſociato, quibus cum cuncta deeſſent, etiam legitimus ordinationibus celebrandis dies defuit. Tuentio vero præter corruptos mores, Priſcillianam etiam hæreſim objicit Zoſimus: *Qua de re*, ſubdit, *ad ſanctitatem veſtram, & per totum, ubicumque, & in quacumque terrarum ſonus catholicæ religionis exiit, ſcripta dereximus, fratres cariſſimi, ne Tuentium, & Urſum in communione eccleſiæ in quocumque gradu, a qua in totum*

totum anathematizati ſunt, ſuſcipiendos eſſe ducatis &c. ac ut cuncti in Galliis Arelatenſi Epiſcopo ſubeſſent, iterum hortatur; quarum epiſtolarum plura in Orbem exempla vulgata fuiſſe ſcimus, & indicat ea formula *a pari*, quæ in inſcriptione legitur, atque ſub die decima Kal. Octob. labentis anni data eſt.

Jesu Chr. an. 417.

18. Die 13. Kal. Octob. ejuſdem anni alteram ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis, & Narbonenſis ſecundæ epiſtolam dedit, qua Proculum Maſſilienſem, & Simplicium Viennenſem Epiſcopos arguit, eo quod in præjudicium Arelatenſis Epiſcopi, ejuſque Metropoliticæ auctoritatis, in Provincia Narbonenſi Proculus Epiſcoporum ordinationes celebraret, Simplicius in Viennenſi; cumque iidem ſeſe concilii Taurinenſis auctoritate tuerentur, atque antiqua conſuetudine, ſe his nequaquam moveri ait Zoſimus: *Attamen illa præſumptio nos admodum movit, quod in ſynodo Taurinenſi, cum longe aliud ageretur, in Apoſtolicæ ſedis injuriam ſubripiendum putavit, ut ſibi concilii illius emendicata præſtaret obreptio ordinandorum Sacerdotum veluti Metropolitano in Narbonenſi ſecunda provincia poteſtatem; & ne ſolus indebita poſtulando huic Sedi videretur intuliſſe convicium, ſocium ſibi Simplicium Viennenſis civitatis adſcivit, qui non diſſimili impudentia poſtularet, ut ſibi quoque in Viennenſium provincia creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium*; quæ utpote contra ſtatuta Patrum irrita habenda eſſe jubet, ac Epiſcopos Narbonenſis ſecundæ, & Viennenſis provinciæ hortatur, ut Patroclo Arelatenſi debitam exhibeant obedientiam, ac ſicuti Trophimo primo Arelatenſium Epiſcopo jus ordinandorum Epiſcoporum iis in provinciis fuerat, ita integrum Patroclo ſervarent. Eo etiam ſpectat altera ejuſdem Zoſimi epiſtola ad Hilarium, qua eum increpat, eo quod in Narbonenſi prima Epiſcoporum ordinationes, ac Arelatenſis Epiſcopi jura uſurparet, cui non ſolum in Viennenſi provincia, ſed in utraque etiam Narbonenſi jus ordinandorum ſacerdotum fuiſſe, ait; quare ut ab hiſce ſe impoſterum ordinationibus abſtineat, graviter hortatur, ac admonet, ne illicita uſurpando, *catholica communione diſcretus, ſero de illicitis præſumptionibus ingemiſcas*, data ſexto Kal. Octob. hujuſce anni, ſeu die 26. Septemb.

Alia Zoſimi epiſt. ad Epiſ. provinciæ Viennenſis, & Narbon. *Coutan. pag.* 959.

Epiſt. ad Hilarium Narboni Epiſc.

19. Hæc autem in Patrocli Arelatenſis Epiſcopi gratiam, dum Romæ adeſſet, Zoſimus Papa ſtatuit. Cum autem in Gallias rediit, datis ad eum epiſtolis, eadem confirmavit, ac Patroclum Romæ adfuiſſe, ut cauſam ſuam apud Pon-

Zoſimi epiſt. ad Patroclum Arelat. Epiſc. *Coutan. pag.* 961.

JESU CHR. AN. 417. Pontificem ageret, ejuſdem epiſtola his verbis teſtatur: *Quid de Proculi damnatione cenſuerim, tenet conſcientia tua, cum meo intereſſes examini, nec te geſtorum noſtrorum auctoritas latet, vel ſcriptorum, quæ de ipſius damnatione per terrarum diverſa direximus &c.* Jubet ergo, ut ipſe ſolus per omnes Galliarum provincias Formatas epiſtolas daret cujuſcumque gradus vel ordinis Sacerdotibus, eumque admonet, ne quemlibet per ſaltum ordinet, aut ordinandum permitteret, ſed gradatim ex minoribus ad majores tranſeant ordines, ita tamen, ut in ſuſceptis ordinibus aliquandiu ſubſiſtant, ac miniſtrent, antequam ad majores admittantur. Deceptum tamen a Patroclo Arelatenſi Epiſcopo, ac circumventum fuiſſe Zoſimum, ut tandiu pro eo laboraret, ac contra Patrum ſtatuta, Eccleſiæque canones ea decerneret, non eſt dubitandum, cujus judicium, ut a Cardinali Baronio adnotatum eſt, a ſucceſſoribus ſuis neglectum eſt, Bonifacio ſcilicet Zoſimi ſucceſſore, Cæleſtino, Leone Magno, ut ſuo loco dicturi ſumus. Hoc unum immoderata Patrocli ambitio, & Zoſimi ſententia effecit, ut diu ea de cauſa inter ſe litigarent Gallicani Epiſcopi, diuque etiam, in iis quæſtionibus dirimendis, Romana vexaretur eccleſia.

Bar. an. 418. n. 42.

Auguſtini epiſt. ad Paulinum Epiſc.

20. Hoc anno poſt Innocentii Papæ obitum, Auguſtinus una cum Alypio longiorem ad Paulinum Nolanum epiſtolam dedit, qua Pelagianam hæreſim confutat, & ut ab eorum fraudibus caveret admonet, cui duorum Africanorum conciliorum acta, & quinque Epiſcoporum epiſtolas ad Innocentium, ac ejuſdem Innocentii reſponſa adjunxit. Has autem poſt Innocentii obitum ſcriptas fuiſſe inde patet, quod ejuſdem mentionem faciens *beatæ memoriæ Papam* nominat. Scribendi vero hanc cauſam ſe habuiſſe teſtatur, quod non ſolum Pelagius Nolano Epiſcopo amicus eſſet, ſed Nolæ plurimi eſſent, qui Pelagii cauſam erroreſque tuerentur; quare Auguſtinus: *Novimus quod Pelagium ut ſervum Dei dilexeris, nunc autem quomodo diligas ignoramus, nam & nos non ſolum dileximus, verum etiam diligimus eum*, aliter tamen olim ſe eum dilexiſſe, ac nunc diligeret; nam prius quia rectæ fidei videbatur, *nunc autem, ut ab iis, quæ inimica & adverſa gratiæ Dei ſentire dicitur, illius miſericordia liberetur*. Cumque ad Paulinum litteras olim dediſſet Pelagius, quarum ibidem meminit Auguſtinus, Pelagius in libello pro ſui defenſione ad Innocentium Papam miſſo, ſed Zoſimo ſucceſſori oblato: *Legant*, inquit, *illam*

Epiſt. 186. n. 2.

lam epiſtolam , quam ad ſanctum virum Paulinum Epiſcopum ante duodecim fere annos ſcripſimus, quæ trecentis fere verſibus conſtat, nihil aliud quam Dei gratiam , & auxilium confitetur, noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo &c. quam gratiam nil aliud niſi naturam a Deo acceptam intelligebat Pelagius , quæ proinde : *Paganis atque Chriſtianis , impiis & piis , fidelibus atque infidelibus communis eſt ,* ut eadem epiſtola , alibique paſſim adnotat Auguſtinus ; unde poſt plurima : *Quoniam apud vos , vel in veſtra potius civitate , ſi tamen verum eſt , quod audivimus , tanta pro iſto errore quidam obſtinatione nituntur , ut dicant facilius eſſe , ut etiam Pelagium deſerant , atque contemnant , qui hæc ſentientes anathematizavit ,* in concilio ſcilicet Palæſtinæ, *quam ab hujus ſententiæ , ſicut eis videtur , veritate diſcedant .* Inter eos tamen, qui Pelagiano dogmati favebant, Paulinus certe non eſt accenſendus , de quo Auguſtinus eadem epiſtola adnotat : *Flagrant epiſtolæ tuæ odore ſinceriſſimo Chriſti , ubi germaniſſimus gratiæ ipſius dilector & confeſſor appares . Sed quod diu tecum ex hac re loquendum putavimus , primo quia jucundiſſimum eſt , fecimus , tum quod ægris & infirmis de adjutorio , & medicina loqui jucundum ſit* ; & iterum Paulinum de gratia Chriſti , & peccato originali , cum catholica Eccleſia conſenſiſſe , ex ejuſdem Paulini altera epiſtola ad Severum ſcripta teſtatur Auguſtinus : *Quid enim uberius , inquit , & veraciſſima confeſſione plenius , quam illud eſt in quadam epiſtola tua , ubi naturam noſtram non manſiſſe , ut condita eſt , ſed vitiatam eſſe per illum generis humani patrem humiliter deploraſti ?* quod ipſius etiam Paulini verbis confirmat ; ſed de his hactenus .

JESU CHR. AN. 417.

De gratia Chriſti lib. 1. 35.

N. 39. & 40.

21. Inter hæc accidit , ut Valerianus quidam Valerii Comitis ſervus , Alexandriam aufugiens , in Cyrilli amicitiam , & communionem irreperet ; quare Euſebius Cremonenſis presbyter , ex Oriente in Italiam reverſus , cum Cyrillo Alexandrino Epiſcopo egit , ut nequiſſimum nebulonem , perditiſſimumque hæreticum Pelagianum Alexandria , totaque Ægypto pelleret : *Quæſo , inquit , ut libenter meæ parvitatis ſuſcipere ſermonem digneris , & libertatem , quam in fide Chriſti habere videmur , ſuperbiam non reputes . Alexandrina ſedes , ex quo Chriſti nomen univerſo Orbi innotuit , præ cæteris provinciis , ſemper Italiæ Chriſti glutino cohæſiſſe cognoſcitur . Quomodo nunc , cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium , Cæleſtiumque cum*

Euſebii Cremonenſis epiſt. ad Cyrillum Alex. Epiſc. de Valeriano Pelagiano.

JESU CHR. AN. 417. *ſuis capitibus condemnans, cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Eccleſia in communionem receperit, quæ ſola & prima inter comprovinciales ſuos tales refutare debuerat? Sed ille eſt peſtifer, de quo ſanctitudini tuæ ante annum ſcripſeram, ſignifer & confæderatus eorum Valerianus ventriloquus, qui gulæ operam præbens, quicquid otioſum ſuæ adulationis invenerit, ibi ſanctos ac fideliſſimos nunciat. Sed non illum liberum putet tua beatitudo: ſervus eſt Ariminenſis poſſeſſionis illuſtriſſimi Valerii Comitis, quem propter reverentiam tui amoris repetendum a te interim fieri ſiluimus.* Hæc aliaque Euſebius ad Cyrillum, & quidem hoc anno, nam Innocentii Papæ epiſtolas ad Africanos in Pelagianorum cauſa datas tantum commemorat, non omiſſurus quoque Zoſimi anno ſequenti vulgatas, ſi poſt id temporis ad Cyrillum ſcripſiſſet; ceterum Pelagianos quoque inſectatum fuiſſe Cyrillum, ea, quæ infra dicturi ſumus de Epheſino concilio, declarabunt.

De Anniano Celedenſi diacono Pelagiano.

Bar. an. 417. n. 16. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 19. Garner. in Marium differt. 1. cap. 151. Pag. 154.

Hier. epiſt. 143. inter Auguſt. 202. Oroſ. apol. cap. 2.

22 Valeriano celebrior inter Pelagianos fuit Annianus Celedenſis eccleſiæ Diaconus, quem cum Valeriano perperam confudit Baronius, etſi non ſolum nomine, ſed ſtatu, & dignitate diſtinctus eſſet; nam Valerianus ſervus erat, hic vero conditione liber, dignitate vero Diaconus, vir etiam in litteris non mediocriter eruditus, cujus opera Pelagius ad ſectam promovendam utebatur, cui etiam in Dioſpolitana ſynodo interpretis officio, ſed parum fideliter functus eſt, ut ſuſpicatur Garnerius; unde Hieronymus de Anniani opuſculo adverſum ſe edito: *Quidquid*, inquit, *in illa miſerabili ſynodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat*, Pelagius, *in hoc opere profitetur*; quare ab Oroſio Pelagii armiger tacito nomine dictus eſt: *Stat immaniſſimus ſuperbia Goliath carnali potentia tumidus &c.* (Pelagius) *habens poſt ſe armigerum ſuum, qui etſi ipſe non dimicat, cuncta tamen æris & ferri ſuffragia ſubminiſtrat.* Hieronymus vero in ſupracitata epiſtola Annianum *alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtrare* ſcribit. Armigerum quidem Goliath, ſeu Pelagii, ab Oroſio deſignatum, Cœleſtium fuiſſe Uſſerius, aliique ſcripſerunt; at cum de ſynodo Palæſtina ibidem agat Oroſius, ubi *Armigerum* habuiſſe Pelagium ſcribit, Cœleſtio abſenti aptari nequaquam poſſunt, ſed Anniano Pelagii comiti aprime conveniunt. Poſt ſynodum Palæſtinam, cum ad Innocentium Papam Pelagianorum cauſa devoluta eſſet, atque Pelagius ut cauſæ ſuæ conſule-

Uſſer. antiq. Britann. cap. 8.

ſuleret in Italiam rediiſſet, cum eo Annianus rediit, quo cum eſſet, Hieronymi epiſtolam ad Cteſiphontem contra Pelagianos datam aliquot editis libris confutavit, quos cum ab Euſebio Cremonenſi Presbytero in ſchedulis accepiſſet Hieronymus, dum eidem reſpondere deſtinaſſet, morte præventus, non eſt executus; unde ad Auguſtinum ſcribebat: *Quod autem quæritis, utrum reſcripſerim contra libros Anniani, Pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſime paſcitur, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret, ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos a ſancto fratre noſtro Euſebio Presbytero ſuſcepiſſe, non ante multum temporis, & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctæ & venerabilis filiæ veſtræ Euſtochii, ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos putarem &c.* Poſt aliqua: *Si Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis reſpondebimus &c. Melius hoc faceret ſanctitas veſtra*, ſubdit, *ne compellamur contra hæreticum noſtra laudare &c.* Hæc emeritæ jam militiæ miles Hieronymus anno ſequenti, aut altero 419., & ſane morte præventus anno 420. Anniani libros confutare non potuit.

Annianus Hieronymi epiſt. ad Cteſi. phon. confutat.

Hier. epiſt. 143.

23. Interea ut aliquali ſanctorum Patrum auctoritate ſe ſe Pelagiani tuerentur, opuſcula aliquot S. Joannis Chryſoſtomi in latinum vertere aggreſſi ſunt, ut tanti viri laciniis turpitudinem ſuam tegerent; atque inprimis Chryſoſtomi homilias ſeptem de laudibus Pauli Apoſtoli Annianus interpretatus eſt, quas Evangelo cuidam Pelagianæ ſectæ presbytero inſcripſit: *Domino ſancto Evangelo Presbytero Annianus ſalutem*. Deinde homilias Chryſoſtomi in Matthæum latinas reddidit, quas Orontio Epiſcopo dicavit, ut ex præfatione conſtat. *Domino vere Sancto & Beatiſſimo Orontio Epiſcopo Annianus*, & poſt aliqua, *jubes enim beatiſſime, ut commentarium S. Joannis CP. Epiſcopi, quem in Matthæo Evangeliſta nonaginta & uno libro explicuit, in latinam linguam, quo poſſim ſermone transfundam*; octo tamen tantum ſuperſunt ex his homiliis in latinum translatæ, ceteræ aut periere, aut, quod vero ſimilius eſt, eas Anianus nequaquam latine reddidit. In utriuſque autem operis præfatione & Pelagianum ſe prodit, & Catholicos uti Manichæos, Traducianoſque exagitat, eo quod Originale peccatum ex traduce in parvulis propagari confiterentur, quo nomine Julianus poſtea ignominiæ cauſa Auguſtinum ſemper appellabat, tanquam Traducianæ gentis Primatem.

Annianus Chryſoſtomi opuſcula in latinum convertit.

Chryſoſt. op. tom. 7.

JESU CHR. AN. 417.

Auguſt. oper. imperf. contra Julian. lib. 1. cap. 66. & 76.

tem. Quare Auguſtinus: *Vos vero ſoli*, ajebat, *nos appellatis Traducianos*. De Anniani Diaconi Celedenſis patria, ſcriptis, & geſtis, plura apud Noriſium, aut Garnerium videri poſſunt. Ex hoc autem Anniani ſtudio in operibus Chryſoſtomi latinitate donandis, aliqualis tanto viro conflata eſt invidia, quaſi is Semipelagianorum luto hœſerit, de quo inter Julianum & Auguſtinum quæſtio fuit, ut ex libro primo & ſecundo operis imperfecti patet. At ſumma injuria in ſuæ cauſæ tutelam eum Pelagianos advocaſſe pluribus Auguſtinus demonſtrat; inter cetera: *Ingredere Sancte Joannes, ingredere*, ait, *& conſide cum fratribus tuis, a quibus nulla ratio, nulla tentatio te ſeparavit. Opus eſt & tua, & maxime tua ſententia: quoniam in tuis litteris iſte juvenis inveniſſe ſe putat, unde tot tantorumque Coepiſcoporum tuorum ſe arbitratur percellere, & evacuare ſententias*. De Joannis Chryſoſtomi ſententia circa divinæ gratiæ neceſſitatem ad omne opus bonum, etiam ad initium fidei, opus non eſt hoc loco plura addere: quem cum Auguſtino eamdem Eccleſiæ catholicæ opinionem docuiſſe, prolatis ex ejuſdem operibus locis, demonſtravit apertiſſime Hiacinthus Serry in Auguſtino a Launoji calumniis vindicato, cap. 13. pag. 338. & ſeqq. Quod ſi aliquando Semipelagianorum placitis ſubſcribere viſus eſt Chryſoſtomus, ea excuſari ratione facile poteſt, quia, ut ajebat Auguſtinus: *Vobis*, (ideſt Arianis) *nondum exortis*, *ſecurius loquebantur*.

Lib. 1. op. imp. cap. 6.

De Euſebio Cremonenſi Presbytero.

24. Ceterum cum Anniani libros ab Euſebio ſe accepiſſe in ſchedulis teſtetur Hieronymus, de Euſebio nonnulla adnotemus, qui egregiam adverſus Pelagianos navavit operam. Hic patria Cremonenſis fuit, ut teſtis eſt Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, cum cauſas aliquandiu in foro agitaſſet, Seculo renuntians, Hieronymo ſe ſociavit, atque in Bethleemitico monaſterio comes fuit, unde in invectiva Ruffinus de eo: *Ab tergiverſatione illa actuum publicorum ad monaſterium converſus, adhæſit magiſtro nobili*, ideſt Hieronymo: exortis deinde Ruffinum inter & Hieronymum ob Origeniana dogmata diſſidiis, cum a Ruffino Euſebius exagitatus eſſet, eum Hieronymus in prima Apologia tutatus eſt, cui etiam commentaria in Matthæum, ac in Hieremiam noncupavit; cumque in Italia eſſet eo tempore, quo Valerianus Pelagianorum ſceleſtiſſimus in Alexandriam aufugerat, ut ab ea peſte caveret, Cyrillum Alex. Epiſcopum litteris ſuis monuit, ut paulo ante adnotavimus.

mus : Quid poſt hac egerit Euſebius, quo fuerit, in obſcuro eſt: plura in ejus vita a Ferrario Cremonenſi canonico edita apud Bollandum die quinta Martii videri poſſunt.

De Theodoro Mopſuestheno, Pelagianorum patrono.

25. Inter Pelagianorum Coriphæos Theodorus Mopſueſtenus non eſt prætereundus, qui etſi ob Neſtorii hæreſim notior celebriorque fuerit, Pelagianis tamen ita favit, ut non modo hæreſis Pelagianæ particeps fuerit, ſed etiam parens. Hunc in Pelagianorum hiſtoria Baronius, Voſſius, Uſſerius prætererunt; at Noriſius & Garnerius eum inter primos Pelagianæ hæreſis auctores, defenſoreſque recenſent. Antiochenus is patria fuit, teſte Photio, & Mopſueſtena ſynodo anni 550. Juſtiniani juſſu celebrata, cum Joanne Chryſoſtomo Libanii Rhetoris, & Andragatii philoſophi auditor fuit, forum deinde aliquandiu frequentavit, ſed cum forenſes turbas Chryſoſtomus reliquiſſet, monaſticam vitam amplexus, idem vitæ genus Theodorus quoque ſuſcepit, *& urbicam converſationem damnavit*, ait Sozomenus; vitæ tamen monaſticæ paulo poſt pertæſus, urbem ac forum repetiit, ac uxorem duxit; cui cum Chryſoſtomus amicus ejus ornatiſſimam elegantiſſimamque parænesim dediſſet: *Ea lecta reſipuit, ac rurſus relictis facultatibus ac nuptiis, conſiliis Joannis aquieſcendo ſervatus eſt, & ad philoſophicam vitam reverſus*, verba ſunt ſupracitati Sozomeni, cui ſimilia narrat Socrates; ambo vero adnotant, Theodorum poſt converſionem ſuam Carterio, & Diodoro magiſtris, eam ſacrarum Litterarum peritiam adeptum fuiſſe, ut cunctis eſſet admirationi; quare, mortuo Olympio Mopſueſtiæ Epiſcopo, Theodorus eidem ſucceſſor eſt deſtinatus circa annum 391. Cum ſacris humaniſque excelleret litteris, innumera pene contra omnes hæreſes volumina edidit, & adverſus Arianum, & Eunomianum dogma quaſi in acie dimicans, *nec non latrocinium Appollinaris compeſcens*, ait Theodoretus; verum dum plus juſto ingenio ſuo indulget, in abſurdiſſimos errores lapſus eſt, ac Pelagianis & Neſtorianis viam monſtravit. De Neſtorianiſmo Theodori inferius ſermo fiet, de Pelagianiſmo vero tot argumenta occurrunt, ut dubitari non poſſit, eum præcipua Pelagianæ hæreſis capita docuiſſe, Adamum ſcilicet & Evam mortales factos, & ideo morituros ſive peccaſſent, ſive non peccaſſent. De origine hæreſis Pelagianæ agens Mercator in Commonitorio ad Pientium, ſeu Pintam Presbyterum: *Quæſtio*, ait, *contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipue in Cilicia a Theodoro quondam*

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 9.
Garner. in Marium diſſert. 1. cap. 2.
Sozom. lib. 8. 2.
Socrat. lib. 6. 3.
Theodor. hiſt. lib. 5. cap. 40. & ultimo.
Apud Garner. in Mar. pag. 30.

JESU CHR. AN. 417. *dam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni jamdudum mota, nunc uſque penes paucos eorum admodum occulte roditur, nec ea palam profertur, ſed ab ipſis, qui de ea cornicantur, velut catholicis intra eccleſias interim retinetur*; quod ſcilicet peccando Adam & Eva ſibi ſolis nocuiſſent, non vero hominum generi; eademque poſtea a Ruffino Siro, & Cœleſtio tradita fuiſſe ſubdit Marius Mercator. Cumque ab Hieronymo primum, deinde ab Auguſtino urgerentur Pelagiani, Theodori Mopſueſteni patrocinium implorarunt, qui ingenio ſuo, & ſcientia elatus, ceteros ſpernens, contra utroſque ſcribere non dubitavit, ac Hieronymi Dialogos adverſus Pelagianos nuper editos quinque libris confutavit, quorum hic erat titulus: *Contra aſſerentes peccare homines natura, non voluntate*. His vero Hieronymi Dialogos ſuppreſſo nomine Theodorum confutaſſe, ex Photii judicio arguit Noriſius, ac evidentiſſime probat. Ea vero Hieronymo ac catholicis objiciebat Theodorus, quæ Pelagiani Catholicis objicere ſolebant, quaſi traderent homines natura, non voluntate peccare; natura, inquam, non ea qua præditus ab initio, conditusque eſt Adam (illam enim bonam, & boni Dei opus aſſerunt), ſed ea, quam poſt peccatum adeptus ſit, quando per prævaricationem atque peccatum, malam pro bona, mortalemque pro immortali commutavit. Adverſus Auguſtinum quoque, Mario Mercatore teſte, ſtylum Theodorus acuit; ita enim idem in excerptis Theodori Mopſueſteni: *De ſecundo Codice, libro quarto, folio decimo, contra S. Auguſtinum deſcendentem originale peccatum, & Adam per tranſgreſſionem mortalem factum, catholice differentem*; quod opus recenſens Photius, eodem denotavit titulo, inquiens: lectum eſt opus Theodori Antiocheni, qui Mopſueſtenus Epiſcopus eſt, ut ex ejus quibuſdam epiſtolis colligimus, hoc titulo: *Contra aſſerentes homines peccare natura, non voluntate*, cujus opuſculi excerpta quatuor a Mario Mercatore confutata ſuperſunt, quibus Hieronymi Dialogos, & Auguſtini opuſcula contra Pelagianos edita confutat, & præcipua Pelagianorum placita tuetur, ut apud Noriſium, & Garnerium loco ſupracitato videre eſt; nunc ad alterum Pelagianorum Coriphæum oratio devolvitur.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 9.
Photii Cod. 177.
Apud Noriſ. p. 95. Garner. pag. 97.
Phot. Cod. 177.

De Juliani patria, moribus, & geſtis.

26. Quantavis eruditionis, doctrinæve laude Theodorus aliique Pelagianorum inclaruerint, ceteros tamen nominis ſui celebritate viciſſe Julianum nemo ignorat, itaut cum Auguſtinus

ſtinus ad debellandam Pelagianam hæreſim a Deo datus fuerit, ita hic ad eam tuendam fovendamque prodiiſſe viſus eſt, tanquam Goliath contra David pugnaturus, quippe qui ad ſingulare quodammodo certamen progreſſus, cum Auguſtino congredi non dubitavit, ut Auguſtini opus imperfectum contra Julianum ſatis ſuperque demonſtrat. De Juliani genere, vita, moribus, & ſtudiis nunc pauca præmittimus. Is nobili genere in Campania, ſeu potius in Apulia ortus, Memorem patrem habuit Capuanum Epiſcopum, ſeu Campanum, Julianam matrem; unde Marius Mercator ad eum: *Tu ne ſanctæ ac beatæ recordationis Memoris Epiſcopi filius? tu Julianæ primariæ fœminæ, & qua nihil honeſtius inter reverendiſſimas matronas invenias, utero editus?* In Apulia vero lucem eum vidiſſe teſtatur Auguſtinus, his verbis: *Neque enim quia te Apulia genuit: inde Pœnos vincendos exiſtimas gente, quos non potes mente.* Marius vero Mercator Attabulo provinciæ ſuæ vento inſuavi & peſtifero inflatum fuiſſe exprobrat. Attabulus vero ventus eſt peculiaris Apuliæ, unde Horatius:

JESU CHR. AN. 417.

Mar. cap. 4.

Horat. carm. lib.2. ſatyr.5.

Excipit ex illo montes Apuliæ notos
Oſtentare mihi, quos torret Attabulus.

Memorem patrem, filiumque ejus Julianum Auguſtino cariſſimos fuiſſe, & amicitia conjunctos, ejuſdem Auguſtini epiſtolæ teſtantur, quarum una, qua libros de Muſica a Memore petitos mittens, hæc de filio ejus Juliano tunc Diacono habet: *Nam ſuperiores quinque* (de Muſica libri) *vix filio noſtro & Condiacono Juliano, quoniam & ipſe jam nobiſcum commilitat, lectione & cognitione digni videbuntur. Quem quidem non audeo dicere, plus amo quam te, quia nec veraciter dicerem, ſed tamen audeo dicere plus deſidero quam te*; quem ut ad ſe in Africam mittat etiam atque etiam rogat; alibi vero de ſua in Memorem & Julianum caritate & amicitia: *Ego certe*, inquit, *beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam colloquio litterarum, teque ipſum mihi cariſſimum fecerat.* Duas quoque ſorores habuit Julianus, quarum cum ipſe poſt parentum obitum curam geſſiſſet, alteri labem quamdam pudoris injeciſſe Marius objicit: *Tu merito duas ſorores tuas talibus diſciplinis tui oris erudiſti. Novimus, novimus, quid tibi una earum, cum tu nimis*

Auguſt. epiſt. 101.

Lib. 1. contra Julian. cap. 4.

JESU CHR. AN. 417. *ſeverus, in ejus ruinam pudoris inſurgeres, objeceris, vel exprobraveris, atque tu mutus illico non auſus ulterius cenſuræ tuæ ullas dolori ejus inferre moleſtias*; graviora adhuc idem Marius Mercator exprobrat, quem nothum, & vernularum filium fuiſſe, fama vulgante, teſtatur, nam cum dixiſſet: *Tu ne Julianæ primariæ fœminæ utero editus*; *abſit, abſit*, ſubdit, *ut tibi iſtud credere auſim*; *vernularum eorum potius te crediderim filium, ſuppoſitumque illis, ut ſæpe dictum, factum*; quin tamen mendaci fama hæc in ejus execrationem vulgata fuerint, non dubitamus, quem a primæva ætate honeſtiſſime apud patrem educatum, ac ſacris humaniſque litteris Latinis & Græcis edoctum fuiſſe ſcimus; qui cum clericali poſtea militiæ nomen dediſſet, nobiliſſimam duxit uxorem nomine *Jam*, conſularis ac illuſtris Emilii filiam, tunc vero Beneventani Epiſcopi, Innocentii Pontificis Rom. olim legati ad Anycium Theſſalonicenſem, & ad Atticum CPolitanum Epiſcopum in Chryſoſtomi cauſa, qui Eudoxia jubente in carcerem truſus, ac poſt quadrimeſtre dimiſſus re infecta in Italiam redierat, ut in vita Chryſoſtomi narrant Surius & Bollandus. Juliani nuptias S. Paulini Epithalamium celeberrimas reddit, quo eos plurima edocet in matrimonio ſervanda, & utroque parente ſuperſtite, Julianum lectorem uxorem duxiſſe his verſibus teſtatur:

Die 27. Januarii. Paul. poema 24. pag. 602.

Clericus uxorem Chriſto comente decoram
Diligat, & pulchram lumine cordis amet,
Auxilioque viri divino munere factam,
Lector cæleſti diſcat ab hiſtoria,

A parentibus Epiſcopis nuptias fuiſſe conciliatas, his verſibus cecinit ſacer Poeta:

Inſula Pontifices divino jungit honore.

Deinde poſt pauca:

Chriſte Sacerdotes exaudi Chriſte precantes
Et pia vota ſacris annua ſupplicibus.

Neque novum videri debet, quod Juliani uxor Ja fuerit appellata, cujus nominis exemplum apud Terentium in Adelpho occur-

currit, ſed & Rom. martyrologio die quarta Auguſti ſancta Martyr nomine Ja recolitur, cujus templum vetuſtate collapſum reſtaurandum juſſit Juſtinianus. Nuptiarum Juliani non ſemel meminit Auguſtinus: *Tu enim qua impudentia pudendam negas?* (concupiſcentiam) Quando miſcebaris uxori, *quamvis nihil timendo uſui conceſſæ voluptatis inhiabas, ſecretum tamen erubeſcendo quærebas.*

Jesu Chr. an. 417.

Procop. de ædificat. Juſt. lib. 1. cap. 9.

Auguſt. op. imp. lib. 3. 79., & lib. adver. Julian. cap. 14.

27. Quo fato Juliani cum Ja matrimonium ſolutum fuerit, an uxoris obitu, vel mutuo continentiæ ſervandæ emiſſo voto, non conſtat; id tamen certum ab Innocentio Pontifice, uno aut altero ab hinc anno eum Epiſcopum ordinatum fuiſſe, quo vivente, nil pro Pelagianis tentaſſe auctor eſt Marius in commonitorio: *Prædicti Cæleſtius & Pelagius, non tunc primo a Sanctæ memoriæ Zoſimo videntur eſſe damnati, ſed ab ejus deceſſore Innocentio, a quo & Julianus fuerat ordinatus, quique poſt illorum damnationem uſque ad prædicti Innocentii exceſſum e vita in ejus communione permanens, & perſeverans in ſincera ſententia, & communicans damnatori prædictorum, ipſe quoque ſine dubio Pelagium, Cæleſtiumque damnavit.* Sub Zoſimo tamen eum Pelagianis illico conſenſiſſe, idem teſtatur Marius, quem etiam Romæ diſputantem ſe audiſſe narrat. *Meminimus*, inquit, *eo tempore, quo præſens in urbe Roma cum principibus hujus amentiſſimi erroris tui, in nonnullis ſimplicioribus eccleſiam ventilabas, qualiter interrogabas, unde eſſet peccatum, & quis ejus auctor &c.* Hinc cum Zoſimus anno proximo 418. Pelagianos damnaſſet, tanti Pontificis litteris in Orbem chriſtianum miſſis ſubſcribere Julianus recuſavit, ut idem Marius teſtatur: *Audi nunc*, ait, *& tu, qui me & te dignanter habuerint legere, quid contra hunc ſenſum tuum impiiſſimum, praviſſimum, impudentiſſimum, petulantiſſimumque, quæ olim ipſe prænunciaveris, in epiſtola videlicet tua, quam ad ſedem Apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti cum univerſa Eccleſia per totum orbem Pelagium Cæleſtiumque damnare, quæ antequam in manus illius Rom. eccleſiæ veniret Antiſtitis*, Zoſimi ſcilicet, *te agente, a nonnullis a te deceptis per totam pene Italiam circumlata eſt, & tanquam magnum aliquid, multorum auribus inſinuata cognoſcitur*; qua id ſaltem fatebatur per unum hominem, ſeu per Adam, mortem in hunc Mundum intraſſe, & per unum, ideſt, per Jeſum Chriſtum reſurrectionem mortuorum adveniſſe, quæ poſtea tempo-

Iulianus Epiſcopus ordinatus in hæreſim labitur.

Apud Garnerium cap. 3. pag. 18.

Garner. pag. 50.

Garner. pag. 46.

 ris

JESU CHR. AN. 417.

ris lapſu negata ab eo fuiſſe, cum totus ſe Pelagianis dediſſet, eidem paulo poſt exprobrat Marius. Harum epiſtolarum, quas ad Zoſimum dedit, idem meminit Julianus, ac binas etiam fuiſſe teſtatur: *Ad Zoſimum*, inquit, *quondam illius civitatis Epiſcopum ſuper his quæſtionibus binas epiſtolas deſtinavi eo tempore, quo adhuc libros exorſus non eram*. Epiſtolas autem hoc eodem anno, qui primus Pontificatus Zoſimi fuit, aut proximo, qui fuit ultimus (nam ſexdecim tantum menſibus eum Pontificatum tenuiſſe conſtat), dediſſe ſequitur, quo palam verbo & ſcriptis Pelagiana dogmata eum docuiſſe vero proximum eſt; atque ejuſdem vitæ ſeries uſque ad labentem annum hoc ordine diſtribuenda videtur; natus ſcilicet circa annum 386., cum annorum eſſet 18., lector eſt ordinatus anno 404. Quadriennio poſt matrimonium cum Ja iniit. Diaconus deinde, paulo poſt Epiſcopus ab Innocentio Pontifice anno 416. eſt ordinatus, atque ad labentem fere catholicus perſeveravit; hoc vero anno verbis primum & diſputationibus Romæ Pelagianam hæreſim docuit, anno ſequenti Zoſimi epiſtolis per orbem vulgatis contra Pelagium & Cœleſtium ſubſcribere recuſavit; atque in ſui excuſationem ad Zoſimum binas in eamdem rem dedit epiſtolas, cum nullos adhuc ſcripſiſſet libros.

Apud Auguſt. op. imp. lib. 1. 18.

Julianus contra Sanctum Auguſtinum ſcribit.

28. Tandem uno aut altero ab hinc anno, ſub Bonifacii Pontificis initiis, quatuor libros contra primum Auguſtini librum de nuptiis, & concupiſcentia vulgavit; quibus ut invidiam Auguſtino conflaret, probare niſus eſt, eum nuptias damnare, filios recens natos diaboli opus dicere, Deum hominum conditorem negare, liberum arbitrium tollere, ac fatum, malique naturam cum Manichæis adſtruere. Julianus econtra docebat ab infantibus nullam peccati originalis labem contrahi, concupiſcentiam bonam eſſe, neque ex malo ortam; miſerias vero, mortemque ipſam naturalem hominibus fuiſſe, ſive peccaſſet Adam, ſive non: quin eo dementiæ, vel temeritatis devenit, ut Honorii legem contra Pelagianos latam ſuæ ſectæ favere ſcriberet, quem ea de cauſa his verbis Auguſtinus irridet: *Verum ſi Dei legem, non ſicut ſe ſe habet, ſed ſicut vobis placet intelligitis, quid mirum, ſi & de lege Imperatoris hoc facitis*. Quæ vero quatuor his libris adverſus Auguſtinum Julianus congeſſit, eadem ex quinque Theodori Mopſueſteni libris adverſus Hieronymum & Auguſtinum ſcripta hauſiſſe patet, quæ ab Anniano Pelagiano, cum ex Oriente in Italiam rediit, accepiſ-

Lib. 3. cont. Julian. cap. 1.

cepiſſe credibile eſt. Primi autem Juliani tractatus contra librum Auguſtini de nuptiis & concupiſcentia ad Valerium Comitem dati fuere, quibus ita in Auguſtinum invehitur, ut eum Goliath, ſe vero Davidem dicat, atque etiam Virgilianis verſibus ad monomachiam excitet:

Oblato placuit componi fœdere bellum
Ut pugnas omnium contentio noſtra dirimeret:

Quatuor hoſce Juliani libros, ſex adverſus eum vulgatis confutavit Auguſtinus, contra quos octo aliis nimia loquacitate, ut ait Auguſtinus, conſcripſit Julianus, quibus totidem opponendos cenſuerat Auguſtinus, at ſex tantum abſolvit; hinc imperfectum opus adverſus Julianum dictum eſt, cum duos poſtremos, morte ſuperveniente, non abſolverit. Tanta porro temeritate pro Pelagiana hæreſi pugnavit Julianus, ut cum Pelagius Cœleſtiuſque Zoſimi ac Bonifacii Pontificum ſententia perterriti, Honorii vero Imperatoris juſſu proſcripti latitarent, ac fugerent, ipſe opem laturus, ſolus fere in aciem ſtaret, ac contra Auguſtinum minabundus infremeret: ſibi *tanto honeſtior, quanto durior tuendæ veritatis cauſa facta eſt, quia contra præcipites populos, & ſuis remediis infenſos, non multum valet veritas, orationque medicantium. Quid igitur?* ſubdit, *horum ne injuria receptui canere debebimus, & contumelias noſtras ulciſci ſilentio, ac de conſcientiæ portu aliorum videre naufragia? Verum contradicit huic odio primo benignitas, quam generi debemus humano, deinde ſpes & fides, quam habemus in Deum &c.* Hæc aliaque Julianus, cujus in Orientem peregrinationem, & geſta ſuo loco infra narrabimus.

Apud Auguſt. lib. 2. op. imp. cap. 10.

Cujus eccleſiæ Epiſcopus fuerit Julianus.

19. Reſtat, ut de eccleſia, quam uti Epiſcopus regendam ſuſceperat Julianus, pauca dicamus, cum in varias ea de re veteres recentioreſque ſcriptores ſententias abierint; ac quod de Homero inter Græcos poetarum Principe legitur, quem ſeptem urbes civem ſibi vindicabant, ita Juliano ſeptem aſſignari ſedes video, ajebat Noriſius. Poſtquam tamen in lucem Marius Mercator prodiit, Juliano coævus, & rerum ejus curioſiſſimus inveſtigator, & adverſarius, qui non ſemel Eclanenſis eum eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe tradit, in eam ceteri ſententiam eruditi abierunt; atque emendandos eſſe cenſent alios, qui vel Capuanum, aut Celanenſem, Catennenſem, Edanenſem, Attelenſem

Noriſ hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 18.

Jesu Chr. an. 418. lenſem Epiſcopum dixerunt. Erat porro Eclana urbs olim Epiſcopalis apud Harpinos inter Campaniam & Apuliam, viginti milliaribus a Benevento diſtans, nunc Frigentum dicta, ac Abellinenſi Epiſcopatui unita.

Oroſius hiſtoriam ſuam abſolvit, ac vulgat.

30. Quam impellente Auguſtino conſcribendam ſuſceperat hiſtoriam Oroſius, labenti anno abſolutam ac in ſeptem libros diſtributam vulgavit, eamque anno elapſo Theodoſio ſeptimum, & Palladio conſulibus edidiſſe narrat Marcellinus in Chronico, cum jam Attalus perduellionis pœnas dediſſet, cujus in hiſtoria meminit, ac uſque ad labentem annum eam perduxiſſe his verbis indicat: *Explicui adjuvante Chriſto ſecundum tuum præceptum, beatiſſime Pater Auguſtine, ab initio Mundi uſque in præſentem diem, hoc eſt, per annos quinque mille ſexcentos decem & octo*, Mundi ætatem juxta ſeptuaginta interpretes uſurpans, ut adnotavit Pagius. De egregio opere hæc Gennadius adnotat: *Oroſius Presbyter Hiſpani generis, vir eloquens, & Hiſtoriarum cognitor, ſcripſit adverſus querulos Chriſtiani nominis, qui dicunt defectum Rom. Reipublicæ Chriſti doctrina invectum, libros ſeptem*, & ſane omni hiſtoriarum genere referti ſunt. De aliis Oroſii adverſus Pelagianos geſtis, & ſcriptis alibi pro opportunitate mentionem faciemus.

Oroſ. lib. 7. cap. 42.

Pagius not. 23. ad an. 417.

JESU CHRISTI an. 418. Bonifacii Papæ I. Honorii Imp. 26. et 24. Theodosii jun. 17. et 11. Coss. Honorio Aug. X. et Theodosio Aug. VI.

Libellus Paulini diaconi ad Zoſimum Papam pro condemnatione Pelagii.

1. Cum litteris ſuis per Baſiliſcum Rom. eccleſiæ ſubdiaconum Africanos Epiſcopos de geſtis in cauſa Pelagii & Cœleſtii admonuiſſet Zoſimus, ac de eorumdem abſolutione, vel ſaltem ſententiæ ſuæ ſuſpenſione, uſque dum eorum pertinacia clarius innoteſceret, certiores reddidiſſet, ac Baſiliſcus die 2. Novembris conveniſſet Paulinum Mediolanenſis eccleſiæ Diaconum, qui anno 412. in Carthaginenſi ſynodo accuſatoris officio adverſus Pelagium functus fuerat, eumque admonuiſſet, ut ad proſequendam coram Apoſtolica ſede cauſam Pelagii atque Cœleſtii ſe ſiſteret, nec tunc temporis ad iter Italicum paratus eſſet, libellum Marcellino Carthaginenſi ſubdiacono Romam properanti deferendum dedit, ut in ſua ad Zoſimum epiſtola idem Paulinus teſtatur: *Oro beatum Apoſtolatum tuum, ut hunc meum libellum ſuſcipi jubeas, quo gratiam referam tantæ ſedi,*

Apud Coutan. p. 966.

ſedi, & ſententiis juſtiſſimis pro parte mea latis, quem idcirco direxi, quia me licet ſermone Baſiliſcus Subdiaconus a tua beatitudine cum geſtis ſedis Apoſtolicæ directis Carthagine convenit quarto nonas Novembris die, ut adeſſem ad Apoſtolicam ſedem, & tuæ judicio Sanctitatis &c. deinde: *Hunc libellum direxi beatitudini tuæ*, inquit, *per Marcellinum Subdiaconum eccleſiæ Carthaginenſis ſexto idus Novemb.* anni proximi 417. quem anni labentis initio accepiſſe Zoſimum credibile eſt. Paulini vero libellus Pelagii errores, fraudeſque in iis diſſimulandis detegit, gratiaſque Zoſimo agit, eo quod a Cœleſtio exegerat, ut Innocentii prædeceſſoris ſui adverſus Pelagianam hæreſim decretis ſubſcriberet, atque a Paulino objecta damnaret; unde poſtquam Romanæ eccleſiæ in hæreticis condemnandis vigorem laudavit: *Beatitudinis tuæ juſtitiam*, inquit, *obſecro Domine Zoſime Papa Venerabilis, nunquam fides veſtra turbatur, & maxime in eccleſia Apoſtolica, in qua pravæ fidei Doctores, ut deprehenduntur facile, ita veraciter puniuntur &c.*

Jesu Chr. an. 418.

Zoſimi epiſtola ad Aurel. Charth. Epiſc.

2. Africani vero Epiſcopi, cum Zoſimi Pontificis epiſtolam ad Aurelium, ceteroſque Africæ Epiſcopos anno proximo accepiſſent, aliquantulum conturbati, quod Zoſimus Pelagianorum fraude circumventus, poſt Innocentii ſententiam, Pelagii ac Cœleſtii cauſam retractandam ſuſcepiſſet; ne quid judicio præcipiti in ea cauſa ageretur, Zoſimi epiſtolis continuo reſpondendum cenſuerunt, obteſtantes roganteſque S. Pontificem, ne quidquam in ea cauſa ſtatueret, antequam ex Africa inſtrumenta mitterentur, ad Pelagianorum cauſam dignoſcendam neceſſaria, acta ſcilicet præcedentium ſynodorum, Paulini libellus, Herotis & Lazari epiſtolæ, nec non Pelagii de natura liber, ac Auguſtini confutatio, ſeu liber de natura & gratia. Hæc per Marcellinum Carthaginenſem Subdiaconum miſſa fuiſſe, & ipſius Zoſimi epiſtola ad Aurelium, ceteroſque, qui in ſynodo Carthaginenſi hac de cauſa congregata adfuerunt, patet. Qua S. Pontifex re attentius examinata, & inſtrumentis ex Africa ſibi miſſis perpenſis, Rom. eccleſiæ auctoritate in definiendis fidei morumque quæſtionibus commendata, *ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet*, Innocentii præceſſoris ſui geſta in Pelagianorum cauſa confirmanda cenſuit; quare: *Cum tantum nobis eſſet auctoritatis*, inquit, *ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia; nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultro litteris referremus; dantes hæc fraternitati, ut in com-*

Apud Coutan. pag. 974.

Jesu Chr. An. 418. *commune conſulentes, non quia quid deberet fieri neſciremus; aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret; ſed pariter vobiſcum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos, ſicut ipſi per litteras dicitis, fuerat accuſatus, & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocentem, non refugiens judicium, ex appellatione priſtina venerit ſedem, accuſatores ſuos ultro depoſcens, & quæ in ſe crimina per rumorem falſo dicebat illata condemnans*, quod etiam ſe per priores epiſtolas iiſdem intimasſe commemorat, ut culpæ ſibi non ſit tribuendum, ſi mitius cum Pelagio aut Cœleſtio egerit; nunc vero poſt acceptas eorum epiſtolas falſo ſe accuſari innuit, quaſi omnimodam Cœleſtio fidem adhibuerit, ac tandem, ſe eorum ſcripta attente legiſſe his verbis narrat: *Omne volumen volvimus, quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendiſtis textum, quaſi nos Cœleſtio commodaverimus in omnibus fidem, verbiſque ejus non diſcuſſis, ad omnem, ut ita dicam, ſyllabam præbuerimus aſſenſum. Numquam temere quæ ſunt diu tractanda finuntur, nec ſine magna deliberatione ſtatuendum eſt, quod ſummo debet diſceptari judicio. Idcirco noverit veſtra fraternitas, nihil nos poſt illas, quas ſuperius vel litteras veſtras accepimus immutaſſe, ſed in eodem cuncta reliquiſſe ſtatu, in quo dudum fuerant, cum hoc noſtris litteris veſtræ indicavimus ſanctitati, ut illa, quæ a vobis ad nos miſſa erat obteſtatio ſervaretur. Subſcripſi. Bene valete. Data XII. Kal. April. Honorio Aug. XII. conſule*, ideſt hoc anno.

De Africano ſeu Carthaginenſi concilio in cauſa Pelagianorum.

3. *Accepta* vero *tertio Kal. Majas* ibidem legitur, a concilio ſcilicet Carthaginenſi, quod plenarium, & univerſale Africæ dictum eſt, cui ducenti quatuordecim convenere Epiſcopi; unde Proſper in choronico ad hunc annum: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimus ſynodalia decreta perlata ſunt, quibus probatis per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

Proſp. contra collat. cap. 10.

Idem tamen Proſper contra Collatorem ſcribens, ducentos quatuordecim tantum Epiſcopos numerat: *Erraverunt*, inquit, de hac ſynodo agens, *ducenti quatuordecim Sacerdotes?* quare mendum in chronico irrepſiſſe, non eſt dubitandum; eumdemque numerum retinent acta ſynodi: *Honorio Aug. XII. Coſſ. Kal. Majis Carthagine in baſilica Fauſti, cum Aurelius Epiſcopus, ſimul cum Donatiano Teleptenſis primæ ſedis Epiſcopo provinciæ Bizacenæ, cum aliis ducentis tribus* (vel duobus) *Coepi-*

Labb. tom. 2. pag. 1576.

Coepiſcopis ſuis ex univerſis fere Africæ provinciis. Tanto numero in unum hoc anno convenere Africani Patres, ut graviori vulnere Pelagianam hæreſim percuterent, quam Romæ, alibique ex Zoſimi Pontificis epiſtolis inſoleſcere audierant; quare examinatis quamdiligentiſſime, quæ ad eam cauſam ſpectabant, Innocentii decretum adverſus Pelagianos editum plenis ſuffragiis confirmarunt, vulgatis etiam in eam cauſam nonnullis canonibus, quibus Pelagiana hæreſis nominatim confixa eſt; qui etſi Milevitanæ ſynodo a nonnullis inſcripti fuerint, quin tamen Carthaginenſi hujus anni inſcribendi ſint, non eſt dubitandum; quare binis Africæ conciliis Pelagium damnatum fuiſſe veriſſime ſcripſit Proſper:

JESU CHR. AN. 418.

Garner. in Mar. pag. 214. Noriſ. de hær. Pelag. lib. 1. cap. 13.

> *Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtra*
> *Exequeris ....*
> *Convenere tui de cunctis urbibus almi*
> *Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu*
> *Decernis, quod Roma probet, quod Regna ſequantur.*

Proſp. carm. de ingratis.

Africam deinde filicem ait, quæ:

> *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,*

oppreſſit, fulminaque procudit, quæ a Romano deinde Præſule jactata, validiori brachio gigantum ſuperbiam disjecerunt, quorum quidem *Dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat*, ait Proſper carmine de ingratis.

Apud Labb. tom. 2. concil. pag. 1664.

4 Canonum ſumma hæc eſt. 1. Quod Adam non ſit factus a Deo mortalis, ſed peccati pœna, non neceſſitate naturæ obiiſſe. 2. Parvulos in remiſſionem peccatorum baptizandos eſſe, eo quod cum originis peccato naſcantur. 3. Chriſti gratiam non ad ſolam peccatorum remiſſionem dari, ſed in adjutorium etiam, ne committantur. 4. Chriſti gratiam non ſolam tribuere ſcientiam, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, ſed etiam dilectionem, ut cognita ſancto amore faciamus. 5. Quod Chriſti gratia non ſolum bene agendi facilitatem tribuat, ſed etiam poſſibilitatem. 6. Non ſolum humiliter, ſed & veraciter quemlibet peccata ſua confiteri debere, ita ut ſi quis dixerit peccatum non habere, ipſe ſe ſeducat. 7. Unumquemque pro ſe ipſo etiam dicere debere:

Canones concilii Carth. adverſus Pelagianos.

JESU CHR. AN. 418.

I. Joan. I.

Cod. 53. pag. ex editione Schoti.

Dimitte nobis debita noſtra &c. Hic alium huic concilio canonem tribuit Photius, cujus in collectione conciliorum nulla fit mentio; eſt autem hujuſmodi: Damnat eos *qui affirmarent medio quodam loco Paradiſum inter & Inferos non baptizatos infantes beate vivere*; ad quem canonem ea fortaſſe ſpectant Auguſtini verba, cum ait: *Novellos hæreticos Pelagianos juſtiſſime conciliorum catholicorum, & ſedis Apoſtolicæ damnavit auctoritas, eo quod auſi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & ſalutis locum, etiam præter Regnum Cælorum*; quam ſane opinionem hoc eodem concilio damnatam fuiſſe non eſt improbabile, quia tamen de hujuſce canone in nullo latino conciliorum Codice occurrit verbum, in incerto relinquimus.

Auguſt. de orig. animæ lib. 2. cap. 12.

Alii ejuſdem concilii canones, ad diſciplinam ſpectantes.

5. His alii canones ad diſciplinam ſpectantes additi ſunt, quorum primo cautum eſt, ut quæ plenario concilio alias ſtatuta fuerant, ut Donatiſtarum ſcilicet eccleſiæ ad Epiſcopos Catholicos ejus loci, ubi unitas facta eſt, pertinerent. 2. Qua ratione Diœceſes ſive Cathedræ inter Epiſcopos catholicos, & eos, qui ex Donatiſtarum ſecta converterentur, dividendæ eſſent, multa decernit, ut ſcilicet pro æquali parte, & plebium conſenſu id fieret. 3. Si quis Epiſcopus ex hæreſi ad catholicam fidem Diœceſim aliquam converterit, eamque triennio poſſederit, ex ejus poſſeſſione ejici non poſſe cautum eſt. Si vero Epiſcopus Donatiſta ad catholicam fidem redierit, ex die converſionis ſuæ per triennium poteſtatem habeat repetendi loca, quæ ad cathedram ſuam pertinebant. 4. Si Epiſcopus, Epiſcoporum judicio contempto, locum ab alio retentum ſponte ſua, aut vi occupaverit, etiamſi Cathedræ ſuæ pertinere cenſuerit, omni jure cadat, & cauſæ jacturam faciat. 5. Qui loca aliqua ſuæ Dioeceſis lucrari neglexerit, a vicinioribus Epiſcopis moneatur, quod ſi poſt ſex menſes, hoc non effecerit, ejus erunt, qui ea poſſederint. 6. Ab electis judicibus appellatio negatur: quod ſi quis contumax inveniatur, niſi Primati admonenti paruerit, nullus Epiſcopus cum eo communicet. 7. Si Metropolitanus negligens fuerit in revocandis ad eccleſiam hæreticis, a comprovincialibus admoneatur; ſi intra ſex menſes muneri ſuo non ſatisfecerit Epiſcopus, donec emendetur, nullus cum eo communicet. 8. Quod ſi mentitus fuerit Epiſcopus dicendo, Donatiſtas communicaſſe, ſeu ad fidem rediiſſe, cum revera non communicaverint, Epiſcopatum amittat. 9. Presbyteri, Diaconi, ceterive inferiorum ordinum cle-

clerici, ſi a proprii Epiſcopi ſententia appellandum cenſuerint, ad Primatem, aut ad Africana concilia tantum appellent; qui ad tranſmarina putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur. 10. Si Epiſcopus, neceſſitate cogente, virginem ante annos 25. velaverit, non ei obſit quod concilio altero ſtatutum fuerat, ne ante id tempus virginitatis velum concederetur. Canone tandem ultimo, cum plurima adhuc tractanda eſſent, ne diutius ſuis ſedibus tot Epiſcopi abeſſent, placuit ut judices terni ex ſingulis provinciis eligerentur, ut ceteris abeuntibus, iidem reliqua tractarent; & electi ſunt ex provinciis ſingulis tres, inter quos ex provincia Numidiæ Alypius & Auguſtinus. Geſtis vero ſynodi, & epiſtolis cuncti ſubſcripſere in hæc verba: *Aurelius Epiſcopus eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi, ſimiliter & ceteri ſubſcripſerunt.*

JESU CHR. AN. 418.

6. Synodicam epiſtolam ad Zoſimum communibus ſuffragiis, & ſubſcriptionibus eoſdem Africanos patres miſiſſe auctor eſt S. Proſper, Caſſianum his compellans verbis: *Erraverunt ducenti quatuordecim ſacerdotes? qui in epiſtola, quam ſuis conſtitutionibus prætulerunt, ita apoſtolicæ ſedis Antiſtitem beatum Zoſimum ſunt allocuti: Conſtituimus in Pelagium atque Cæleſtium, per venerabilem Epiſcopum Innocentium, de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur, gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari, ita ut ſine illa, nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus*; quæ totidem fere verbis, canone quarto & quinto, in Carthaginenſi ſynodo definita fuerant. Interea cum Epiſcoporum pars maxima ad ſua rediiſſet, & ex quinque provinciis quindecim Epiſcopi Carthagine remanſiſſent, alteram ibidem ſynodum celebrarunt, ſeu potius omnium Conſacerdotum nomine quindecim electi, eamdem prorogarunt; hinc factum ut duas, treſve vel quatuor etiam Carthagine hoc anno ſynodos celebratas fuiſſe eruditiſſimi viri ſcribant, prima, ut ait Garnerius, ante quadrageſimam, altera Kal. Maii, tertia Junio ineunte, quarta demum ineunte Auguſto ex quindecim Epiſcopis; quin tamen tot multiplicentur uno eodemque anno, & loco ſynodi, multa obſtare videntur, duaſque tantum eas fuiſſe, variis quidem ſeſſionibus diſtinctas, vero fortaſſe propius erit. Multas

Synodica epiſt. Carth. concilii ad Zoſimum Papam.

Lib. contra collat. cap. 5.

Plures ſynodi Carthagin: hoc anno celebratæ.

Garner. in Mar. Merc. diſſert. 2 pagi 206. pag. 212. pag. 214. pag. 217.

Jesu Chr. an. 418.

tas tamen in Pelagianorum cauſa datas ad Africanos epiſtolas, acceptaſque fuiſſe res ipſa declarat, & Auguſtinus teſtatur: *Tot enim & tantis inter Apoſtolicam ſedem, & Afros Epiſcopos currentibus, & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis.*

Coutan. pag. 975. Auguſt. ad Bonif. lib. 2. cap. 3. tom. 10. pag. 433.

Zoſimi Papæ epiſt. tractoria contra Pelagianos.

7. Inter Zoſimi Papæ epiſtolas Pelagianorum cauſa ſcriptas ea præceteris celebrior eſt, quæ Tractoria ab Auguſtino, ſeu univerſalis ad omnes Epiſcopos data dicitur, qua Pelagianam hæreſim anathemate confixerat, quæ etſi perierit, fragmenta tamen plurima apud Auguſtinum, & Proſperum alioſque ſuperſunt, eamque cum Africani Patres in Carthaginenſi ſynodo congregati accepiſſent, gratias Zoſimo reddidiſſe auctor eſt Proſper: *Erraverunt Africani Epiſcopi ad eumdem Papam Zoſimum reſcribentes, eumque in ſententiæ hujus celebritate laudantes, cum ajunt: Illud vero quod in litteris tuis, quas ad univerſos curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: Nos tamen inſtinctu Dei &c.* omnia ſcilicet bona Deo, unde naſcuntur, eſſe referenda. Has Zoſimi epiſtolas non ſemel, & cum laude memorat Auguſtinus: *Quod Papæ Zoſimo de Africano concilio ſcriptum eſt; ejuſque reſcriptum ad univerſos totius Orbis Epiſcopos*; & alibi: *Poſt reſcripta Africani concilii cura fidelium patuerunt, quæ litteris ſuis, quas conſcripſit per Orbem perferendas, Papa Zoſimus execranda adtexuit*; & iterum ad Optatum ſcribens: *Exempla recentium litterarum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memorata ſede manarunt, ne forte ad veſtram ſanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti.*

Proſp. contra Collat. cap. 10. Epiſt. 215.

De pecc. Orig. cap. 21.

Epiſt. 190.

Zoſimus in Cœleſtium judicium reſtaurat & Pelagianos damnat.

8. Itaque Zoſimus Papa Africanorum Epiſcoporum exhortatione excitatus, adverſus Cœleſtium, ejuſque ſocios judicium reſtaurandum cenſuit, & ut ad judicium adeſſet admonuit. Cœleſtius tamen cauſa diffidens, non ſolum judicio non adfuit, ſed Roma aufugit, quare ſimulatione ejus detecta, Apoſtolica ſententia Pelagianos confixit; de quibus audiendus eſt Marius Mercator: *Epiſcopis vero ex Africa*, ubi Kal. Maii Carthagine convenerant, *reſcribentibus, omnemque cauſam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, miſſis etiam geſtis exinde quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo* (Cœleſtio) *confecta, vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiſerat* (Zoſimo anno 417.) *feſtinaret implere, ideſt, ut damnatis prædictis capitulis* (*quæ Paulinus ei objecerat*) *ſententia Afrorum, qua fuerat* (anno 412.) *communione privatus, abſolveretur, non ſolum non adfuit, ſed etiam*

Apud Garner. in Mar. pag. 7.

etiam ex memorata urbe profugit. Quare ut narrat Auguſtinus, cum ejus præſentia poſceretur, ſe judicio Cæleſtius ſubſtraxit; ob quam cauſam Pelagium, & Cæleſtium, niſi errores ſuos retractaverint, apertiſſime condemnavit. De utroque Zoſimi judicio, quorum primo Cæleſtio favere viſus eſt, & altero, quo ejus hæreſim condemnavit, hæc adnotat Auguſtinus: *Fefellit judicium Palæſtinum Cœleſtius; propterea ibi videtur eſſe purgatus. Romanam vero Eccleſiam, ubi eum eſſe notiſſimum ſcitis fallere uſquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit utcumque conatus; ſed (ut dixi) minime valuit. Recoluit enim beatiſſimus Papa Zoſimus, quid imitandus præceſſor ejus de ipſis ſenſerit Geſtis, Palæſtinis videlicet. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adverſus ejus errorem pro veritate Catholica ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat*. Et paulo poſt: *Cum venerabili Papa Zoſimo Synodus Africana reſpondit, quod veſtræ charitati cum cæteris inſtructionibus miſimus*. Hæc ad Albinum & Pinianum Auguſtinus. Zoſimi epiſtola per totum Orbem miſsa, quam *Tractoriam* Auguſtinus appellavit, periit; ejus tamen fragmenta plurima apud Marium, & Auguſtinum ſuperſunt, quæ apud Coutantium videri poſſunt pag. 994. & ſequentibus.

JESU CHR. AN. 418.

Auguſt. lib. 2. ad Bonifacium cap. 3.

Auguſt. de pecc. Orig. cap. 8.

9. Quo tempore Zoſimus in ſacro patrum Conciſtorio, ſeu Rom. concilio Cæleſtium & Pelagium damnavit, adverſus Pelagianos Sixtus tunc presbyter, deinde poſt Bonifacium, & Cæleſtinum Zoſimi ſucceſsor, in Pelagianos validius pugnavit, quos primus anathemate confixit, idque eo gratius Auguſtino fuit, quod eum ſibi favere Pelagiani vulgaverant: *Cum fama jactaret te inimicis Chriſtianæ gratiæ favere, ut hæc triſtitia de noſtris cordibus tergeretur, primo te priorem anathema eis in populo frequentiſſimo pronunciaſſe, eadem fama non tacuit. Deinde cum litteris Apoſtolicæ ſedis*, ideſt Zoſimi, *de illorum damnatione in Africam miſſis, tuæ quoque litteræ ad venerabilem ſenem Aurelium conſecutæ ſunt, quæ tametſi breves erant, tuum tamen vigorem adverſus eorum errorem ſatis indicabant. Nunc vero cum apertius & latius, quid de illo dogmate contraque ſentires in litteris tuis fides ipſa nobiſcum Rom. eccleſiæ loqueretur, ... non ſolum illud omne triſtitiæ nubilum fugit de cordibus noſtris, ſed etiam tantum ibi lætitiæ lumen infulſit, ut nihil egiſſe in nobis videretur ille mœror & timor, niſi ſucceſſurorum ampliorem flagrantiam gaudiorum*. Hæc alia-

Sixtus Rom. presbyter Pelagianos præceteris execratur.

Auguſt. epiſt. 191.

Epiſt. 191.

JESU CHR. AN. 418.

aliaque Auguſtinus, qui epiſtola altera non ſolum, quod divinæ Gratiæ defenſionem ſuſcepiſſet, gratulatur, ſed & ut in opere perſeveret hortatur; ac tum Zoſimi, cum Sixti presbyteri epiſtolas Leonem Acolythum in Africam detuliſſe narrat.

Pelagii ſocii Romæ, excommunicati adComitatum pergunt.

10. Non defuerunt tamen in Romano clero qui Pelagii hæreſim tuerentur, quos Zoſimus Papa una cum hæreſis auctore excommunicavit; quare S. Pontifici rebelles facti, Ravennam profugi ad Imperatorem Honorium querelas detulerunt. At ab eis, datis epiſtolis ad Presbyteros & Diaconos, abſtinendum eſſe Zoſimus monuit: *Ex relatione fratris noſtri Archidami presbyteri, qualiter ſuſcepti ſitis, vel quid egeritis, cognovimus, vel qualiter ipſi ſuſcepti ſunt, qui contra canones adverſum nos ad Comitatum, neſcio qua audentes temeritate, ire voluerunt. Ad quos hæc, quæ nunc miſimus, olim ſcripta feceramus, eorum quas injurioſe miſerant reſpondentes epiſtolis. Sed quoniam non potuerunt rei in ſua, hoc eſt in noſtra eccleſia Romana, cum noſtris compresbyteris commorari, has ad vos illis tradendas litteras deſtinavimus, in quibus decreto noſtro ſancimus, memoratos perturbatores omnino ab Apoſtolicæ noſtræ ſedis communione alienos fuiſſe, atque noſtra ſubſcriptione prolatam ſententiam ſuſcepiſſe*, parique animadverſione eos plectendos cenſet, qui iiſdem aſſenſum præbere, vel eorum ſocietati ſe adjungere præſumpſerint, quas epiſtolas quinto nonas Octob. labentis anni dediſſe, duodecimus Honorii, & Theodoſii octavus conſulatus indicat.

Apud Coutan. pag. 980.

Conſtantius a Pelagianis interfectus.

11. Romæ vero tantus Pelagianorum furor fuit, ut turbas excitarent, & homicidia patrarent; quorum temeritatem cum pro officii ſui munere coercere voluerit Conſtantius vicaria Urbis Præfectura ornatus, ab iiſdem occiſus eſt. *Hoc tempore*, do verba Proſperi in Chronico ad hunc annum, *Conſtantius ſervus Chriſti ex Vicario Romæ, & pro Gratia Dei Pelagianis reſiſtens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum ſanctis Confeſſoribus ſociarunt*, qua de cauſa Martyrologio Romano ejus memoria die 30. Novemb. recolitur, quem etiam Palladius in hiſtoria Lauſiaca, una cum Macario, & Pammachio hoc exornat elogio: *Conſtantius quoque Aſſeſſor Præfectorum Italiæ, inſignis viri & eruditiſſimi, qui pervenerunt ad ſummum pietatis & religionis.*

Pallad. hiſt. Lauſ. cap. 121.

Honorii Imp. reſcriptum adverſus Pelagianos.

12. Poſt latam adverſus Pelagium & Cæleſtium excommunicationis ſententiam, ut temporali quoque pœna ſubjicerentur

tur, cum Honorio Imperatore egit Zoſimus Pontifex. Imperator vero, ob turbas etiam a Pelagianis tum Romæ, cum alibi excitatas, dato reſcripto pridie Kal. Maii Ravennæ ad Palladium Præfectum Prætorii, eoſdem una cum ſociis Urbe pellendos juſſit, poſt multa in eorum deteſtationem addita, ſacratiſſimam Urbem eorum diſputationibus, & factionibus diviſam, turbatamque fuiſſe commemorans. Ob quam rem Cæleſtium æque ac Pelagium una cum ejuſdem factionis ſociis, ſive clericis ſive laicis, exilio plectendos eſſe jubet, *ne ſcientiæ fortaſſe diſſimulatio paſſum præſtet errori, atque impune ſe quiſque putet audire, quod condemnatum vigore publico ſe ſe finxerit ignorare*. Imperatoris reſcripto accepto, Palladius ſuo, & Monaxii, & Agricolæ nomine, hoc vulgarunt edictum, quod cum ad annum 420. alligaverit Baronius, labenti reſtituendum eſſe Norisius aliique cenſent. *In Pelagium atque Cæleſtium catholici dogmatis fidem ſævis tractatibus deſtruentes, ſententia principalis invaluit, ut venerabili Urbe ſubmoti, bonorum Concilio mulctarentur &c.* Ceteri vero ſive plebeii, aut clerici ejuſdem hæreſis participes, facultatum publicatione nudati, eidem exilii pœnæ ſubjiciuntur; Palladii autem, Monaxii, & Agricolæ nomine vulgatum fuit edictum, ut trium Præfectorum Prætorii auctoritate ſubſcriptum ubique vigeret. Palladius quippe Italiæ, Monaxius Orientis, Agricola Galliarum Prætorio Præfecti hoc anno fuerunt, ut ex ſubſcriptionibus legum, quas hoc anno Honorius vulgavit, conſtat. Cumque Honorii legem a Præfectis prætorio vulgatam ſibi favere Julianus ſomniaret, Auguſtinus ad eum dicebat: *Sane, ut dicis, ſi pro vobis potius ab Imperatore reſponſum eſt, cur non in medium proſilitis, & hoc ultro publicis poteſtatibus allegatis vos eſſe monſtrantes, quorum Chriſtianus Princeps approbavit fidem?* De hac Pelagianorum condemnatione ab Eccleſiaſtica, & Imperiali auctoritate, audiendus eſt Auguſtinus ad Pinianum hæc ſcribens: *Profecto ſentitis in tam nefandi erroris auctores, Epiſcopalia concilia, & Apoſtolicam ſedem, univerſamque Romanam eccleſiam, Romanumque Imperium, quod Deo propitio chriſtianum eſt, rectiſſime fuiſſe commotum, donec reſipiſcant a diaboli laqueis.*

Palladii edictum adverſus Pelagianos.

Norıſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 13.

Auguſt. contra Julian. lib. 3. 1.

Lib. 2. pecc. orig. cap. 17.

13. Eccleſiæ Principumque jaculis confoſſi Pelagiani, ac Zoſimi Pontificis Tractoria epiſtola, qua Cæleſtius & Pelagius damnati ſunt, *CPolim, & per totum orbem miſſa*, ut ait Marius Mercator, & *ſubſcriptionibus Sanctorum Patrum*, ideſt Epiſco-

Juliani ſcripta pro Pelagianorum defenſione.

ſcoporum omnium, *roborata*, *Julianus & reliqui complices ejus ſubſcribere detrectantes*, *non ſolum Imperialibus*, *ſed & Sacerdotalibus ſtatutis depoſiti atque exauctorati, ex omni Italia deturbati ſunt*; quorum aliqui paulo poſt reſipiſcentes, & ab eo errore correcti, Sedem Apoſtolicam ſuppliciter adeuntes, ſuſcepti, ſuiſque eccleſiis ſunt reſtituti; at Julianus ceterique in errore perſeverantes, hæreticorum more, & Orbem querelis impleverunt, atque calumnias plurimas in Zoſimum, in Auguſtinum, alioſque hæreſis ſuæ propugnatores ſparſerunt. Præceteris Julianus, ejuſdem ſectæ anteſignanus, epiſtolam quamdam ſuam per Italiam vulgari curavit, antequam Zoſimo Papæ traderetur, qua mortem in homines tranſiiſſe negabat: *Audi nunc & tu*, inquiebat Marius, *quid olim ipſe pronunciaveris in epiſtola videlicet tua*; *quam ad ſedem apoſtolicam illo tempore auſus es mittere*, *quando conventus detrectaſti cum univerſa Eccleſia per totum Orbem Pelagium & Cæleſtium damnare*, *quæ antequam in manus illius ſanctæ Rom. eccleſiæ veniret Antiſtitis*, *te agente*, *a nonnullis a te deceptis*, *per totam pene Italiam circumlata*, *& tanquam magnum aliquod multorum auribus inſinuata cognoſcitur*, ut iis artibus, ſi fieri potuiſſet, aliis in errorem pertractis, augeret, firmaretque Pelagianam ſectam, quam apertius in libello fidei expoſuit, quam fecerat ad Zoſimum Pontificem ſcribens, ut pluribus proſequitur Garnerius in notis ad eum locum. Cum vero Auguſtini nomen inſertum legeretur, Zoſimi nomen ſubſtituit Garnerius. At Auguſtini retinendum eſſe, cum Noriſio adnotat Pagius not. 60. ad an. Bar. 418. Hic autem Auguſtinus ab Hipponenſi diſtinguendus eſt, nam Aquilejenſis Epiſcopus hic erat, qui poſt Chromatium hoc tempore eam adminiſtrabat eccleſiam, ut libro decimo rerum Forojulienſium prodit Henricus Palladius. Porro fidei ſuæ libellum, non Romano tantum Præſuli obtuliſſe Julianum, ceteroſque Epiſcopos Pelagianos veroſimile eſt, ſed ceteris etiam Patriarchis, vel primarum ſedium Epiſcopis; hinc nil mirum ad Auguſtinum Aquilejenſem eum inſcriptum fuiſſe. Juliani autem libellus quatuor partibus conſtabat, quarum prima de Trinitatis & Incarnationis myſterio confeſſionem continet, ſecunda de gratia Dei, deque libero hominis arbitrio, de nuptiarum inſtitutione, ibique originale peccatum negatur: *Renuimus*, inquit, *naturale peccatum*, *vel ſi quo alio vocabulo nuncupatur*; tertia parte hæreſes condemnantur Arianorum

Mar. Mercat. ſubnot. in ſcripta Juliani, Garner. pag. 46.

rum ſcilicet, Sabellianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Apollinariſtarum, Novatianorum, Jovinianiſtarum, & Manichæorum. Cum hæreticis catholicos etiam recenſebant, eo quod originale peccatum tuerentur; hinc iterum: Manichæis ſimiles dicimus, *qui ſub aſſertione naturalis peccati aſſerunt nuptias ab auctore Diabolo extitiſſe, & illarum filios diabolicæ eſſe arboris fructus*. Quarta demum libelli parte, cur in abſentium condemnationem (Pelagii ſcilicet & Cæleſtii) ſubſcribere recuſaverint, rationem reddunt, atque, ne in ipſius reprehenſionem factum putet, Zoſimum admonent. *Certa ſit*, inquiunt, *Sanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ ſynodi provocaſſe*. Tandem detortum Chryſoſtomi teſtimonium proferunt, quo originale peccatum ab eo negatum fuiſſe contendebant.

14. Ad Ruſum quoque Theſſalonicenſem Epiſcopum idem Julianus communem cum plurimis Pelagianis epiſcopis epiſtolam ſcribens, adverſus Zoſimum, qui eum damnaverat, conqueſtus eſt, ac prævaricationis eum una cum Romano clero inſimulavit, quaſi *terrore perculſos non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem ſententiam ſuam* poſtea pronunciaſſent, malam hominum eſſe naturam; quorum calumnias pluribus confutat Auguſtinus, tum in libris contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem directis, cum in opere contra Julianum edito, quo inter cetera: *Quale eſt autem, quod beatæ memoriæ Zoſimum Apoſtolicæ ſedis Epiſcopum (ut in tua pravitate perſiſtas) prævaricationis accuſas? qui non receſſit a ſuo prædeceſſore Innocentio, quem tu nominare timuiſti, ſed maluiſti Zoſimum, quia egit primitus levius cum Cæleſtio; quoniam ſe in his ſenſibus veſtris, ſi quid diſpliceret, paratum eſſe dixerat corrigi, & Innocentii litteris conſenſurum eſſe promiſerat*. Alibi vero: Innocentii ſucceſſorem crimine prævaricationis accuſas; quia doctrinæ Apoſtolicæ, & ſui deceſſoris ſententiæ noluit refragari. Inſuper Eulalii ſchiſma, quod in Bonifacii ordinatione exarſit, ob Pelagianorum condemnationem, ac in prævaricationis pœnam excitatum fuiſſe, ſcribere non erubuit, cui propterea Auguſtinus: *Memento*, ait, *quemadmodum de conſtituendo Epiſcopo diſſenſionem populi Rom. inſultabundus objectas, & eam vocas ultionem Dei*. In Auguſtinum vero, utpote Pelagianorum infenſiſſimum fortiſſimumque hoſtem, ſtylum præcipue acuit; cu-

Pelagianorum querelæ & calumniæ adverſus catholicos.

Auguſt. ad Bonif. lib. 2. cap. 3.

Contra Julian. lib. 6. cap. 12.

Cont. Jul. lib. 6. 4.

JESU CHR. AN. 418.

cujus calumnias in ſeipſum, & Catholicos, quaſi ad Manichæiſmum rediiſſent, pluribus exuſlat.

Auguſtinus in Mauritaniam proficiſcitur.

15. Cum in ſynodo Carthaginenſi adhuc eſſet hoc anno Auguſtinus, cum Alypio, & Reſtituto Numidarum Epiſcopis legatione perfungens, Zoſimi Rom. Pontificis epiſtolas accepit, quibus ad nonnulla eccleſiaſtica negotia peragenda Cæſaream Mauritaniæ vocabatur: quare ad Optatum ſcribens hoc anno, *Litteræ*, inquit, *quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente, venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabile Papa Zoſimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo eccleſiaſtica neceſſitas traxerat*, quo & alios Epiſcopos una cum Auguſtino fuiſſe deſtinatos auctor eſt Poſſidius. Quid porro negotii id fuerit, cur illuc eos Zoſimus Epiſcopos deſtinaverit, hactenus ignoratur. De eadem peregrinatione in epiſtola altera ad Mercatorem agit, atque totam Mauritaniam ea occaſione luſtraſſe indicat: *Ut Carthagine non reſcriberem, non occaſio defuit perlatorum, ſed alia magis urgentia; inde digreſſi perreximus uſque ad Mauritaniam Cæſarienſem, quo nos eccleſiaſtica neceſſitas traxit, per quas totas terras, cum intentionem noſtram huc atque illuc, quæ ingerebantur ſenſibus diverſa raptarent*. Donatiſtarum autem cauſa eam peregrinationem, urgente Zoſimo, ſuſcepiſſe Auguſtinum, vero ſatis ſimile eſt.

Epiſt. 190.

Epiſt. 93.

Auguſtinus Cæſareæ cum Emerito Donatiſta diſputat.

16. Dum Cæſareæ eſſet Auguſtinus, cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo collationem habuit, præſentibus Deuterio Cæſarienſi catholicorum Epiſcopo, Alypio, Poſſidio, aliiſque peregrinationis Auguſtini ſociis, adſtante etiam Cæſarienſi clero, ac frequentiſſima plebe. Quid geſtum in ea collatione fuerit, acta a Notariis excepta teſtantur, quæ *glorioſiſſimis Impp. Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Duodecimo Kal. octob. Cæſareæ in eccleſia majori*, inſcripta leguntur; de quibus etiam alibi mentio fit, in libris ſcilicet contra Gaudentium. Exitum diſputationis paucis verbis complexus eſt Auguſtinus: *Adfuit maxima multitudo, nihil pro ſua, ſeu pro veſtra defenſione dicere potuit; communicare noluit, dilatus perſeveravit, convictus obmutuit, illæſus abſceſſit*. Ab ipſiſmet Donatiſtis, & conſanguineis ſuis ad diſputationem ineundam excitatus eſt Emeritus, qui pollicebantur, ut narrat Poſſidius, *ſe ad ejus redituros communionem, etiam cum diſcrimine patrimoniorum, ſalutiſque ſuæ temporalis, ſi modo catholicam ſuperaret aſſertionem*. Præſentem ſic compellat Auguſtinus: *Collationibus interfuiſti*,

Retract. lib. 2. 51.

Auguſt. tom. 9. de geſtis cum Emerito, & lib. 2. contra Gaudentium. Lib. 2. contra Gaudent. cap. 6. Poſſid. Auguſt. vita cap. 14.

ſti, ſi victus es, quare veniſti? Si autem te victum eſſe non putas, loquere, unde tibi victor eſſe videaris. Emeritus autem ſe non veritate victum, ſed poteſtate oppreſſum fuiſſe reſpondit; at Auguſtinus: Quare ergo veniſti? Reſpondit Emeritus: *Ut hoc dicerem quod requiris*. Cumque profundum ſilentium Emeritus ſervaret, præſentibus Auguſtinus: *Videtis, fratres, diu tacentem moneo, ut optatis reſipiſcentem, obſecro ne ſequamini pereuntem*, quod pluribus in ſermone poſt collationem habito Cæſarienſibus inſinuare conatus eſt; quo etiam, vel ipſo Emerito præſente, paradoxum ab eodem his verbis prolatum: *Non poſſum nolle quod vultis, ſed poſſum velle quod volo*, multis modis exagitat.

Jesu Chr. an. 418.

Tom. 9. pag. 617.

17. Donatiſtis Cæſarienſibus inutilem non fuiſſe hanc cum Emerito collationem, inde patet, quod Emeritus poſthac, nec alius quiſpiam Donatiſtarum auſus eſt adverſus Catholicos diſputare, licet Gaudentium Epiſcopum, inter Donatiſtas celeberrimum, ad reſpondendum Auguſtinus ſæpe invitaverit. Sed alia etiam de cauſa Cæſarienſibus perutilis fuit Auguſtini præſentia, cujus exhortatione, inſana quædam pugna ab iis ſingulis annis inita prorſus penituſque eradicata & extincta eſt; rem ipſam Auguſtini verbis narrabimus: *Cum apud Cæſaream Mauritaniæ populo diſſuaderem pugnam civilem, vel potius pluſquam civilem, quam catervam vocabant: neque enim Cives tantummodo, verum propinqui, & fratres, poſtremo parentes ac filii lapidibus inter ſe, in duas partes diviſi, per aliquot dies continuos certo tempore anni ſolemniter dimicabant, & quiſque (ut quemque poterat) occidebat*; ut inveteratum malum de cordibus, & moribus eorum avelleret, qua potuit dicendi gravitate, ut a tanto flagitio abſtinerent, admonuit, factumque eſt, ut acclamationibus ſe doceri, & delectari, lacrimis autem flecti indicarent; ita ut ab his impoſterum omnino ceſſarent; unde: *Ecce jam ferme octo, vel amplius anni ſunt, propitio Chriſto, ex quo illic nihil tale tentatum eſt*, ajebat Auguſtinus, qui toto ſui Epiſcopatus tempore varios in Eccleſia irrumpentes abuſus, aut ex Gentilibus retentos, verbo Dei extirpare non ceſſavit, ut ejuſdem ſermones de tempore fidem faciunt.

Auguſtinus pravum Cæſarienſium morem corrigit.

Auguſt. de doct. chriſt. lib. 4. 24.

18. Antequam Africa excedamus, de Zellenſi ſynodo nonnulla ſunt adnotanda, quam Teleptenſem poſt Baronium paſſim appellant conciliorum editores, cui Donatianus Teleptis in

De ſynodo Zellenſi.
Bar. an. 418. 31. Labb. tom.

Jesu Chr. an. 418.

in Bizacena provincia Epiſcopus præfuiſſe legitur; primæ etiam ſedis Epiſcopus dictus; ideſt inter provinciæ Epiſcopos ſenior; cujus hæc eſt inſcriptio: *Poſt Coſſ. Glorioſiſſimi Honori XI. & Conſtantii ſexto Kal. Martias, congregato in eccleſia Apoſtolorum concilio plebis Teleptenſis, Beatus pater primæ ſedis Epiſcopus Donatianus, civitatis Teleptenſis, cum reſediſſet, conſidentibus ſecum Januario, Felice &c.* cum aliis triginta Epiſcopis, quorum ibidem nomina leguntur, *nec non etiam Vincentio & Fortunatiano legatis provinciæ Proconſularis ad Bizacenum concilium directis & reliquis*; Vincentius & Fortunatianus dixerunt: *Cum eſſemus Tuſdrum ſicut mecum recolit memorialis auditio veſtra, & epiſtolas ſanctæ memoriæ Siricii*, ſedis Apoſtolicæ Epiſcopi, dederamus recitandas; atque ut iterum recitarentur, juſſerunt Epiſcopi, *ut noverimus quid earum textus contineat*. Privatus vero notarius dixit: *Exemplum Tractoriæ Epiſcopi urbis Romæ*. Lecta eſt Siricii epiſtola ad Epiſcopos Africæ data, *Januarii poſt Coſſ. Arcadii Aug. & Bautonis*, ideſt anno 386., qua epiſtola canones aliquot ab eodem Pontifice in concilio Rom: una cum Epiſcopis octoginta vulgati fuerant, ac Afris Epiſcopis miſſi, quorum ſummam loco ſuo ſupra recitavimus, ad annum 386., unde plura addere non juvat. Hujus Synodi, & canonum in ea editorum non uno loco meminit Ferrandus in ſuo canonum breviario articulo 6. capite 130. 138. & 174. Non defuerunt viri docti, qui hanc Zellenſem ſynodum, ac Siricii epiſtolam, cujus in ſynodo mentio facta eſt, tanquam commentitias habuere; leviſſimis tamen conjecturis innixos in eam eos tranſiiſſe ſententiam, eruditiſſimi viri demonſtrarunt, Schelestratus ſcilicet, Coutantius, Natalis Alex. Quare ne in re explorata diutius immoremur, plura non addimus.

Apud Coutan. pag. 651.

Queſnell. diſſert. 15. in op. S. Leonis. Dupin. ſecul. 5. pag. 90. Schelest. diſſert. 3. de eccleſ. Afric. cap. 12. Nat. Alex. ſecul. 5. part. 1. cap. 4.

19. Interea cum Zoſimus relatione aut fama accepiſſet Epiſcopos in Africa in judicium paſſim vocari a laicis hominibus, ne id inpoſterum fieret, utpote Eccleſiæ canonibus contrarium, Bizacenos Epiſcopos admonuit. *Miror vos*, inquit, *nullam reverentiam noſtri nominis præſtare faſtigio, nec honorem epiſcopatui talem deferre, qualis debet ab iis ſervari, quorum hic honor eſt. Judicaturi laici de epiſcopis ſedent, & hoc veſtram dicitis eſſe concilium, ubi non ſacerdos laicum, ſed laicus permiſſione veſtra judicaturus intereſt ſacerdotem*. Poſt aliqua: *Adde quod telonariorum ſive temonariorum etiam nomen inſe-*

Coutan. pag. 643.

Zoſimi epiſtola ad Epiſ. Bizacenos. Laici Epiſcopos non judicent.

Coutan. pag. 584.

inſeritur, *& judicium in epiſcopum ab hac congregatione colligitur*. *Telonarii* autem, ſive *Temonarii*, quos Epiſcoporum judicio adfuiſſe narrat Zoſimus, ii denotantur qui ſordidas exercebant artes, ii præcipue, qui vectigalibus præerant, ut ex Codice Theodoſiano lib. 6. tit. 4. leg. 21. & lib. 7. tit. 18. leg. 3. & lib. 6. tit. 26. leg. 14. conſtat; hinc ſubdit Zoſimus: *Sedent publicani homines*, *& auditur Epiſcopus*, *&c.* quod ſane utpote irreligioſum & eccleſiaſtico ordini injurioſum, ne ultra fieret copioſe graviterque monet; data legitur XVI. Kal. Decemb., ſeu die 16. Novemb. Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. ideſt hoc anno, quo etiam anno de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem, & de clericorum cauſis a vicinioribus Epiſcopis retractandis, ad eoſdem Africanos Epiſcopos alteram dedit epiſtolam, qua Sardicenſem canonem ſub nomine Nicænæ ſynodi inſeruit, de quibus anno ſequenti in Carthaginenſi concilio actum eſt, cum de Appiarii cauſa, & appellationibus Epiſcoporum, & clericorum cotroverſia agitaretur.

Coutan. pag. 981.

Zoſimi Papæ obitus.

20. Interea his in Pelagianorum condemnatione, aliiſque ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam præclare geſtis, brevem Pontificatum anni unius, menſium novem, cum diebus aliquot, Zoſimus illuſtravit, ac die 26. Decembris occubuit, ut ex Symmachi relatione ſcimus, ſepultuſque eſt die eadem ut ait Anaſtaſius, *juxta corpus B. Laurentii Martyris via Tiburtina*, qui etiam, eodem Anaſtaſio teſte, conſtituit, *ut Diacones lævas tectas de pallis linoſtinis haberent*, *ut per parochias licentia eſſet benedicendi cereum Paſchalem*, *ut nullis clericis poculum in publico propinaretur*, *niſi tantum in cellis fidelium maxime clericorum*.

De electione Bonifacii, & Schiſmate Eulalii.

21. Poſt Zoſimi obitum, unica tantum die Romana vacavit ſedes, die etenim Decemb. 28. convenientibus in eccleſia Theodoræ Presbyteris, Bonifacius electus eſt, ac die ſequenti, quæ in Dominicam cadebat, ordinatus in eccleſia S. Marcelli, plaudente univerſo fere clero, ideſt cum presbyteris ſeptuaginta circiter, ac novem Epiſcopis. Eodem tamen tempore Eulalius Archidiaconus Rom. Eccleſiæ ſchiſma faciens cum Diaconis aliquot, pauciſque ſuæ factionis presbyteris, Lateranenſem eccleſiam invaſit, in qua die 29. Decembris ab Oſtienſi Epiſcopo ordinatus eſt. Quare cum non ſolum Eccleſiæ pax, ſed & Urbs ipſa ob Eulalii ſchiſmaticam ordinationem con-

Jesu Chr. an. 418.

conturbaretur, Symmachus urbis Præfectus ad Honorium Imperatorem relationem miſit, qua ſe Eulalii partibus faviſſe aperte indicat.

Relatio Symmachi ad Honorium Imp.

22. *Quæcumque in urbe geruntur, me tacere non convenit pro debito famulatus, quem Majeſtati veſtræ ſemper exhibeo. Cum diu Epiſcopus Zoſimus gravi incommodo laboraret, uſque adeo ut frequenter mortuus jactaretur, accidit ut ſecundo die poſt ingreſſum meum vita decederet. Statim (ut convenerat) populum alloquendo commonui, ut cum quieto clericorum tractatu omnia finirentur, nec ſe rebus diſponendis miſceret turbatio popularis; ſiquidem certum eſſet in eligendo Epiſcopo, Dei omnipotentis expectandum eſſe judicium.* Poſt aliqua de Eulalio: *Verum cum vir ſanctus Eulalius ad Eccleſiam Lateranenſem de exequiis prioris Epiſcopi a populo, & a clericis fuiſſet adductus, ibi per biduum cum maxima multitudine, & cum pluribus ſacerdotibus remoratus eſt, ut expectaretur dies conſuetus, quo poſſet ſolemniter ordinari.* Inter hæc tamen presbyteri aliquot ad Theodoræ eccleſiam properantes, Bonifacium Epiſcopum ordinarunt, etſi eos ipſe cum Sereniano Tribuno, ne id agerent, admonuiſſet; ac ordinatum in eccleſia Marcelli ad Sancti Petri baſilicam ſolemniter deduxerunt, ait Simmachus in ſua relatione quarto Kal. Januarii ad Honorium miſſa; cujus relatione deceptus, Eulalii ordinationem præferendam, ac Bonifacium exilio multandum cenſuit Honorius; litteris tamen a Romano clero acceptis, ac de legitima Bonifacii ordinatione edoctus, prout chriſtianum decebat Imperatorem, ſubreptum de Bonifacio ejiciendo reſcriptum revocavit, ac utriuſque ordinationem ab Epiſcopis examinari præcepit, ut anno proximo adnotaturi ſumus.

Judæi militia excluſi.
Cod. Theod. tit. de Judeis leg. 24.

23. Ad hunc annum pertinet Honorii lex ſexto idus Martii data, qua Judæos Palatina exturbandos, ac ab armata militia repellendos eſſe juſſit; ita tamen, ut qui tunc Palatini, aut in rebus agentes erant, curſum explere poſſent. Advocationis etiam munere, eoſdem fungi, qui liberalibus inſtructi fuiſſent diſciplinis, permiſit, a muneribus tamen Armatæ aut Palatinæ militiæ perpetuo arcendos cenſuit; ne iis implicati, ad ceteras Imperii dignitates via pateret, non ſine Chriſtianorum aut ſcandalo, aut murmuratione; quare Rutilius Numerianus libro primo Itinerarii de Faleria agens, cui Judæus præerat, his verſibus lamentatur:

Atque

Atque utinam nunquam Judæa ſubacta eſſet
Pompeii bello, Imperioque Titi!
Latius exciſa peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos Natio victa premit.

Et ſane narrat Severus in epiſtola, qua de miraculis S. Stephani agit, & de converſione Judæorum inſulæ Minoricenſis, narrat, inquam, Magonæ inter Judæos Theodorum quemdam auctoritate & potentia ita fulſiſſe, ut non ſolum inter Judæos, ſed inter Chriſtianos etiam ejus oppidi, *honore ſeculi* præcipuus eſſet; ſiquidem apud Judæos legis Doctor habebatur; in oppido autem cunctis curiæ muneribus perfunctus fuerat.

Apud Bar. an. 418. n. 47.

24. Portentis quoque prodigiiſque memorabilem hunc annum fuiſſe hiſtorici narrant, inter cetera inſignem Solis eclypſim accidiſſe; ac varias calamitates ſecutas, quaſi eo portento prænunciatas referunt. Eclypſis diem auctor chron. Alex. *His Coſſ. Solis eclypſis accidit, menſe Julio XIV. Kal. Auguſti, die Veneris hora octava.*

Solis eclypſis calamitates ſecutæ.

JESU CHRISTI AN. 419. BONIFACII PAPÆ 2.
HONORII IMP. 27. ET 25. THEODOSII JUN. 18. ET 19.
COSS. MONAXIO, ET PLINTA.

1. Cum funeſtum Rom. eccleſiæ ſchiſma ob Bonifacii, & Eulalii ordinationem excitatum in dies firmaretur; atque clero populoque Romano inter ſe diviſo, non ſolum Eccleſia, ſed & Urbs ipſa contrariis factionibus ſcinderetur, non ſine cœdium, bellique civilis periculo; ut alias in Damaſi, & Urſicini ordinatione contigerat; Honorius Imp., Symmachi relatione accepta, qua Eulalii potiorem ordinationem fuiſſe ſcripſerat, ut anno proximo diximus, ut incendio fomes tolleretur, Bonifacium coercendum, ac ſi opus fuiſſet, exilio etiam plectendum, dato ad Symmachum reſcripto juſſerat, in eamdemque rem Aprodiſium Tribunum & Notarium Romam miſit, una cum litteris ſuis, ut Eulalii ordinationem tuerentur. Quare poſt plurima, quibus Eulalii ordinationem approbat: *Abſoluta*, inquit, *decernimus juſſione, extraordinaria præſumptione ſummota, Bonifacium interdicta confeſtim Urbe prohiberi (erit verecundiæ ejus, ut morem gerens cæleſtibus conſtitutis ſponte*

Honorii Imp. reſcriptum pro Eulalio.

Jesu Chr. *ſponte diſcedat) pertinacius reſiſtentem, invictum præcipimus*
an. 418. *expelli, Dat. III. Non. Januarii, Ravennæ.*

Relatio altera Symmachi ad Honorium de geſtis a Bonifacio, & Eulalio.

2. Hactenus Honorii epiſtola ad Symmachum, quæ ut Romæ accepta eſt, Bonifacium in baſilica S. Pauli commorantem ad ſe continuo vocavit Symmachus, eique Principis juſſa intimavit; at Symmachi miniſter ad id miſſus, a Bonifacii fautoribus verberatus eſt, indeque ejectus. Quamobrem Symmachus, ut in relatione altera ad Honorium miſſa teſtatur, habito cum Vicario Tribuno Sereniano concilio, urbis portas diu noctuque cuſtodiri juſſit, ne in eam Bonifacius ingrederetur: *Expectans*, inquit, *quid Pietas veſtra decernat, ut quies poſſit, quæ hactenus ſervata eſt, perdurare &c. data VI. idus Januarii.*

Libellus cleri Rom. ad Honorium pro Bonifacio.

3. Cum eo res eſſet, ut Eulalii Pſeudo-Pontificis ordinatio confirmanda videretur, e re ſua eſſe cenſuerunt Romanæ Eccleſiæ Presbyteri, qui Bonifacii ordinationi conſenſerant, libello Imperatorem adire, ut quæ utriuſque cauſa, ac ordinatio potior eſſet, certiorem redderent; eoque Bonifacium rite recteque ordinatum fuiſſe narrant, Eulalii vero ſchiſmaticam electionem, ac ordinationem fuiſſe demonſtrant. Quamobrem Imperatorem rogant, ut Eulalium æque, ac Bonifacium Ravennam vocet, ac per ſe ipſum de utriuſque electione, & ordinatione judicium proferat: quod prudenter factum fuiſſe teſtatur Baronius, eo quod Symmachum Eulalio ſtudere ex geſtis hactenus cognoviſſent. His itaque a clero Rom. acceptis litteris, reſcripto altero ad Symmachum urbis Præfectum dato, juſſit Honorius, ut Bonifacium & Eulalium *infra diem ſextum Iduum Febr.* una cum iis, qui utriuſque ordinationis auctores fuerant, Ravennam deducendos curaret. Bonifacium itaque & Eulalium admonuit Symmachus, ut una cum clericis ſuis Ravennam cauſam dicturi pergerent. Cumque eccleſiaſticas cauſas ab Epiſcopis judicandas eſſe apprime ſciret Imperator, Ravennam Epiſcopos plurimos convocaverat, quos edicto ſuo monitos voluit, eoſque admonuit, ne inter judices ſedere permitterent eos, qui alterutrius ordinationi interfuerant, & ut nullam reſcripti ſui, alias pro Eulalio ad Symmachum dati, rationem haberent; ſed integram cauſam Epiſcoporum judicio ſe commiſiſſe teſtatur. At cum inter ſe diſſiderent Epiſcopi; ac de Bonifacii, & Eulalii ordinatione dubii adhuc hærerent, ad Kal. Majas differendum eſſe judicium Honorius cenſuit, utroſ-

Honorii reſcriptum, quo Bonifacium & Eulalium ad ſe vocat.

Honorii reſcriptum ad Epiſcopos Ravennæ congregatos.

utroſque tamen, ut ab Urbis ingreſſu abſtinerent, admonuit.

Jesu Chr. an. 419.

Honorii epiſtola ad Achilleum.

4. Ne autem Paſchalia feſta abſque Epiſcopo Romani celebrarent, Achilleum Spoletinum Epiſcopum ad ſacra eo tempore obeunda illuc deſtinavit, ad quem has dedit litteras. *Quoniam de Rom. Sacerdotio propter anguſtiam temporis, quam dierum ſolemnitas fecit, quæ abeſſe Epiſcopos a ſuis Eccleſiis non ſinebat, dilatum conſtat eſſe judicium: recte noſtra Serenitas credidit ordinandum, ut Beatitudo tua, ad venerabilem Urbem congrua devotione feſtinet, quatenus S. Paſchæ dies, ea, quæ convenit, quiete, cum ſolemnitate conſueta populis repræſentes, nec conſuetudini obſit, quod differri Synodum multiplex neceſſitas fecit. Illud ſane in primis, ac præcipue commonemus, ne umquam ulla illorum mentio fiat, de quibus conſtat ſuſpenſos eſſe judicio*; hactenus Honorius ad Achilleum; ad Symmachum vero Præfectum Urbis, & ad Rom. Senatum alteras dedit epiſtolas, quibus ut Achilleum reciperent, ac uſque ad cauſæ definitionem quieti viverent, hortatus eſt, quas hoc loco exſcribere, ſicuti & alias in eam rem datas, longum eſſet, ac apud Baronium videri poſſunt.

Honorii reſcriptum ad Symmachum & ad Rom. Senatum.

5. Honorius interea chriſtianæ concordiæ ſtudioſiſſimus, ut tantam aliquando controverſiam dirimeret, pleniorem ſynodum Spoleti indixit, atque ex cunctis fere ſui Imperii provinciis Epiſcopos ad eam vocavit, inter eos Paulinum Nolanum, quem perhonorificis hiſce litteris invitavit Imperator: *Tanta fuit*, inquit, *apud nos certa ſententia, nihil ab his Sacerdotibus, qui ad Synodum convenerant, poſſe definiri, cum Beatitudo tua de corporis inæqualitate cauſata, itineris non potuit injuriam ſuſtinere*. Poſt aliqua: *Dilatum itaque judicium nunciamus, ut divina præcepta ex venerationis tuæ ore promantur, qui ea ſecutus impleſti, nec poteſt alius eorum præceptorum lator exſiſtere, quam qui dignus Apoſtolicis diſciplinis eſt approbatus. Specialiter itaque, Domine ſancte, merito venerabilis Pater, juſtus Dei famulus, divinum opus, contempto labore, tributum hoc nobis viſitationis tuæ (ſi ita dicendum eſt) munus indulge, ut poſtpoſitis omnibus, quantum temperantia & his tranquillitas ſuffragantur, Synodo profuturus, ſine intermiſſione etiam deſideriis noſtris, & benedictioni, quam cupimus, te præſtare digneris*.

Honorii Imp. epiſt. ad Paulinum.

Paulini vita pag. 93. edit. Murat.

6. Hæc ad Paulinum Honorius, qui ad Africanos Epiſcopos, & nominatim ad Aurelium Carthaginenſem, eadem de cauſa alteras dedit; ut intra diem Id: Juniarum ad Spoletinam

Honorii epiſt. ad Africanos Epiſc. & ad Aurelium.

JESU CHR. AN. 419.

tinam civitatem properarent, ut id quod veritas, & Religionis utilitas dictaverit, Deo pariter cunctorum mentibus inſpirante, ſententia dicetur: ad Aurelium vero: *Aliam quidem veniendi cauſam optaveramus eveniſſe, ut deſiderato benedictionis tuæ frueremur aſpectu: ſed quia adverſus Papam urbis Romæ ambitio reprehendenda certamen indixit, & ſanctam vitam in Epiſcopo æſtimat non requirendam &c. ... Quæſo itaque, Domine ſancte ac Pater venerabilis, ut duplex beneficium tribuatis, & deſideratæ nobis benedictionis tuæ, & neceſſarii pro habitudine judicii proferendi, intermiſſis omnibus (Dominum intuens) de ejus Sacerdote firmando labor veniendi non debet recuſari, præſtare dignetur.* Ad alios quoque per Africam aliaſque Provincias conſtitutos Epiſcopos litteras dediſſe Placidiam tertio Kal. Aprilis Auguſtino ſcilicet, Alypio, Evodio, Donatiano, Silvano, Novato, & Venerio, his verbis conſtat: *Quamvis ſacra Domini germani mei Auguſti Principis, ad Italiæ ſynodum evocans, auctoritas non negligenda provenerit, ſocianda ſpecialiter etiam Serenitatis noſtræ ſcripta judicamus, quibus &c.* Has quidem ab Honorio ſcriptas fuiſſe putavit Baronius, ac Germani Principis nomine, Conſtantium cognatum ſuum, ac Placidiæ maritum, deſignaſſe ſcribit; falſo tamen, nam nec Princeps dici poterat, utpote Imperio nondum ſociatus, nec germanus, ſed cognatus erat; quare quin a Placidia Honorii ſorore eæ epiſtolæ ſcriptæ ſint, non dubitamus.

Eulalii temeritate ſynodus diſſolvitur.

7. At Eulalii temeritas in cauſa fuit, ut ante ſynodum cauſa finiretur, ac Epiſcopi ab itineris labore, & fatigatione liberarentur; nam cum Honorius juſſiſſet, ut Bonifacius, ac Eulalius, uſque ad ſynodi ſententiam Urbe abſtinerent; ac Achilleum Spoletinum Epiſcopum ad ſacra peragenda in Paſchalibus feſtis Romam miſiſſet, Eulalius, Imperatoris poſthabita juſſione, *quintodecimo Kal Aprilis*, ut ait Symmachus in relatione, *Urbem meridianis horis ingreſſus eſt*, qua etiam die Achilleus Spoletinus illuc pervenerat, Paſchalem ſolemnitatem cum populo celebraturus; quare exorta ſeditione, cum ad Forum telis & ferro armata plebs conveniſſet, Symmachus, convocatis proceribus, pro quiete Urbis procuranda proceſſit ad forum Veſpaſiani; cumque Symmachus & Vicarius Urbis perurgente populo ingreſſi fuiſſent, ea plebis fuit commotio, ut Eulalianæ partis fautores, telis, ſaxis, ac ferro etiam armati, populum ac Symmachum & Vicarium aggreſſi, *niſi ad libe-*

liberandum nos Divinitas affuiſſet, egreſſique per ſecretiorem partem, iſtam ſaxorum, & impetum conſpirantis multitudinis vitaremus, minime potuiſſemus evadere, quorum majorem partem ex ſervis conſtat fuiſſe, ex quibus aliquanti agniti atque tenti ſunt audiendi &c. quare Imperatorem rogat Symmachus, ut quid agere debeat, ſe faciat certiorem. Is vero Symmacho reſcribens, Vitulum Cancellarium ſuum ſe miſiſſe narrat, *ut certa poſſimus quæque cognoſcere, & factionum auctores fideli nuncio, & inſpectore non lateant.*

JESU CHR. AN. 419.

Honorii reſcriptum contra Eulalium.

8. Ut hæc Symmachi relatione audivit Honorius, Eulalium Urbe ejici, ac in ceteros ſeditionis auctores pro conditione animadverteret, ſeptimo Kal. Aprilis Symmacho reſcribens juſſit. Inter cetera: *Sublimitas tua, & ſalubris ſuperior ordo præcepti, & moderata Synodi ordinatio deberet cuſtodiri, quod aliter fieri non poſſe cenſemus, niſi Eulalius omnimode urgeatur: ut omni celeritate ab Urbe diſcedens, inſolenti populo præſens incitamenta non præbeat, nec innocentibus cauſa mortis exſiſtat, cui eſſe dubium non debebat, ſi in hac præſumptionis obſtinatione duraverit, non ſolum de ſtatu ſuo judicium jam prolatum, verum etiam de ſalutis diſcrimine proferendum, culpæ enim nullam veniam jam meretur, quam, cum prædicitur, non cavetur.* Clericos vero vel laicos, qui Eulalii cauſa turbas excitare, aut in ejuſdem communione perſeverare voluiſſent, pro varia eorum conditione, aut culpa, debita plectendos pœna jubet; ac in ſanctis Paſchæ diebus ſpoletino tantum Epiſcopo Lateranenſem baſilicam ad celebranda divina myſteria patere voluit, ac tandem poſt plurima: *Sciat ſane Sublimitas tua, Primiſcrinium, & reliquum officium, quod tuis actibus obſecundat, non ſolum graviſſimæ mulctæ diſpendiis affligendum, ſed & ſupplicium capitis ſortiturum, niſi enixa opera commodata, ſtatutis clementiæ noſtræ præbere maturarit effectum. Dat. VIII. Kal. Aprilis, Ravennæ.*

Eulalius urbe ejicitur.

9. His tamen nequaquam ceſſit Eulalii contumacia, quin perfidiæ obſtinationem addens, nec Urbe exceſſit, & Lateranenſem Baſilicam collecta multitudine invaſit. Unde Conſtantio ſcribens Symmachus: *Eulalius*, inquit, *ea obſtinatione, qua ſine præcepto ſacro Urbem ingreſſus eſt, etiam egredi conſtrictus per omnes poteſtates, pari pertinacia detrectavit*. Nam ſemel & iterum admonitus, ut egrederetur, non ſolum recuſavit, *ſed collecta multitudine Lateranenſem baſilicam auſu temerario*

Jesu Chr. an. 419.

credidit invadendam. Quare eum, vi adhibita, Urbe ejectum fuiſſe addit, deinde: *Mandatum etiam, ut vir religioſus, ſanctus Achilleus epiſcopus cum quiete quæ juſſa ſunt, illo ejecto, ſine ſtrepitu populi, pro ſanctorum dierum reverentia, celebraret. Nam ad cuſtodiam baſilicæ Lateranenſis apparitores appoſui, ne cui alii redderetur. Partis quoque Eulalii aliquanti capti clerici ſeditionis auctores, de quibus quid jubeatur expecto*. Quare Honorius his acceptis juxta Ravennatenſis ſynodi ſententiam, qua definitum fuerat, *ut ſciret ſe ſpecialiter damnatum, quicumque ad incitandum populum urbem fuiſſet ingreſſus*, Eulalium Pontificatum obtinendi ſpe excidiſſe ait, ac ut Bonifacium in Urbe admitteret; atque in Romana cathedra locandum curaret, juſſit, *dat III. nonas Aprilis*, acceptum vero *ſexto idus Aprilis*.

Alterum Honorii reſcriptum ad Symmachum.

Bonifacius Rom. ſedi reſtituitur.

10. Quanto autem populi Rom. plauſu, quantave cum lætitia exceptus fuerit Bonifacius, idem narrat Symmachus in altera ad Honorium relatione, qua poſt plurima: *Cum ſtatuta cæleſtia per me eſſent recitata populis, & edictis ex more poſitis publicata, tantus fervor & lætitia totius extitit civitatis, ut ſcilicet & religionem redditam, & præſtitam quietis ſecuritatem omnes gratulatione congrua teſtarentur &c.* Hæc Symmachus; eademque auctor de geſtis Rom. Pontificum, ſeu Anaſtaſius in Bonifacio: *Eulalius eo quod ordinatus fuiſſet in baſilica Conſtantiniana, & introivit in Urbem, & baptizavit, & celebravit Paſcha in baſilica Conſtantiniana: Bonifacius vero (ſicut conſuetudo erat) celebravit baptiſmum Paſchæ in baſilica ſanctæ Martyris Agnetis. Hoc audito Auguſti utrique miſerunt, & ejecerunt Eulalium; & miſſa auctoritate, revocaverunt Bonifacium, & conſtituerunt Epiſcopum: Eulalium vero miſerunt foras in Campaniam*.

Honorii reſcriptum ad Largum Proconſulem Africæ.

11. Interea extincto feliciter ſchiſmate, quod Rom. turbaverat Eccleſiam, cum ſynodo ultra opus non eſſet, ad Largum Africæ Proconſulem ſcribens Honorius juſſit, ut Epiſcopos admoneret, ne ſe loco moverent. *Admone igitur*, ait Imperator poſt plurima, *præmiſſis ſacris affatibus, auctoritate tua ſingulos ſacerdotes, ut ſciant hanc ordinationem eſſe ſervandam, quæ continet, ut quiſque in Eccleſia ſua orationibus vacet, ut convenit: propterea quod cauſa optimo judicio jam terminata videatur. Data ſub die VII. Idus Aprilis*, ubi vero hæc accepit Largus, ad Aurelium Carthaginenſem, ac ad reliquos

Largi epiſt. ad Aurelium.

per

per Africam Epiſcopos ſcribens, ne ab eccleſiis ſuis in Italiam navigaturi diſcederent, admonuit.

Jesu Chr. an. 419.

12. Bonifacius vero Papa vix in urbem reverſus, gravi morbo laboravit, eoque vix recreatus, cum fortaſſe timeret, ne Eulalio ſuperſtite, iterum recrudeſceret ſchiſma, qua potuit ratione conſulendum cenſuit, atque datis ad Honorium epiſtoſtolis, Imperatorem rogavit, ne Eccleſiam Rom. ab inquietis ambitioſiſque hominibus turbari permitteret; eamdem illi etiam atque etiam commendans, *ne in eam aliquos patiamini inſidiantium procellarum fluctus illidi & quietam faciem tempeſtatis inſolitæ rumore turbari &c.* Data eſt Bonifacii epiſtola Kal. Julii, quam etſi anno ſequenti ſcriptam fuiſſe cenſeat Conſtantius, hoc tamen loco ejuſdem mentionem fecimus, cum ad eam, quam agimus ſchiſmatis cauſam pertineat; Eulalius etenim apud Antium non longe ab Urbe agens, Bonifacii longa ætate, & mala valetudine debilitati exitum expectabat, ut iterum, ſi licuiſſet, Romanam invaderet ſedem; quem poſtea Nepeſinæ eccleſiæ Præfectum fuiſſe narrat auctor Pontificalis; quæ ideo ſollicitius cavenda cenſuit Bonifacius, iis ad Honorium Imp. datis epiſtolis, quibus perceptis, acceptiſſima ſibi hæc fuiſſe Honorius teſtatus eſt, cum Pontifice gratulatus, quod priſtinæ redditus fuerit ſanitati.

Bonifacii Rom. Pontif. epiſt. ad Honorium.

Coutan. pag. 1024.

Honorii epiſt. ad Bonifacium.

13. Ut ſe pacificum Rom. Eccleſiæ Pontificem vidit Bonifacius, omnem continuo ſollicitudinem in hæreticis ab Eccleſia ejiciendis adhibuit, atque in exauctoratione Maximi Valentini Epiſcopi, de Manichæorum hæreſi, aliiſque criminibus accuſati, primordia Pontificatus ſui illuſtravit, cujus extat epiſtola Idibus Junii hoc anno data ad Epiſcopos Galliæ, Patroclo ſcilicet, Remigio, Maximo, Hilario, Severo, Valerio, Juliano, Caſtorio, Leontio, Conſtantino, Joanni, Montano, Marino, Mauricio, & ceteris Epiſcopis per Gallias, & ſeptem provincias conſtitutis, qua epiſtola, quanta Maximi eſſent crimina, ex libello ſibi a Valentinæ civitatis clero oblato narrat; quem ideo judicium hactenus declinaſſe commemorat, quare: *Decrevimus*, inquit, *veſtrum debere intra provinciam eſſe judicium, & congregari ſynodum ante diem Kal. Novemb., ut ſi adeſſe voluerit, præſens ſi confidit, ad objecta reſpondeat, ſi vero adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur &c.* & poſt aliqua: *Quidquid autem veſtra caritas de hac cauſa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, no-*

Bonifacii epiſt. ad Epiſc. contra Maximum Valentinum Epiſc.

Jesu Chr. An. 419. *Baſnag. an. 419. n. 9.*

noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur. Miratur hoc loco Baſnagius: *Quid cauſæ fuit, cur Maximi negotium ad Pontificem Rom. referretur? quaſi non ſatis vel auctoritatis eſſet in Galliæ Antiſtitibus, vel ſapientiæ, ut coacta ſynodo ea de lite judicarent. Id quidem juris ipſis competebat ex Eccleſiæ diſciplina, quo pertinent & Nicænus canon quintus, & Antiochenus quartus*. Peculiaris tamen ad Pontificem Rom. adeundi ea occurrebat ratio, quod de Metropolitano ageretur, quorum cauſæ Sardicenſis concilii canone Romano Pontifici reſervatæ fuerant, ut ſi renovandum eſſe judicium cenſuiſſet, tunc renovaretur, aut ut daret judices cautum fuerat, ut in Maximi cauſa fecit Bonifacius. Non ergo ſedis Romanæ majeſtati amplificandæ gratia, hæc ad Rom. Pontificem accuſatio delata eſt, ut ſcribit Baſnagius, ſed ut vetus conſuetudo canonibus Eccleſiæ confirmata ſervaretur.

Concilium Carth. in cauſa Appiarii presbyteri.

14. Gravis interea de appellationibus Epiſcoporum, Presbyterorum, aliorumque miniſtrorum Eccleſiæ ad Rom. ſedem hoc tempore inter Africanos, & Rom. Pontificem controverſia agitata eſt, cui Appiarius quidam Presbyter Sicenſis eccleſiæ, quem Urbanus Epiſcopus gradu ſuo dejecerat, & communione privaverat, occaſionem dedit. Cum enim Appiarius ad Romanam eccleſiam perfugiſſet, ac ad Zoſimum Pontificem appellaſſet, ab eo benigne exceptus, communioni eccleſiaſticæ reſtitutus fuerat, ac juxta id, quod in Arelatenſi concilio de Epiſcoporum appellationibus ſtatutum fuerat, judices, ſeu legatos in Africam deſtinaverat, ut una cum Africanis Epiſcopis Appiarii cauſa retractaretur. Judices vero, ſeu ſedis Rom. legati tres fuerunt, Fauſtinus ſcilicet eccleſiæ Potentianæ in Piceno Epiſcopus, Philippus, & Aſellus Rom. eccleſiæ Presbyteri; qui in Africam profecti, cum Zoſimo Bonifacius ſucceſſiſſet, ac Carthaginenſi concilio hoc anno habito, cui Epiſcopi Africani ducentum decem, & ſeptem interfuerunt, commonitorium Zoſimi obtulerunt, quo inter cetera Sardicenſis canonis auctoritate, licitas epiſcoporum ad Rom. ſedem appellationes eſſe demonſtrarunt. At cum Sardicenſem canonem tanquam Nicænum commonitorio ſuo inſeruiſſet Zoſimus Papa, de ejuſdem canonis auctoritate quæſtio exorta eſt; cujus finiendæ cauſa, ab ſynodo Carthaginenſi ad præcipuas Orientis eccleſias legatos deſtinarunt, ut ex autenthicis Nicæni concilii codicibus canonis citati veritas comprobaretur;

Canon. 7.

tur; ut in ſynodica epiſtola ad Bonifacium teſtati ſunt epiſcopi Africani, & ex actis concilii conſtat.

Zoſimi & Bonifacii Pontificis fama vindicatur.

15. Antequam tamen ſynodi acta referamus, Zoſimi, & Bonifacii Pontificum fama eſt vindicanda, quos juriſdictionis amplificandæ cauſa Sardicenſes canones pro Nicænis conſulto venditaſſe arguunt Romanorum Pontificum oſores, Romanæque eccleſiæ hoſtes; & ut veteres, ſeu potius veteratores, Illyricum ſcilicet cum Molineo prætereamus, qui ne nominibus quidem pepercerunt, ita ut frigida inverſione, inſulſaque deriſione pro Bonifacio Malefacium, pro Innocentio Nocentium, pro Cæleſtino Infernalem dixerint; Baſnagium audire præſtat, in eam rem hæc adnotantem: *Ut factum quod Eccleſiæ legibus pugnabat Zoſimus tueretur, auctoritate canonum Nicænorum, qui omnibus venerationi erant velatum voluit*; & ut Afrorum conſenſum extorqueret, Nicænorum venerabile nomen Sardicenſi canone obtrudit Zoſimus, neque veroſimile fuiſſe, ſubdit, eum Nicænos, aut Sardicenſes canones ignoraſſe, aut diverſos Rom. Eccleſiæ canonum codices a Conſtantinopolitanis, Alexandrinis, aut Antiochenſibus fuiſſe, quos conſulendos cenſuerunt Africani Patres, & in quibus canon a Zoſimo citatus inter Sardicenſes legebatur: *Quare eo noſtra inclinat, propendetque ſententia*, ait Baſnagius, *voluiſſe Zoſimum reviſionum omnium privilegia auctoritate ſedis Romanæ decerni; quod ſi demus eum fraudis quidem expertem fuiſſe, ignorantiæ ſaltem notam non effugiet*, dum pro Sardicenſi Nicænum obtruſit canonem. Quin tamen puerilia territamenta hæc ſint, & ad conflandam Romanis Pontificibus invidiam exagerata nulli dubitamus incompertum: quis enim non videt tot fruſtra a novatoribus clamores tolli, quaſi in hoc uno, tanquam in baſi, ac fundamentali lapide Romanæ Eccleſiæ dignitas ſubſiſteret, quo evulſo, univerſa prorſus collapſura ſit, non conſiderantes hujuſce Templi ſtructuram, non uno, ſed pluribus lapidibus invicem inter ſe inhærentibus, ac ſuper immobile fundamentum, quod eſt Chriſtus Jeſus, ejuſque protectione uſque in ſeculum non defutura, ſubſtructam eſſe? quare etſi Zoſimus, aut Bonifacius vel ex ignorantia, vel etiam conſulto, Sardicenſem pro Nicæno canone citaverint, atque id data ad fallendos Africæ Epiſcopos opera, quid inde lucrabunt Novatores? Nunquid unius errore, aut delicto promiſſio Dei evacuabitur, aut Romanæ Eccleſiæ dignitas, aut Primatus corruet? abſit. Sed cui bono

Magdeburg. Centur. tom. 5. pag. 1238. Baſnag. an. 419. num. 10.

Ad Rom. 3. 3.

Jesu Chr. an. 419.

bono Nicænum pro Sardicenſi canone Zoſimum ſcienter ſuppoſuiſſe fingimus? ut aſſeuſum ab Africanis Epiſcopis extorqueret, apud quos Nicænos canones venerationi fuiſſe noverat, ait Baſnagius. At ſi Nicænorum canonum maxima erat apud Africanos auctoritas, ſpernenda ſane non erat, & vix minor auctoritas Sardicenſium, cui ex Africanis Epiſcopis una cum Grato Carthaginenſi quamplurimi fuerunt: quare cum nulla impoſturæ cauſa fuerit in Zoſimo, aut Bonifacio, dolum fuiſſe fingi non poteſt; alia proinde cauſa eſt inquirenda, cur Sardicenſem canonem ſub Nicæni titulo Zoſimus citaverit, quam ne longe petamus, adnotare ſufficiet, non ſemel id ſequentibus etiam ſeculis accidiſſe, ut unius concilii canones, ſub alterius titulo citarentur; idque ex collectionibus canonum accidiſſe eruditi viri adnotarunt, atque in hoc, de quo agimus caſu, quo Zoſimus Sardicenſem pro Nicæno citavit, Romanæ Eccleſiæ veterem canonum codicem in cauſa fuiſſe adnotant, in quo cum Nicæni canones primi inſcripti eſſent, deinde ſequerentur ceteri abſque ullo titulo, aut diſtinctione, facillimum fuit eos etiam, qui Nicænos ſequebantur, tanquam Nicænos credere: quod Rom. Eccleſiæ facilius etiam accidiſſe, inde patet, quod ante Dionyſii Exigui verſionem, nullos fere Rom. eccleſia, præter Nicænos, & Sardicenſes, ſub uno tamen Nicænorum titulo, reciperet, quibus temporis tractu alii ſunt additi, ut apud eruditos viros videre eſt, qui de canonum codicibus, & collectionibus diligenter copioſeque plura adnotarunt, ac Zoſimum in eo, quod Sardicenſem pro Nicæno citaverit, ab omni fraude, vel impoſtura vindicarunt, ut ibidem videre eſt, præcipue apud Ballerinos in noviſſima editione operum S. Leonis Papæ.

Coutan. præf. in epiſt. Rom. Pontif. part. 2. 2. 55. & 3. Queſnell. diſſert. 12. in op. S. Leonis.

Ballerin. de canonum collect. part. 2. cap. 1. inter Leonis op. tom. 3.

Carth. ſynodi acta. *Labb. tom. 2. pag. 1588.*

16. Nunc ad Carthaginenſi ſynodi acta revertimur, cujus hæc eſt inſcriptio: *Poſt Coſſ.纪 glorioſiſſimorum Imp. Honori XII. & Theodoſii VIII. Aug. octavo Kal. Junii, ſcripta hæc ſunt Carthagine in ſecretario baſilicæ Fauſti, cum Aurelius Papa, una cum Valentino primæ ſedis Numidiæ, & Fauſtino eccleſiæ Potentianæ provinciæ Italiæ Piceni legato Eccleſiæ Rom. ſed & legatis diverſarum provinciarum Africanarum &c. ducentis decem & ſeptem, nec non Philippo & Aſello Presbyteris Rom. eccleſiæ &c.* Itaque cum una conſediſſent, Aurelius Epiſcopus, ut Nicæni concilii exemplaria legerentur, juſſit, cumque codices Nicæni oblati fuiſſent, Daniel Notarius, tum fidei

fidei profeſſionem, cum ſtatuta ſeu canones recitavit, iiſque lectis Fauſtinus Potentiæ Epiſcopus, ac Rom. Eccleſiæ legatus, ut ſervarentur Nicæni canones hortatus eſt, ac ſe commonitorium habere dixit, ſicuti antea in privatis ſeſſionibus Aurelio ſociiſque dixerat, quare addidit: *Injuncta nobis ſunt a ſede Apoſtolica aliqua per ſcripturam, aliqua etiam in mandatis, cum veſtra Beatitudine tractanda, ſicut & geſtis ſuperioribus meminiſtis*; cumque annuiſſet ſynodus, ut ſcriptura legeretur, commonitorium Zoſimi Daniel notarius recitavit, Fauſtino Epiſcopo, Philippo & Aſello Presbyteris legatis ſuis dato; quo de obſervantia Nicænorum canonum monebantur Africani Patres, ac mox ſeptimus canon Sardicenſis concilii, tanquam ſi Nicænus eſſet, lectus eſt, quo de Epiſcoporum appellatione cautum fuerat, ut ſi Epiſcopus accuſatus, & a comprovincialibus gradu ſuo ejectus, ad Romanam ſedem confugiendum cenſuerit, Romanus Pontifex vicinioribus Epiſcopis ſcribat, ut diligenter omnia iterum examinent, & juxta veritatem definiant; quod ſi is, qui ad Rom. appellavit Pontificem, deprecatione ſua fecerit, *ut e latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi Romani, quid velit, & quid exiſtimet; etſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes auctoritatem ejus a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio; ſi vero crediderit ſufficere Epiſcopos* (viciniores ſcilicet) *ut negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit*. Quatuor autem capitibus conſtabat (ut ex ſynodica epiſtola ſcimus) Zoſimi Commonitorium, quorum primo de Epiſcoporum appellationibus ad Rom. Pontificem agebatur; altero ne ad Comitatum Epiſcopi importune navigarent; tertium de Presbyterorum & Diaconorum cauſis agebat, ut ſi injuria a propriis Epiſcopis excommunicati fuiſſent, apud finitimos Epiſcopos cauſam agerent; quartum vero de Urbano Epiſcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando agebat, niſi ea quæ videbantur corrigenda corrigeret, de quibus quid actum ſtatutumque fuerit, epiſtola ſynodica Bonifacium certiorem reddiderunt, ut infra videbimus. Nunc ad ſynodi geſta redeundum eſt.

Zoſimi Papæ commonitorium ad Epiſcopos Africæ.

Apud Coutan. pag. 1612.

17. Cum itaque Sardicenſis canon tanquam Nicænus lectus eſſet de Epiſcoporum appellatione ad Rom. Epiſcopum, Alypius Tagaſtenſis Epiſcopus, & Numidiæ legatus, ſuo & Epiſcoporum nomine ait, Nicænos quidem canones ſe reci-

Nicæni concilii exemplaria conſuli rogant Africani Epiſcopi.

JESU CHR. AN. 419.

pere ſicuti antea reſcripſerant; moveri tamen eo quod in Græcis exemplaribus hunc de Epiſcoporum appellationibus canonem non inveniſſent. Quare Aurelium ſynodus rogavit, ut ad CPolitanum, Alexandrinum, & Antiochenum Epiſcopos ſcriberet, ab iiſque integra Nicænæ ſynodi exemplaria cum autenticis collata peteret, atque ut eoſdem quoque in Oriente Epiſcopos Bonifacius conſuleret; ac legatos mitterent, qui Nicæni concilii codices perferrent. Nec Alypii conſilio reſtitit Fauſtinus Bonifacii Papæ legatus, ſed addidit, quod cum in dubbium recitati canones vocati eſſent, ad Bonifacium de his eſſe ſcribendum, & ſufficere ſi ipſe de his inquireret, *ne contentio inter eccleſias naſci videatur*.

De appellationibus Presbyterorum, & Diaconorum.

18. De altero capitulo Commonitorii Zoſimi actum deinde eſt, de appellationibus ſcilicet Presbyterorum & Diaconorum ad viciniores Epiſcopos; quem canonem inter Nicænos quoque ſe non inveniſſe Novatus legatus Mauritaniæ Sitiphenſis dixit, ac in Sardicenſi concilio ex Oſii ſententia ea ſtatuta fuiſſe ab Africanis patribus adnotatum eſt: & revera decimus ſeptimus Sardicenſis concilii eſt, quo recitato canone Auguſtinus Hipponenſis legatus provinciæ Numidiæ addidit, ſtatuta fore ſervaturos Patres, ſalva inquiſitione diligentiori concilii Nicæni; quod & omnes una voce confirmarunt, quare hoc etiam loco, iterum Fauſtinus Potentinus Epiſcopus, & Romanæ ſedis legatus, cuncta ad Bonifacium Pontificem referenda, ac reſervanda eſſe admonuit, & ut ad eum ſcriberent hortatus eſt; *ut & ipſe deliberare poſſit utrumnam & hoc concedendum ſit, an reticendum*, hoc eſt de appellationibus inferioris gradus, presbyterorum ſcilicet, & Diaconorum. De duobus aliis capitibus Commonitorii, de non adeundo inopportune Comitatu, & de Urbano Epiſcopo excommunicando in ſynodo nil geſtum eſt; fortaſſe inter Epiſcopos, & legatos res privatim tranſacta, atque finita eſt abſque ulla difficultate; unde in his immorari non fuit opus.

Nicænum ſymbolum & canones in ſynodo recitati.

19. His geſtis, Aurelio monente, ſymbolum, & canones Nicæni concilii lecti ſunt, atque ſynodo inſerti ex Codice olim a Cœciliano Carthaginenſi Epiſcopo, qui eidem adfuerat, in Africam delato, ſicque prima ejuſdem concilii ſeſſio finem habuit, atque Bonifacium Pontificem de hactenus in ſynodo geſtis ſynodica epiſtola certiorem reddiderunt; quam iiſdem Rom. Eccleſiæ legatis Fauſtino Epiſcopo, Philippo, & Aſello

Aſello Romam redeuntibus deferendam tradiderunt; qua habent: *Domino Beatiſſimo & honorabili fratri Bonifacio, Aurelius, Valentinus primæ ſedis provinciæ Numidiæ, & ceteri, qui præſentes adfuimus numero* 217. *ex omni concilio Africæ. Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiſcum egerunt ſancti fratres noſtri, coepiſcopus Fauſtinus, & compresbyteri Philippus & Aſellus, cum beatæ memoriæ epiſcopo Zoſimo, a quo ad nos mandata & litteras attulerunt, ſed tuæ venerationi, qui in ejus locum es divinitus conſtitutus, humilitas noſtra reſcriberet; ea breviter inſinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata ſunt, non quæ prolixis geſtorum voluminibus continentur, in quibus ſalva quidem caritate, non tamen ſine parvo altercationis labore demorati ſumus, ex geſtis delibantes, quæ nunc ad cauſam pertinent. Quamquam & ille, ſi adhuc eſſet in corpore, hoc acciperet gratius, quod videret pacatius terminatum, Domine frater.* Deinde Appiarii presbyteri, & Urbani Siccenſis Epiſcopi cauſas finitas fuiſſe narrant; nam Appiarius veniam petens communioni fuerat reſtitutus, ita tamen ut retento presbyterali honore, extra Siccenſem eccleſiam, ubicumque vellet & poſſet, presbyteri honore fungeretur, acceptis in eam rem eccleſiaſticæ communionis, & ordinis ſui formatis epiſtolis; Urbanum vero Siccenſem Epiſpopum emendanda correxiſſe addunt. Quid deinde geſtum fuerit, cum Zoſimi Commonitorium a Legatis eſt recitatum, perſequuntur, atque uſque dum authentica Nicæni concilii exemplaria afferantur, quæ in Commonitorio intimata fuerant, ſe ſervaturos ſpondent, rogantque Pontificem, ut ad CPolitanam, & Antiochenam eccleſiam, & ad alias ſi eidem placuerit ſcribere dignetur, ut inde Nicæni canones tranſmittantur, qui cum Occidentalium exemplaribus conferri poſſent, ſperantes ex Domini miſericordia, ipſo Romanam Eccleſiam adminiſtrante, non tam facile Epiſcopos, vel presbyteros, appellatione interpoſita, audiendos eſſe, ut Epiſcoporum ſuorum judicia declinarent; cetera tandem in ſynodo geſta a legatis ſuis Fauſtino Philippo & Aſello ſe accepturum addunt, ac præter Aurelium, & Valentinum ſubſcripſerunt Alypius, Auguſtinus, Poſſidius, Marianus, & ceteri Epiſcopi. Quid deinde ſub eodem Bonifacio Pontifice, aut Cæleſtino ſucceſſore, in ejuſdem Appiarii presbyteri, aut Antonii Fuſſalenſis Epiſcopi, qui iterum ad Rom. ſedem appellarunt, ge-

Jesu Chr. an. 419. Carthag. concilii ſynodica epiſt. ad Bonifacium Papam. Coutan. pag. 1010.

Jesu Chr. an. 419. eum fuerit, inferius dicenda reſervamus; atque ad alteram ejuſdem concilii ſeſſionem tranſimus.

Concilii Carthag. ſeſſio Altera.

20. Urbani Siccenſis Epiſcopi, & Appiarii Presbyteri cauſa finita, ſeu potius ſopita, ut diximus, iterum *in ſecretario Baſilicæ Reſtitutæ* convenerunt Africani Patres, tertio Kal. Junias, ideſt quatriduo poſt ſeſſionem primam; quare duo concilia ſibi fingere, ut eruditis viris placuit, non eſt neceſſe, etſi non ignoremus primam ſeſſionem in baſilica Fauſti, hanc in Baſilica Reſtitutæ habitam fuiſſe, qua cum Aurelius conſediſſet, & poſt eum Fauſtinus Rom. Eccleſiæ legatus cum ceteris, qui priori adfuerant ſeſſioni numero 217., præcedentium conciliorum Africæ canones lecti ſunt centumquinque, quorum pars maxima Carthaginenſi tertio, & Milevitano ſecundo inſcribuntur, atque in codice canonum Eccleſiæ Africanæ inſerti ſunt. Interea cum Epiſcopis plurimis diu a ſuis ſedibus abeſſe grave eſſet, ac ad ſuas Eccleſias redire cuperent, placuit ſynodo, ut ex ſingulis provinciis aliqui eligerentur, qui ceterorum etiam nomine ſynodo ſubſcriberent; quod cum factum eſſet, numero viginti circiter electi ſunt, quorum primi Aurelius, Fauſtinus Bonifacii legatus, Alypius, Auguſtinus, Poſſidius &c. Canones deinde quinque ſunt additi: cum etenim ſuperioribus conciliorum decretis de perſonis, quæ admittendæ ſunt ad accuſationem clericorum, plura ſtatuta eſſent, nonnulla de iis, qui rejiciendi erant, addiderunt, ac primo excommunicati ſive clerici ſive laici, 2. ſervi etiam, vel quos leges non admittunt, veluti hiſtriones, hæretici, Pagani, Judæi &c. 3. Qui plura in accuſatione objecerit, ſi in probationibus in uno deficiant, in ceteris etiam non ſunt audiendi, 4. neque uti teſtes ii ſunt admittendi, qui ab accuſando repelluntur, aut minores annorum quatuordecim. 5. Nec Epiſcopo ſine probatione aut teſtibus liceat quemquam excommunicare, quod ſi alicui communicare nolit, nec cum eo ab aliis communicetur Epiſcopis, ut magis caveat Epiſcopus dicere, quod aliis documentis probare non poteſt, iiſque cum Aurelio, & Fauſtino Potentino Epiſcopo ceteri ſubſcripſerunt.

Pag. not. 23. ad an. 419.

Nicæni canones in Africam primum deinde Romam miſſi.

21. Quod ab Attico CPolitano epiſcopo, & Cyrillo Alex. petierant Africani Patres, ut ex autenthico codice Nicæni ſibi canones mitterentur, hoc eodem anno obtinuerunt; ac primum per Marcellinum Subdiaconum, quem CPolim miſerant, ab Attico Nicænos canones ex Græco in Latinum a Thei-

Theilone; & Theariſto translatos acceperunt, quos abſque mora Romam hoc eodem anno miſerunt, ut ex Attici epiſtola ad Africanos Patres conſtat; quæ etiam collectioni canonum eccleſiæ Africanæ inſerta eſt num. 136., quam ſexto Kal. Decembris anni labentis ſe Bonifacio Rom. Pontifici miſiſſe teſtantur Africæ Epiſcopi, una cum Cyrilli Alex. Epiſcopi epiſtola per Innocentium Presbyterum accepta; qua una cum Nicænorum canonum exemplaribus, de die Paſchatis anni ſequentis, ut rogatus fuerat, hæc addidit: *De Paſcha vero, ut ſcripſiſtis, nunciamus vobis XVII. Kal. Majas nos futura indictione celebrare*. Mendum tamen in numerali nota incurriſſe pluribus probat Pagius, ac loco XVII. Kal. Majas, ſeu die 15. Aprilis, legendum XIV. Kal. Majas, ſeu 18. Aprilis die, qua anno ſequenti Paſcha celebratum eſt; qui error ex unitatibus duabus in fine librariorum oſcitantia unitis prodiit, de quibus plura Pagius, Noriſius, Baſnagius habent.

Jesu Chr. An. 419.
Labb. tom. 2. pag. 1673.
Pag. 1144.
Labb. ut ſup.
Pag. not. 26. ad 29. an. 419.
Baſnag. 419. n. 18.

22. In hac quoque Carthaginenſi ſynodo, quæ ſexta dicta eſt, quæque & numero Epiſcoporum, & dignitate ceteris celebrior habetur, cui cum Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, totiuſque Africæ Primate, Auguſtino, Alypio, Poſſidio ducenti decem & ſeptem interfuere Epiſcopi cum Fauſtino Potentinæ eccleſiæ Epiſcopo, & Rom. ſedis legato; in hac inquam ſynodo Codicem canonum eccleſiæ Africanæ exornatum fuiſſe vero prope eſt, ac titulus ſeu Præfatio confirmat, quo legitur: *Poſt Coſſ. Glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii VIII. Aug. Kal. Junias Carthagine in ſecretario Baſilicæ Fauſti. Cum Aurelius &c.* quæ eadem inſcriptio eſt, ac concilii labentis anni celebrati. Hujus autem Codicis tanta fuit auctoritas, ut etſi a Latinis Patribus editus fuerit, in Græcum verteretur; continetque capita centumtriginta octo, quo in præcedentibus Africæ conciliis ſtatuta, vel ſaltem tempore Aurelii Carthaginenſis in unum collecta ſunt, quibus nonnulla etiam ſunt addita; inter cetera capite ultimo epiſtola Africani concilii ad Cœleſtinum Papam aliquot ab hinc annis ſcripta. Cum etenim ut ajebat Cæleſtinus: *Nulli Sacerdotum ſuos liceat canones ignorare. nec quidquam facere, quod Patrum regulis poſſit obviare*, ſapientiſſimo Epiſcoporum Africæ conſilio factum eſt, ut anteactorum conciliorum canones ea in ſynodo renovarentur, ac in unum collecti Sacerdotibus traderentur: qui etiam uti canones ejuſdem ſextæ ſynodi Carthaginenſis

De Codice canonum Eccleſiæ Africanæ.
Apud Labb. tom. 2. pag. 1041.
Cæleſt. epiſt. 5. ad Epiſc. Apuliæ & Siciliæ.

Jesu Chr. an. 419.

Præf. in epiſt. Rom. Pontif. §. 6. pag. 93. Schelest. de eccleſ. Afric. diſſert. 3.

ſis inſcribi poſſunt, ut ab Dionyſio exiguo factum fuerat in ſua Canonum collectione, ex qua, ut a Conſtantio admonemur, deſumptus eſt Codex canonum Eccleſiæ Africanæ: ac proinde fragmentum potius Dionyſianæ collectionis inſcribendum eſſe contendit, quam eccleſiæ Africanæ Codicem, de quibus adverſus Juſtellum, aliosque ibidem plura adnotat, de quibus etiam Scheleſtratum conſulere lector poteſt.

Honorii reſcriptum adverſus Pelagianos.

23. Antequam excedamus Africa, de Honorii reſcripto ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum miſſo adverſus Pelagianos agendum eſt, cum quo & epiſtolas ad eum dediſſe, idem Aurelius in epiſtola ad Epiſcopos Bizacenæ, atque Arzugitanæ Provinciæ his verbis teſtatur: *Chriſtianorum Principum charitatem veſtram latere non debuit, & ad me ab his datæ litteræ &c.* Eo autem reſcripto, quæ anno ſuperiori adverſus Pelagium ſocioſque ſtatuerat, iterum confirmat Honorius his verbis: *Impp. Honorius, & Theodoſius Aug. Aurelio Epiſ. ſalutem. Dudum quidem fuerat conſtitutum, ut Pelagius, & Cæleſtius nefandi dogmatis repertores ab urbe Roma, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur; ne ignorantium mentes ſæva perſuaſione perverterent. In quo ſecuta eſt clementia noſtra judicium ſanctitatis tuæ, quo conſtat eos ab univerſis juſtæ ſententiæ examinatione eſſe damnatos &c.* quos undique ejiciendos eſſe jubet. *Divinitas te per multos annos ſervet incolumem, Pater cariſſime atque amantiſſime. Data quinto Idus Junias, Ravennæ, Monaxio & Plinta* Coſſ. ideſt hoc anno. Eadem ad Auguſtinum quoque honoris cauſa fuiſſe ſcripta in Codice legitur. Aurelius autem his acceptis, Kal. Auguſti, Coſſ. iiſdem, ad Epiſcopos Bizacenæ, & Azuritanæ Provinciæ ſcribens, omnes tum qui plenario concilio interfuerant, cum ii qui abfuerant, ut in Pelagii Cœleſtiique hæreſim ſubſcriberent, admonuit. Honorii adverſus Pelagianos reſcriptum, perhonorifica legatione ad eum miſſa per Alypium Epiſcopum, obtinuiſſe Africanos Patres ſcribit Baronius; Alypium tamen hoc eodem tempore Carthaginenſi ſynodo plenariæ adfuiſſe non ſemel vidimus. Bonifacii itaque Rom. Pontificis zelo & induſtria obtentum fuiſſe, dubitari vix poteſt, de quo Proſper:

Piiſſimo-

Piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaviſum ; contra inimicos gratiæ, non ſolum Apoſtolicis, ſed etiam Regiis uſum fuiſſe edictis. In Honorii quoque reſcripto id notatu dignum eſt, quod tunc primum ſubſcriptiones adverſus hæreſes exactæ ſunt a ſingulis Epiſcopis, quæ poſtmodum frequentes fuerunt, atque Tractoriam Zoſimi Papæ epiſtolam undique perOrbem miſſam ſubſcriptam fuiſſe, qua tanquam lydio lapide a Catholicis Pelagiani diſtincti ſunt, a Mario Mercatore admonemur. *Hæc omnia capitula ſupraſcripta, ut jam ſuperius dictum eſt, continet illa Beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ Tractoria dicitur, qua Cæleſtius Pelagiuſque damnati ſunt, quæ & CPolim, & per totum Orbem miſſa, ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata: cui Julianus & reliqui ejus complices ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes eiſdem Patribus facere, non ſolum Imperialibus legibus, ſed & Sacerdotalibus ſtatutis depoſiti atque exauctorati ex omni Italia deturbati ſunt &c.*

JESU CHR. AN. 419. *Proſper libro contra collat. cap. 41. Garner. diſſert. 3. in Mar. Merc. Pagi not. 22. Mar. comm. apud Garn. cap. 3. pag. 18.*

24. Innocentius Presbyter a Carthaginenſi concilio Alexandriam ad Cyrillum miſſus, ut genuinos Nicæni concilii canones reciperet, cum in Africam rediret, Palæſtinam pergens, Auguſtini & Alypii epiſtolam ad Hieronymum detulit, qua inter cetera ab Hieronymo ſciſcitabantur, num ſcripta Aniani Celedenſis diaconi Pelagiani confutaſſet. Hæc quidem Auguſtini epiſtola periit, at ea ſupereſt, quam Hieronymus per eumdem Innocentium ad Auguſtinum miſit, reſpondens ſe ob damnationem Pelagianæ hæreſis magna affectum fuiſſe lætitia, Auguſtino vero, & Alypio gratulatur, quod eorum opera eadem hæreſis confutata fuerit. *Mihi*, inquit, *omnis occaſio gratiſſima eſt, per quam ſcribo veſtræ Reverentiæ, teſtem invocans Deum, quod ſi fieri poſſit, aſſumptis alis columbæ, veſtris amplexibus implicarer, ſemper quidem pro merito veſtrarum virtutum, ſed nunc maxime, quia cooperatoribus & auctoribus vobis, hæreſis Cæleſtiana jugulata eſt, quæ ita infecit corda multorum, ut cum ſuperatos, damnatoſque eſſe ſe cenſeant, tamen venena mentium non omittant, & quod ſolum poſſunt, nos oderint, per quos putant libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe*; deinde ſe ob Euſtochii virginis obitum maximo in mœrore fuiſſe teſtatur, nec quidquam adverſus Anianum ſcribere in luctu potuiſſe. *Sciatis*, inquit, *vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctæ & venerabilis filiæ Euſto-*

Hieronymi epiſt. ad Auguſtinum & Alypium.

Hier. epiſt. 22.

JESU CHR. AN. 419. *Euſtochii ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos libros putarem*. Erat porro Euſtochium ſanctæ Paulæ & Toxotii filia ex nobiliſſimo Scipionum & Paulorum genere, quin & Iulia gente, unde & Juliæ cognomen habuit, quæ matrem in Palæſtinam ſecuta, cum eadem in Bethlemitico monaſterio ad obitum uſque ſanctis operibus intenta perſeveraverat, matri uſque ad ultimum ſpiritum ſerviens, cui hoc anno ſociari meruit, cujus laudes dum viveret Hieronymus celebravit, ac ad Virginitatem ſervandam docuerat epiſtola ſeu libro eidem inſcripto, de cuſtodia virginitatis; cumque ad annum labentem, ætatis vero ſuæ quinquageſimum ſanctiſſime vixiſſet, ad virginum thalamum & ſponſum abiit, cujus memoria quarto Kal. Octob. Martyrologio Rom. celebratur: *Sanctæ Euſtochii Virginis filiæ Beatæ Paulæ, quæ ad Præſepe Domini cum aliis Virginibus enutrita, præclaris meritis fulgens, migravit ad Dominum*.

De Sancta Melania & sociis. Epiſt. 143.

25. Eadem epiſtola, qua Euſtochii obitum Hieronymus luget, Paulæ junioris, neptis Euſtochii, & Albinæ, Piniani, & Melaniæ mentionem habet, his verbis: *Sancti filii communes, Albina, Pinianus, & Melania plurimum vos ſalutant; Neptis veſtra Paula*, ideſt Euſtochii neptis, utpote amitæ ſolatio deſtituta, *miſerabiliter precatur, ut memores ejus ſitis, & multum vos ſalutat*. Erat Paula ex Læta & Toxotio, filio Paulæ ſenioris, genita, immo ut ait Hieronymus, *voto & futuræ virginitatis repromiſſione concepta*, de cujus educatione ad Lætam epiſtolam idem dederat, quæ poſtmodum Euſtochio amitæ in Bethlemitico monaſterio ſociata, atque poſt ejus & Hieronymi obitum in ſanctæ vitæ propoſito uſque ad obitum perſeveravit. De Albina vero, Piniano & Melania, de quibus epiſtola eadem fit mentio, adnotare ſufficiet, eos olim, ideſt anno 410. ex Sicilia in Africam cum Melania ſeniore navigaſſe, ubi cum apud Tagaſtem per ſeptem annos perſeveraſſent, Hieroſolymam inde circa annum 417. tranſierant, ubi Melania ſenior *cum facultates diviſiſſet, intra quadraginta dies, in bona ſenectute dormiit*, ait Palladius in hiſtoria Lauſiaca; poſt cujus obitum Melania junior in Ægyptum ad ſanctos inviſendos monachos, una cum Piniano marito, & ſociis tranſiit, inde Hieroſolymam reverſa, in domuncula per annos quatuordecim tanquam in cellula, juxta radices montis Oliveti, a viro Piniano ſejuncta, angelicam in carne vitam duxit

Hieronymi epiſt. 108. n. 29.
Epiſt. 107.

duxit, ut pluribus tum Palladius, cum vitæ ejus auctor proſequitur, de qua iterum infra redibit ſermo.

Jeſu Chr. an. 419.

26. Interea cum Hieroſolymis eſſent Albina, Pinianus, & Melania, Pelagium ibi agentem invenerunt, eumque, ut ea retractaret, quæ a Catholicis eidem objiciebantur, admonuerunt, quibus eum ſatisfeciſſe, atque ſuis erroribus anathema dixiſſe, at ficte & fraudulenter, adnotavit S. Auguſtinus in libro de gratia Chriſti iiſdem dicato, cui alterum addidit de peccato originali ad Pinianum: *Scripſiſtis mihi*, inquit, *cum Pelagio vos egiſſe, ut quæcumque adverſus eum dicerentur, ſcripto damnaret, eumque dixiſſe audientibus vobis anathema &c.* Quam veteratorie hæc Pelagius fateretur, ibidem Auguſtinus oſtendit; quippe qui gratiam vel in natura, & libero arbitrio poneret, vel in lege & doctrina; & in eo tantummodo hominum volontates adjuvari fateretur, ut poſſibile, faciliuſque præcepta ſervarent, non vero ipſam volontatem adjuvari ut agerent, per inſpirationem *flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis*, ut ibidem s. Doctor pluribus proſequitur. Quanta autem benevolentia Auguſtinus eoſdem ſuſciperet, operis ipſa præfatio teſtatur, qua habet: *Quantum de veſtra corporali, & maxime ſpirituali ſalute gaudeamus, ſinceriſſimi fratres dilecti a Deo, Albina, Piniane, & Melania, quia effari non poſſumus, vobis cogitandum, credendumque committimus &c.* Hoc autem, vel ſuperiori anno, cum Carthagine Auguſtinus eſſet, eos ſcripſiſſe libros, cum perlator reditum quoque urgeret, quæ ſequuntur verba teſtantur: *Feſtinante etenim perlatore, inter occupationes noſtras, multo apud Carthaginem, quam alibi denſiores, quantum Deus donare dignatus eſt, ut potuimus iſta dictavimus*. Sed de his hactenus.

Baylet die 31. Decemb.

S. Auguſtinus libros de gratia Chriſti, & peccat. orig. ſcribit.

Auguſt. de gr. Chriſti lib. 1. 1.

27. Hoc Chriſti anno, Monaxio, & Plinta conſulibus, prodigia, & oſtenta in Oriente accidiſſe hiſtorici narrant. Atque in primis Solis defectum anno proximo accidiſſe, & fulgur in Cœlo viſum fuiſſe Philoſtorgius commemorat; hoc autem anno terræmotus magnos fuiſſe, & cum terræmotibus ignem e Cœlo demiſſum addit, qui ſpem omnem ſalutis præcluſiſſet, niſi Deus illum, vehementi immiſſo vento, in mare præcipitaſſet. Cumque multis in locis terra moviſſet: *Viſa ſunt ædium culmina magno cum fragore ac ſonitu diſrumpi, adeo ut ii, qui intra domos erant, cœlum ipſum oculis ſuis cernerent*. Hæc aliaque Philoſtorgius, quibus Marcellinus & Idacius in

Chriſti mira apparitio ſuper Montem Oliveti.

Philoſt. lib. 12. pag. 49.

Jesu Chr. an. 419. chronico ad hunc annum, mirabilem Chriſti apparitionem in monte Oliveti contigiſſe addunt: *Multæ Palæſtinæ civitates, villæque terræmotu collapſæ ſunt. Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſemper ubique totus, ſuper montem Oliveti Hieroſolymæ vicinum ſe ſe de nube manifeſtavit. Multæ & tunc utriuſque ſexus nationes tam viſu, quam auditu perterritæ, atque credulæ, ſacro Chriſti fonte ablutæ ſunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Chriſti Salvatoris, Divinitatis motu, extemplo impreſſa apparuit*. Hujuſce autem tam admirabilis rei occaſione factum eſt, ut diem Domini, qua Mundum judicaturus eſt, jamjam imminere nonnulli crederent, atque de tempore adventus Domini curioſius a plurimis inquireretur, quem Daniel, & Zacharias Prophetæ in nubibus ſuper montem Oliveti venturum prædixerant; s. vero Lucas eodem Oliveti monte, ubi in Cœlum Chriſtus aſcenderat, reverſurum fore, Angelorum teſtimonio refert: *Quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum, ita veniet*; quare cum Heſychius Salonitanus Epiſcopus Auguſtinum de die Mundi ultimo conſuluiſſet, curioſius eum non eſſe inquirendum Auguſtinus admonuit. Quia tamen iterum reſcribens Heſychius, diem quidem judicii fruſtra inquiri fatebatur, ex ſignis tamen ejus adventum cognoſci poſſe, atque a fidelibus exoptandum addiderat; huic prolixius reſpondens Auguſtinus, non tam epiſtolam, quam tractatum de fine ſeculi miſit, quem labenti anno eum ſcripſiſſe hæc doctoris verba indicant: *A nativitate Domini hodie computantur anni ferme quadrigenti viginti &c.* Curioſum tamen inveſtigatorem non probat Auguſtinus, etſi diem ultimum adhuc longe abeſſe ex ſignis exiſtimaret, cum præcipue nondum impletum eſſet, quod in Matthæo legitur, in univerſum Orbem Evangelium eſſe prædicandum; ſed de his hactenus.

Daniel 7. Zach. 14. — *Act. 1.* — *Epiſt. 197.* — *198.* — *Epiſt. 199. n. 20.* — *Matth. 24.*

Quœſtio de origine animæ ab Auguſtino tractata.

28. Quam in quæſtione de fine ſeculi moderationem ſervandam eſſe cupiebat Auguſtinus, eamdem in altera de origine animæ adhibendam eſſe ajebat, quam hoc eodem tempore pertractandam ſuſceperat; tum ut veriorem ex pluribus, quæ de animæ origine circumferebantur, opinionibus inveniret, cum etiam, ut nonnullorum ignorantiam, aut temeritatem caſtigaret, qui de ea quæſtione, aut falſa, ac a fide etiam aliena vulgaverant; in quam rem quatuor de origine animæ libros adverſus Vincentium Victorem hoc tempore edidit. Ut autem paucis rem complectamur, adnotandum eſt;

August. tom. 10.

eſt, paucis ab hinc annis de origine animæ a Marcellino, & Anapſychia interrogatum fuiſſe Hieronymum. Is vero, recenſitis de animæ origine variis opinionibus, eam ſe præceteris probare dixit, quam in libris adverſus Ruffinum ſcriptis defenſaverat, animas ſcilicet a Deo continuo creari, corporibuſque immitti; ſi minus hæc placerent, Marcellinum, & Anapſychiam admonuit, ut Auguſtinum conſulerent: *Certe habes ibi*, inquit, *Auguſtinum Epiſcopum, qui viva, ut ajunt, voce docere te poterit, & ſuam, immo per ſe noſtram explicare ſententiam*. Cum tamen dubius adhuc ea de quæſtione Auguſtinus eſſet, cum ad Hieronymum Oroſium miſit, eumdem de animæ origine conſulendum cenſuit, & præcipue qua ratione eam, quam ipſe docebat opinionem, *ſingulas animas novas naſcentibus fieri*, contra Pelagianos tueretur; quare longiorem ad eum epiſtolam, ſeu potius tractatum de origine animæ miſit; quo ſe quidem hominum animas immortales, ac incorporeas eſſe, ac nulla Dei culpa, vel neceſſitate, ſed propria voluntate in peccatum collapſas eſſe fatebatur, & gratia Dei tantummodo per Jeſum Chriſtum a peccato liberari poſſe teſtabatur; ignorare ſe tamen ajebat, unde peccati labem anima contraheret, ita ut regeneratione, & baptiſmate originale peccatum infantibus remitteretur. Tum quatuor de origine animæ, ſeu ut ait de incarnatione animæ a ſe in libris de libero arbitrio olim recenſitas commemorat; an ſcilicet ex illa una, quæ primo homini data eſt, ceteræ propagentur: 2. an ſingulis quibuſque novæ continuo creentur: 3. an alicubi exiſtentes, divinitus in corpora mittantur: 4. vel ſponte labantur; quintam deinde opinionem Priſcillianiſtarum ſcilicet, ut ex Hieronymi epiſtola audierat commemorat, qua Dei partem animam eſſe effutiebant; quæ cum abſurda ſit inter hæreſes recenſenda eſt magis, quam inter opiniones. Quare de quatuor primis tantum Hieronymum urget Auguſtinus, ut quæ verior ſit docere velit, ut & alios deinde & ipſe poſſet inſtruere, eos præcipue, quos ipſe Hieronymus ad Auguſtinum miſerat, Marcellinum ſcilicet & Anapſychiam: *Quare miſiſti ad me diſcipulos*, ajebat, *ut ea doceam, quæ nondum didici? Doce ergo quod doceam; nam ut doceam multi a me flagitant, eiſque me, ſicut alia multa, & hoc ignorare confiteor*; ea præſertim Auguſtini mentem quæſtio implicabat, quomodo fieri poſſet, ut Deus animas continuo crea-

JESU CHR. AN. 419.

Hier. epiſt. 126.

Auguſt. epiſt. 166. *inter Hier. epiſt.* 131.

Lib. 3. *cap.* 21.

Jesu Chr. an. 419.

crearet, quæ corporibus junctæ, peccati reatu, & pœna tenerentur, niſi regeneratione liberarentur. Quare inter multa ad Hieronymum: *Doce quod doceam, doce quod teneam, & dic mihi, ſi animæ ſingulatim in ſingulis hodieque naſcentibus fiunt, ubi in parvulis peccant, ut indigeant in ſacramento Chriſti remiſſione peccati peccantes in Adam, ex quo caro eſt propagata peccati: aut ſi non peccant, qua juſtitia Creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inſeruntur, ut eas, niſi per Eccleſiam ſubventum fuerit, damnatio ſubſequatur, cum in earum poteſtate non ſit, ut eis poſſit gratia baptiſmatis ſubveniri &c.* Cum itaque alienum a fide fuiſſet dicere, aut Deum cogere animas fieri peccatrices, aut punire innocentes, aut eas nullo originis peccato teneri, in eam facilius ſententiam inclinabat Auguſtinus, ut crederet, ex anima Adam, quæ peccato obnoxia fuerat, & ceteras ſimili peccato obligatas, procreari; quia vero aliam eſſe Hieronymi audierat opinionem, qui eas a Deo ſingulatim creari ſcripſerat, hinc ut ſuam exponeret, tuereturque ſententiam, rogat: *Obſecro te*, inquit, *quomodo hæc opinio defenditur, qua creduntur animæ non ex illa una primi hominis fieri omnes, ſed ſicut illa una uni, ita ſingulis ſingulæ &c.* Hæc & alia multa in eam rem Auguſtinus ad Hieronymum de animæ originis quæſtione, circa annum 415., cui nullum reſponſum dediſſe in duabus epiſtolis ad Optatum Milevitanum datis narrat Auguſtinus, quarum unam ex Vindebonienſi bibliotheca editam inter Hieronymi epiſtolas inſeruit Valarſius, alteram vero exhibent Maurini editores ſub numero 190. Cum etenim de origine animæ dubius eſſet Optatus, Auguſtinum conſulendum cenſuit, cui ſe quoque in eadem obſcuritate eſſe ingenue faſſus eſt, eaque de cauſa ſe Hieronymum conſuluiſſe narrat, cui epiſtolam ad Hieronymum ſcriptam miſit, ita tamen, ut eam apud ſe retineat, nec in publicum edat, cum ab Hieronymo reſponſionem adhuc expectaret, ne forte gravate ferret Hieronymus, quod de obſcuriſſima quæſtione interrogatus, ante illius reſponſionem ſuam ipſius ſententiam in vulgus prodiret: *Quod profecto, quantum in nobis eſt, cavere debemus*, ait Auguſtinus; & iterum: *Nunc tamen quantum jam conſulti amici nondum eſt deſperanda reſponſio, edendam non eſſe conſultationem noſtram quantum quidem in nobis eſt, puto quod perſuaſerim dilectioni tuæ, quamquam & ipſe non eam ſolam*

Hieronym. epiſt. 144.

propo-

popoſceris; ſed adjunctam etiam ejus, quem conſului, reſponſionem tibi deſideraveris mitti, quod utique facerem ſi haberem. Hæc aliaque multa ad Optatum Auguſtinus, qui epiſtola altera, quid de animæ origine certum ſit, quid dubium pluribus perſequitur, ac Optatum monet, ut quæ fidem ſpectabant, inconcuſſa teneret, neminem ſcilicet naſci ex Adam, niſi peccato obligatum, neminemque inde liberari niſi per Chriſtum, quæ ut adverſus Pelagianos firmiſſime teneret enixe rogat, ut ibidem videre eſt. | Jesu Chr. an. 419.

29. Interea cum Vincentius quidam Victor in Mauritania Cæſarienſi natus, ex Rogatiſtarum factione, quæ Donatiſtarum ſurculus erat, ad Catholicos tranſiiſſet, ac Auguſtini ſcripta, ſeu epiſtolas legiſſet, quibus ſe de animæ origine dubitare fatebatur, an ſcilicet ex traduce prodirent, vel a Deo ſingulis hominibus ſingulæ darentur; utraque ſententia Victori diſplicuit, tum quod, vir tantæ famæ cujuſmodi erat Auguſtinus, animæ originem ignoraret, ac animarum propagationem veroſimiliorem eſſe credebat, tum etiam quod animæ naturam ſpiritualem omnino eſſe dixiſset Auguſtinus; quare adverſus eum duos conſcripſit libros, in quibus non ſolum Pelagianorum placita, ſed pejora etiam inſeruit, quos Petro Presbytero Hiſpano nuncupavit. Eos autem Renatus quidam monachus deſcriptos ad Auguſtinum hoc anno detulit, quos ut legit ſanctus Doctor, quatuor adverſus eos libros edidit, primum ad Renatum ipſum, alterum ad Petrum presbyterum, duos reliquos ad Victorem Vincentium. Horum primo ad Renatum ſuam de animæ natura ſententiam explicat, ac de ejuſdem origine injuria ſe a Victore reprehendi ait. Juvenilem etiam hominis arrogantiam arguit, quem in errores graves incidiſſe, dum eam quæſtionem ſolvendam ſuſcepit, oſtendit; atque ipſum, ut ſtatuat animas non ex propagine fieri, ſed novas ſingulis naſcentibus a Deo inſufflari, Scripturarum teſtimonia ambigua nec ad eam rem probandam apta proferre addit. Secundo libro Petrum admonet, ne libros de animæ origine a Victore ad ſe miſſos laudando approbet. Errores deinde Victoris varios, eoſque graviſſimos adnotat, & confutat. Petro demum ſuadet, ut Victorem ad eos corrigendos adducat. Tertio ad ipſum Victorem ſcripto, demonſtrat quænam in ſuis libris emendare debeat, ſi velit haberi Catholicus: eaque ipſius placita & paradoxa, in ſuperioribus ad Renatum, & ad Petrum libris jam con-

Auguſtini libri quatuor de animæ origine.

Auguſt. lib. 2. retract. cap. 56.

Auguſt. tom. 10. pag. 335.

JESU CHR. AN. 419. confutata, hoc tertio libro perſtringit breviter, & ad undecim errorum capita revocat. Quarto ad eumdem Victorem libro primum cunctationem ſuam de animarum origine immerito culpari, ſeque ab ipſo, quia nihil hinc definire auſus ſit, injuria pecoribus comparari demonſtrat. Deinde vero quod fidenter aſſeveravit, animam ſpiritum eſſe, non corpus, hoc temere etiam improbari a Victore, ut animam corpoream natura ſua, & ſpiritum ab ipſa anima in homine diſtinctum eſſe, inani conatu propugnet. Sed de quæſtione circa animæ originem tunc temporis magna animorum contentione agitata hactenus, de qua quidquid dici, aut diſputari poteſt, his quatuor Auguſtini libris facile lector inveniet.

De Judæo ſæpius baptizato miraculum. *Socrat. lib. 7. 17.*

30. Septimo Kal. Septemb. hujus anni Chryſantus Novatianorum epiſcopus occubuit, eique Paulus ſuffectus eſt, vir, ſi Socrati fides, non ſolum Latinæ Græcæque linguæ peritiſſimus, ſed vitæ etiam abſtinentia clariſſimus; ſub quo prodigium accidiſſe idem narrat hiſtoricus. Cum enim Judæus quidam veterator, ut pecunias corraderet ſæpius baptizatus eſſet apud Arianos & Macedonianos, tandem Novatianorum Epiſcopum Paulum adiit, ſuppliciter enixeque, ut baptizaretur, petens; Paulus vero cum aliquandiu eum jejuniis, orationibuſque probaſſet, tandem veſte candida indutum ad fontem duxit: *At aqua ſubito ex fonte exhauſta eſt*. Cumque hujus portenti cauſa ignota eſſet, baptiſmatis fons iterum, obductis undique obturatiſque foraminibus, aqua impletus eſt, ſed iterum evanuit aqua; quare Paulus ad Judæum: *O homo, aut veteratoris partes agis, aut baptiſmum ignorans recepiſti*. Ille vero rei novitate conturbatus, alias ab Attico ſe baptizatum fuiſſe confeſſus eſt. De miraculi veritate, etſi vix dubitet Baronius, multa tamen ibidem adnotat, qua ratione fieri potuerit, ut apud Novatianos miraculum accideret, cum extra Eccleſiam catholicam miracula fieri nequaquam poſſe arbitretur. Nihilominus in veritatis alicujus confirmationem edi poſſe miracula etiam extra catholicam Eccleſiam vix Theologi dubitant; quo caſu miraculo veritas confirmatur, non ſecta, atque id evidentiſſime probat auctor tractatus de miraculis Gallice ſcripti, ac duobus voluminibus Pariſiis anno 1763. editi, quem ex illuſtri Maurinorum familia fuiſſe ſcimus. Id fortaſſe mirum, quod eodem tractatu probare conatur, etiam in erroris confirmationem miracula aliquando facta, aut fieri poſſe. Quæ ſane utpote obſcura & incerta, ab aliis confutata ſunt:

Bar. an. 419. 109.

ſunt, ac nunquam id contigiſſe, aut contigere poſſe præ ceteris adverſus Clarchum Anglum probare conatus eſt Jacobus Servius Anglus in opuſculo Gallice edito: *Tractatus de miraculis* Ameſtolodami editus anno 1729. At obſcuram quæſtionem Theologis expendendam relinquimus, nobis hæc adnotaſſe, occaſione miraculi apudNovatianos auctore Socrate perpetrati, ſufficit.

31. De anno, quo Valentinianus tertius, Conſtantii, & Placidiæ Honorii Imp. ſororis filius natus eſt, diſſident chronologi, cujus natalem anno elapſo 418. Proſper & Theophanes in chronico narrant, ad labentem vero Marcellinus & Idacius; quibus ſubſcribendum eſſe omnino nos monet Pagius, ita *ut de die & anno nulla amplius eſſe poſſit dubitatio*. Hic porro Valentinianus *ſuperſtite etiamnum Honorio, nobiliſſimus dictus eſt. Quin & mortuo Honorio, disjectaque Joannis tyrannide, Romanorum Auguſtus creatus eſt*, ait Olympiodorus.

Valentinianus tertius naſcitur. *Pag. not. 73. ad an. 418.*

Phot. Cod. 80. pag. 73.

32. Tandem ad Theodoſii laudem adnotamus, eum pœnam artificibus navium debitam remiſiſſe, pro quibus Aſclepiades Cherſonenſis Epiſcopus intercеſſerat, ut reſcripto ſuo teſtatus eſt Imperator his verbis: *His, qui conficiendi naves incognitam ante peritiam Barbaris tradiderunt, propter petitionem viri reverendiſſimi Aſclepiadis Cherſonitanæ civitatis Epiſcopi, imminenti pœna & carcere liberatis, capitale tam ipſis, quam ceteris ſupplicium proponi decernimus, ſi quid ſimile fuerit inpoſterum perpetratum. Dat. CP. Monaxio & Plinta Coſſ.*

Aſclepiades Epiſ. pro reis veniam obtinet. *Cod. Theod. de pœnis leg. ult.*

JESU CHRISTI AN. 420. BONIFACII PAPÆ 3. HONORII IMP. 28. ET 26. THEODOSII JUN. 19. ET 13. COSS. THEODOSIO AUG. IX. ET FLAVIO CONSTANTIO III.

1. Cum quietam hactenus ſub Iſdegerdis Imperio vitam in Perſide duxiſſent Chriſtiani, Iſdegerdes crudelem hoc anno in eos excitavit perſecutionem, quæ & in ſequentes quoque annos ſub Vararane ſucceſſore propagata eſt, qua plurimos Cœlo Martyres tranſmiſit, & invictæ fortitudinis exempla poſteritati reliquit. De anno, quo Iſdegerdes chriſtianis bellum indixerit, deque cauſa cur perſecutionem excitaverit, multa quidem & varia ab hiſtoricis narrantur; Socrates enim, aliique a Vararane Iſdegerdis ſucceſſore adverſus Chriſtianos perſecutionem, & bellum adverſus Romanos uno eodemque tempore exci-

Iſdegerdes Chriſtianos in Perſide vexat.

Socrat. lib. 7. 18.

Agath. lib. 4. pag. 137. Procop. lib. 1. de bello Perſ. cap. 2.

excitatum fuiſſe narrat; & ſane, ſi Agathiæ fides, & Procopio; Iſdegerdes nullum adverſus Romanos ſuſcepit bellum, neque ulla eos affecit moleſtia per annos viginti & unum, quibus regnavit: *Illo vero mortuo Vararanes filius cum præeſſet Imperio, expeditionem quidem in Romanos fecit*. Quare ſi Iſdegerdes, nec bellum, nec moleſtiam toto Imperii ſui tempore Romanis intulit, Romanæ quoque religionis cultoribus infeſtus non fuit; cum præcipue bellum adverſus Romanos, & adverſus chriſtianos perſecutionem, uno eodemque tempore motam referant auctores; hinc Socrates: *Apud Perſas mortuo Iſdegerde Rege, qui Chriſtianos illic degentes nullatenus fuerat perſecutus, filius ejus Vararanes cum ſucceſſionis jure Regnum obtinuiſſet, Magorum conſilio inductus, Chriſtianos graviter exagitavit, ſupplicia ac tormenta Perſica eis infligens*. Utrum itaque ſub Iſdegerde, an ſub Vararane ſucceſſore exorta in chriſtianos fuerit perſecutio, in incerto reliquerat Baronius: Multo tamen veroſimilius eſt, perſecutionem ſub Iſdegerde, bellum vero ſub Vararane exarſiſſe, ut diſerte Theodoretus, Theophanes, aliique narrant: & ſane Cyrillus monachus in vita S. Euthymii Abbatis, ſub finem Imperii Iſdegerdis perſecutionem motam fuiſſe, diſerte teſtatur: *Initio motæ tunc perſecutionis in Perſide circa finem Regni Iſdegerdis*, ait, *cum Magi omnes Chriſtianos capere vellent &c.* Cum itaque hic ultimus Iſdegerdis annus fuerit, uno aut altero ab hinc anno initium perſecutioni eum dediſſe non eſt dubitandum, eique Abdæ ſanctiſſimi quidem Epiſcopi immoderatum zelum cauſam dediſſe narrat Theodoretus.

Bar. an. 20. n. 16. Theodor. lib. 5. 39. Pag. not. ad an. 408. not. 4. & 5. an. 420. n. 14. ad 21. Coteleri Analecta Græc. tom. 2. Theodor. lib. 5. cap. 39.

Abdas Epiſcopus Pyreum deſtruit.

2. Nam cum Abdas Epiſcopus Pyreum, ſeu Templum igni dicatum deſtruxiſſet, illud reſtaurare juſſus eſt. At ille id ſe facturum negavit; quam ob cauſam eccleſias, quæ in Perſidis Imperio erant, ſolo æquari, & Abdam Epiſcopum interfici, præcepit; cujus conſtantiam admiratur merito Theodoretus, adnotans: *Id equidem admiror, & coronis dignum judico, igni enim templum extruere non minus eſſe cenſeo, quam eumdem adorare*.

Varia tormentorum genera, quibus Chriſtiani in Perſide vexati ſunt, *Theodor. lib. 5. cap. 39.*

3. Suppliciorum vero tam variæ ſpecies fuerunt, tamque immania ſupplicia, quibus pietatis Alumni vexati ſunt, ut haud facile ſit exponere: *Aliorum enim manus, aliorum terga excoriarunt; aliorum capita, a fronte exorſi, ad barbam uſque cute nudarunt. Nonnullos ſectis per medium arundinibus*

operie-

operiebant, ipſas ſectiones corporibus applicantes, deinde, cum firmiſſimis vinculis a capite ad pedes uſque eos conſtrinxiſſent, ſingulas arundines vi extrahebant, ut vicina cute ſimul tracta, acerbiſſimum dolorem afferrent. Foveas præterea fodientes, eaſque diligenter oblinientes, magnorum murium agminibus implebant, pietatiſque Athletas eis in pabulum præbebant, manus illorum, ac pedes vincientes, ne beſtias a ſe abigere poſſent. Mures itaque, urgente ipſos fame, carnes Sanctorum paulatim depaſcebantur, diuturnum, & acerbum cruciatum eis inferentes. Alia præterea multo graviora ſupplicia excogitarunt, hoſtem generis humani, & veritatis inimicum, ductorem habentes. Nec tamen Athletarum fortitudinem frangere potuerunt. Ultro enim accurrebant, mortem, qua immortalis paratur vita, oppetere cupientes.

4. Præ ceteris vero Hormiſdæ cujuſdam inter Perſas nobiliſſimi, utpote ex Achemenidarum ſtirpe, & patre Præfecto geniti, fides, invictaque conſtantia enituit, cui cum juſſiſſet Iſdegerdes ut Chriſtum negaret, reſpondit, Regem ea imperare, quæ nec juſta eſſent, nec utilia, nam qui ſummum omnium Deum facile contemnere, ac negare didicerit, & Regem brevi moriturum facile contemnet. Quare ſi extremo ſupplicio dignus eſt, quiſquis *tua ſceptra negaverit, o Rex, quanto graviora meretur ſupplicia, qui Deum hujus univerſi conditorem negat*; tum fortiſſimum Chriſti Athletam divitiis honoribuſque ſpoliatum, ſolo ſubligaculo tectum, camelos Regis ducere deſtinavit, quo munere cum fungeretur, multis poſt diebus accidit, ut eum Rex videret Solis radiis peruſtum, & pulvere oppletum, ac paternæ nobilitatis memor, lineam tunicam eum induere juſſit. Nec multo poſt cum ex toleratis ſuppliciis fractum, aut melioris fortunæ ſpe allectum Rex cenſeret, ejuſdem conſtantiam iterum aggreſſus: *Nunc tandem*, inquit, *abjecta illa contentione, fabri filium pernega*. Hormiſdas vero, tunicam coram Rege projiciens, reſpondit: *Si hujus cauſa me a pietate receſſurum exiſtimas, habe tibi munus tuum cum impietate*, cujus animi conſtantiam admiratus Rex, eum nudum ex Imperii ſui finibus ejecit.

Hormiſdæ certamen & fidei confeſſio.

5. Suenis etiam fides merito commendatur, qui cum mille ſervos poſſideret; eo quod chriſtianæ Fidei renunciare recuſaverit, ſervorum omnium nequiſſimo ſervire juſſus eſt:

De Suenis invicta conſtantia.

 eodem-

Jesu Chr. An. 420.

Benjamin Diaconi conſtantia, & martyrium.

eodemque fidei zelo incenſus Benjamin Diaconus martyrium ſubiit, nam in carcerem conjectus, ac inde paulo poſt dimiſſus, cum Chriſti fidem undique prædicare non ceſſaret, paulo poſt iterum tentatus, ac Chriſtum negare juſſus, cum renuiſſet, inauditis tormentorum generibus excruciatus occubuit; viginti etenim acutæ arundines digitis manuum, pedumque primo infixæ ſunt, aliam deinde genitali membro introducentes extrahenteſque, incredibili cruciatu vexatus, tandem craſſo ſtipite cum ramis cohærentibus per anum conjecto, animam inter tormenta generoſus athleta exhalavit. Sed præter hæc alia innumerabilia ab impiis illis ſunt perpetrata, ait Theodoretus, eademque ſub Isdegerdis filio ſequentibus annis renovata ſunt. *Nam Cororanes Isdegerdis filius*, ſeu Vararanes, *poſt patris obitum, una cum ejus Regno bellum quoque adverſus pietatem, quaſi hæreditario jure tranſmiſſum ſuſcepit, & ipſe moriens utrumque ſimul junctum filio tradidit*; hinc Auguſtinus circa annum 428., quo libros de civitate Dei abſolvit, de eadem Perſica perſecutione agens, an penitus extincta eſſet, ſe ignoraſſe teſtatur: *Quid modo in Perſide? nonne in Chriſtianos ferbuit perſecutio, ſi tamen quievit, ut fugientes inde nonnulli uſque ad Romana oppida pervenerint.*

Auguſt. de civit. Dei lib. 18. cap. 12.

De Jacobi intercisi martyrio.

Niceph. lib. 14. cap. 19. 20.

Surius tom. 6. & 7.

6. Inter martyres Perſicæ perſecutionis Jacobus interciſus dictus, eo quod minutatim fere ſectus ſit, numeratur, cui manus primum, deinde pedes ceteraque membra paulatim amputata fuere, ac tandem capitis decollatione martyrium conſumavit. Is cum Chriſtianus antea fuiſſet, ne Isdegerdis Regis amicitiam amitteret, paternam religionem abjecerat. At a matre & conjuge admonitus ad fidem Chriſti rediit, pro eaque Martyr occubuit, cujus acta fuſiora quidem apud Surium habentur, at mutila adhuc & interpolata, ſi cum iis conferantur, quæ ex Codice Chaldaico Nitrienſi in ſua collectione actorum Martyrum Orientalium inſeruit eruditiſſimus vir Evodius Aſſemannus Archiepiſcopus Apamenſis, biblioth: Vaticanæ Præſes: nonnulla etiam in præfatione adnotans de Jacobi martyrio, & cultu, quem anno 421. die 27. Novemb., ſecundo Regni Vararanis, martyrium pertuliſſe demonſtrat.

De bello Perſico, ejuſque cauſis.

Socrat. lib. 7. 18.

7. Quo tempore Chriſtianam fidem Isdegerdes perſequebatur, adverſus Romanos bellum geſſiſſe narrant hiſtorici. Diſſidii non unam interceſſiſſe cauſam obſervat Socrates, atque impri-

imprimis cum Chriſtiani perſecutionis cauſa turmatim ad Romanos tranſirent, legatos Isdegerdes ad Theodoſium miſit, qui fugitivos repeterent. At Romani eos, qui ad ſe confugerant, reddere, ac Perſis prodere recuſarunt, quævis ſuſtinere parati, & bellum gerere, quam pati ut chriſtiani miſere perirent: *Atticus*, præcipue CP Epiſcopus, *ſupplicantes benevole excepit, omnique ſtudio enitebatur, ut pro virili parte eis ſuccurreret. Imperatori etiam Theodoſio ea quæ acciderant ſignificavit*. Huic aliæ ſimultatis cauſæ adſuerunt, tum quod Perſæ Aurifoſſores, quos a Romanis acceperant, reſtituere recuſarent, cum etiam quod Romanis mercatoribus merces abſtuliſſent; ſed de cauſis belli Perſici hactenus, de cujus exitu anno ſequenti agemus.

Jesu Chr. an. 420.

Hieronymi obitus, & ætas

8. Cum decrepitam pene ætatem attigiſſet Hieronymus, hoc anno laboribus meroreque ob Euſtochii obitum, ut anno proximo diximus, confectus, vivere deſiit. *Theodoſio IX. & Conſtantio III. Coſſ. pridie Kal. Aprilis*, ait Proſper in Chronico, ac addit anno nonageſimoprimo ætatis ſuæ occubuiſſe, cui conſentit Gennadius in catalogo virorum illuſtrium, a Mabillonio editus, quo legitur: *Nonagenarius ferme, ut perhibent, poſtea in Domino requievit, quem Stridon oppidum genuit, Roma erudivit, Bethlem alma tenet, ſpiritum aula cæleſtis ſuſcipit*. In Hieronymi autem vita, quam eidem Gennadio inſcribendam cenſuit Mabillonius, idem auctor Hieronymi annos computans octogeſimumnonum attigiſſe adnotat, non vero 79, ut legit Baſnagius. At Pagius, & Valarſius vitæ Hieronymi compilator ac operum ejuſdem noviſſimus editor, vitam a Mabillonio vulgatam, Gennadio nequaquam inſcribendam putant; ac de Hieronymi ætate multum detrahunt, quem anno 78 obiiſſe ſcribit Baronius. Valarſius vero anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quarto occubuiſſe Hieronymum ſcribit, ac plurima, quæ de ſe ipſo ſcribit Hieronymus, quibus grandiorem ætatem ſuam, aut ſenectutis incommoda, exagerando deſcribit, facile explicat: quo etiam ſenſu eum in decrepita ætate obiiſſe ſcripſerat Auguſtinus, quare de ejuſdem annis plura non addimus. Cetera de ejuſdem geſtis & obitu, quæ ſub nomine Euſebii fabulator quidam narrat ad Damaſum Portuenſem Epiſcopum ſcribens, aut ab aliis, qui tanti doctoris vitam fabulis exornarunt, Cardinalatus etiam honore decorantes, conſulto præ-

Mabilli analect. tom. 2. pag. 42.

Tom. 4. analect. pag. 193.

Auguſt. contra Julian. lib. 1. cap. 7.

JESU CHR. AN. 420.

præterimus, ne lectores fruſtra fatigemus, aut annales noſtros his mercibus deturpemus. Quæ potiora certioraque ſunt ſuis locis adnotavimus. Qui plura cupit Martianeum Monachum ex Maurina familia, aut Valarſium adeat. Hoc unum addere juvat Bethleem, ubi longo tempore vixerat, ſepultum fuiſſe, deinde Romam translatum in baſilica S. Mariæ ad Præſepe reconditum, quem certe omni diſciplinarum genere inſtructum fuiſſe, ſtupendæque eruditionis exornatum nemo ignorat; ut & Mundi magiſter, ob præclaras innumeraſque fere lucubrationes, quibus Eccleſiæ doctrinam illuſtravit, a S. Proſpero dici meruerit, in carmine de ingratis:

Hebræo ſimul & Grajo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, Mundique magiſter,

Quæ tanquam ſepulchrali Epitaphio ſint; quod ſi aliquando ſanctiſſimo viro nonnulla exciderunt, in clariſſimos viros aſperiora, aut minus exacta, diſputationis æſtui, ferventiorique ingenio adſcribenda ſunt, aut ex aliis ejuſdem ſancti Doctoris locis explicanda, de quibus nonnulla ſuis locis adnotavimus, pluraque apud Martianeum, Vallarſium Hieronymi editores videri poſſunt.

Chryſoſtomi nomen dypticis inſeritur.

9. Poſt Chryſoſtomi exilium ejuſque obitum, interrupta remanſerat eccleſiaſtica communio Orientalem inter & Occidentalem eccleſiam, ipſaque CPolitana eccleſia diviſa ſchiſmate perſeveravit; cum plurimi, qui Joannis partes ſequuti fuerant, ejus memoriam venerantes Joannitæ etiam dicti: Arſacii æque ac Attici communionem refugientes, ſeparatim conventicula celebrarunt. At tandem anno 420. Atticus, ut Romani Pontificis communionem promereretur, ac CPolitanum ſchiſma tolleret, Chryſoſtomi nomen dypticis inſeruit. *Poſt mortem magni doctoris*, ideſt Chryſoſtomi, ait Theodoretus, *Occidentales epiſcopi, Epiſcoporum Ægypti, & Orientis, & Boſphori ac Thraciæ communionem non prius admiſerunt, quam divini illius viri nomen, una cum reliquis fato functis Epiſcopis conſignaſſent, & Arſacium quidem, qui poſt illum ordinatus eſt, ne ſalutare quidem dignati ſunt. Atticum vero Arſacii ſucceſſorem, qui multas ad ipſos legationes miſerat, & pacem cum ipſis*

Theodor. lib. 5. cap. 34.

ipſis habere poſtulaverat, tandem ſuſceperunt, poſtquam is nomen illius in ſacras tabulas miſiſſet. Omnium primus præſtantiſſimi Joannis nomen eccleſiaſticis tabulis inſcripſerat Alexander Antiochenus Epiſcopus, uti ſupra adnotavimus, idque expreſſe juſſerat Innocentius, ut eidem, vel Acacio Bereænſi Epiſcopo ſuam impertiretur communionem, cujus ea de cauſa plurimæ extant epiſtolæ, quarum altera ad Maximianum Macedoniæ Epiſcopum, ſe mirari teſtatur, quod ad Atticum CP ſcripſerit, cum quo ſuſpenſa erat communio, nec reſtitui poterat, niſi Joannis nomen dypticis reſtitutum fuiſſe, miſſa legatione, probaret: quare Atticus, ut eos, qui Joannis cauſa diffidebant, ſibi ſociaret, & Rom. eccleſiæ communionem, benevolentiamque mereretur, Chryſoſtomi nomen dypticis inſeruit, ejuſque memoriam in ſacris conventibus fieri juſſit: cujus extat epiſtola ad Cyrillum Alex. Epiſcopum, qua rei geſtæ rationem reddit, ac vel invitum ad id deveniſſe narrat; inter cetera: *Cum nonnulli*, inquit, *nomen tantum beati Joannis in myſticis tabulis inſcribi vellent*, *Beatus Epiſcopus Alexander*, Antiochenus Epiſcopus, *CPolim venit*, *& multa ore confidenti verba fecit*, *vehementerque excitare populum voluit*, *ut vel nobis invitis*, *neceſſario ejus quem diximus nomen ita inſcriberetur &c.* atque ut idem ageret Cyrillum hortatur. *Quamobrem ipſe quoque Ægypti eccleſiis*, *eccleſiarum Orbis totius pacificandarum gratia*, *ut mortui illius nomen inſcribant*, *præcipe &c.*

JESU CHR. AN. 420. *Anno* 413.

Epiſt. Innocentii 21. *ad* 22. 23. 24. *Coutan. pag.* 843.

Niceph. lib 14. *cap.* 26.

10. At Cyrillus, qui non ſolum in ſede Alex. Theophylo ſucceſſerat, ſed odii quoque in Joannem hæres fuerat, ejus nomen inter Epiſcopos reſtitutum fuiſſe ægerrime tulit, factumque Attici longiori epiſtola improbavit: atque ut geſta contra canones emendaret, etiam atque etiam rogavit, labem inde Theophilo patruo ſuo inferri facile intelligens, quaſi injuria Chryſoſtomum exauctoraverit, ac ut Arſacio Joannis ſucceſſori honorem ſervaret, admonet, nec Apoſtolorum cœtui Judam inſcriberet, atque in ſententia ſua obſtinate perſeveravit, uſque dum Iſidori Peluſiotæ monitu, & divina revelatione edoctus, Joannem ſacro in Antiſtitum albo inſcripſit; quare *Cyrillus quidem*, ait Nicephorus, *de ſacro Chryſoſtomo ſcripſit & ſentit præſumptæ opinioni inſerviens*, *quam dudum patruum ſuum Theophilum ſecutus conceperat* ...... *Aliquanto poſt*

Cyrilli epiſt. ad Atticum de non reſtituendo Joannis nomine.

Niceph. ut ſup. cap. 27.

Lib. 14. 28.

Jesu Chr. an. 420.

poſt cum magno illo viro etiam poſt mortem ejus in gratiam rediit, erroremque ſuum correxit, eum cum multis aliis concitantibus, tum maxime Iſidoro Peluſiota, nunc reprehenſione, nunc admonitione eum cohortante. Extat Iſidori epiſtola ad Cyrillum data, qua rogat, ut mortuum tandem perſequi deſinat: *Ut ergo*, inquit, *& ego non judicer, ipſeque non judiceris a Deo, depone contentiones ob injuriæ propriæ ultionem, quam tibi a mortuo deberi putas, ne viventem eccleſiam diſſipes, ut æternam diſſenſionem ei ſub prætextu pietatis concinnes &c.*

Iſidori lib. 1. epiſt. 370.

Cyrillus cum Chryſoſtomo reconciliatur

11. Qua victus tandem ratione Cyrillus, & auctoritate, Chryſoſtomi memoriam venerari cœperit, his verbis addit: *Non ſolum litteris Iſidori, ſed & divina etiam, & ſecretiore quadam revelatione accedente correxit. Videre namque viſus eſt, ſe ipſum ſacris ædibus expulſum a Joanne, comitatu & divino quod circa eum erat ſatellitio maxime freto, & Matrem Domini pro ipſo deprecantem, atque cum multa etiam alia, tum illud præcipue, quod pro ipſius gloria plurimum ille decertaret, ſicut dicetur, referentem, ut in ſacra Templa reciperetur. Hanc viſionem cum Sanctus Cyrillus cogitabundus animo ſecum volveret, ſe ipſum, quod in ſanctum virum invectus eſſet, damnavit, & deinde ipſe quoque recognita ..... diverſum omnino a priore conſilio faciens, ſynodum provincialem coegit, & Joannis nomen ſimul & ipſe, & reliqui magnarum ſedium Antiſtites in ſacro albo propoſuerunt*. Quo anno Cyrillus ad meliora revocatus, Joannis memoriam honore debito proſequi incœperit, non conſtat; hoc tamen vel ſequenti Atticum in ſacrorum Antiſtitum albo Chryſoſtomum inſcripſiſſe non eſt dubitandum, cujus deinde exemplum paucis ab hinc annis ſecutus eſt Cyrillus.

Alexandri Antioch. Epiſt. obitus, cui ſuccedit Theodotus.

Pagi not. ad an. 411. not. 17. & ad an. 420. not. 22. 23. 24.

Theod. hiſt. relig. lib. 1. 37.

Theodor. epiſt.

12. Ex epiſtolis autem Attici ad Cyrillum, & Cyrilli ad Atticum, hoc vel ſequenti anno datis, conſtat Alexandrum Antiochenum Epiſcopum hoc circiter anno occubuiſſe, cui Theodotus ſucceſſit; cujus cum laude meminit non ſemel Theodoretus: *S. Alexandro vita defuncto, Theodotus continentiæ velut margarita, eccleſiæ Præſulatum obtinuit, vir manſuetudine inſignis & accuratæ vitæ inſtitutione egregie exornatus, qui Appollinarianam ſectam,* cum reliquo Chriſti grege conjunxit; & in epiſtola ad Dioſcorum de eodem Theodoto: *Ego docens tem-*

tempore B. memoriæ Theodoti Antiocheni Epiſcopi, qui tum vitæ ſplendore polluit, & fulſit, tum etiam divinorum eloquiorum cognitione &c.

13. Inter plurima, quæ adverſus eccleſiam catholicam, & Auguſtinum originale peccatum defenſantem a Pelagianis objicerentur, nuptias eum damnare jactitabant, idque commentariolo ad Valerium Comitem dato adſtruere conati fuerant, quod ſcriptum cum una cum Valerii epiſtolis accepiſſet Auguſtinus, continuo ad eum librum primum de nuptiis, & concupiſcentia inſcripſit, una cum epiſtola, libro præfixa, qua eum ob conjugalem etiam continentiam laudat: totus vero liber in eo eſt, ut nuptiarum bona tueretur, concupiſcentiam tamen malum eſſe probet, quo bene ad procreandos liberos conjugalis pudicitia utitur; ex concupiſcentia tamen fieri, ut ex legitimis etiam nuptiis, non filii Dei, ſed filii ſeculi generentur peccato obſtricti, ac ſub Diabuli poteſtate captivi, uſque dum Chriſti gratia per baptiſmum liberentur. Auguſtini librum cum accepiſſet Julianus, quatuor libris confutandum ſuſcepit; cumque excerpta quædam ex libro primo Juliani Valerio Comiti data fuiſſent, ille quantocius ad Auguſtinum miſit, rogans, ut iis reſponderet, unde factum eſt, ut alterum de nuptiis & concupiſcentia librum eidem inſcriberet, contra quem Julianus octo alios nimia loquacitate conſcripſit. Hoc altero de nuptiis & concupiſcentia libro, non ſolum ſententias ex libro primo Juliani excerptas confutat Auguſtinus, ſed etiam catholicum de originali peccato dogma vindicat, calumnias argutiaſque adverſariorum refellit, ac a nefaria Manichæorum hæreſi Eccleſiæ fidem longe abeſſe demonſtrat. Hunc librum Alypius, cum iterum labenti anno in Italiam trajeciſſet, Valerio detulit, ut idem teſtatur Julianus ad Florum Pelagianum ſcribens: *Quia id impendio popoſciſti, immo indixiſti auctoritate patria, ut libro tractoris Pœni*, ideſt Auguſtini, *quem ad Valerium Comitem Vernula peccatorum ejus Alypius nuper detulit &c.*

Auguſtini libri de nuptiis, & concupiſcentia.

Auguſt. epiſt. 200., & de nuptiis & concupiſc. tom. 10. pag. 278.

Auguſt. tom. 10 pag. 301. præfat. in op. imperf. epiſt. 207.

Julian. apud Auguſt. op. imperf. lib. 1. 8.

14. Una cum libro altero de nuptiis, & concupiſcentia ad Valerium, quatuor alios contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam, idem Alypius detulit; cum etenim biennio ante Romæ eſſet Alypius, Pelagianorum epiſtolas a Bonifacio Papa acceperat, ad Auguſtinum deferendas, ut

Auguſt. libri 4. contra duas epiſt. Pelag. ad Bonifacium Papam.

Jesu Chr. an. 420.

Proſper. adverſ. collat. prope finem.

ut eas cum ceteris Pelagianorum libris confutaret. Unde Sanctus Proſper: *Sanctæ memoriæ Bonifacius, cum eſſet doctiſſimus, adverſus tamen libros Pelagianorum beati Auguſtini Epiſcopi reſponſa poſcebat*; qua autem humanitate non ſolum Alypium exceperit, ſed & in Auguſtinum amicitiæ, benevolentiæque ſigna, cum eodem Alypio ſermonem miſcens, dederit, ipſe Auguſtinus præfatione in libros ad Bonifacium teſtatur: *Noveram te quidem*, ait, *fama celeberrima prædicante, & frequentiſſimis atque veraciſſimis nuntiis quanta eſſes Dei gratia plenus acceperam, beatiſſime atque venerande Papa Bonifaci. Sed poſteaquam te etiam præſentia corporali frater meus vidit Alypius, acceptuſque a te benigniſſime ac ſinceriſſime, mutua miſcuit dictante dilectione colloquia, tecumque convivens, & parvo licet tempore, magno tibi junctus affectu, ſe ſimul & me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in ſuo, tanto major in me tuæ ſanctitatis eſt facta notitia &c.* His addit ſe Pelagianorum, ſeu Juliani duas epiſtolas accepiſſe, quarum primam Romam vulgari curaverat, alteram octodecim etiam epiſcoporum nomine ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum direxerat, ut non ſolum quos poſſet Romæ, & in Italia incautos deciperet, ſed etiam Orientales Epiſcopos adverſus Occidentales, qui cum Zoſimo Pontifice, & Bonifacio, Pelagianos condemnaverant, ſollicitaret, innumeras quippe iis in epiſtolis adverſus eos calumnias inſeruerat, Manichæiſmi præcipue labe eos infectos eſſe blaterans, quas Auguſtinus refellit, & primo quidem libro, quam Romæ Julianus vulgandam curaverat, refellit, tribus ſequentibus alteram ad Rufum Theſſalonicenſem datam excutit. Hos libros, cum iterum Romam rediiſſet, Alypius detulit, ut idem Julianus eſt teſtis. *Sicut in his libris*, ait, *quos nunc per Alypium ad Bonifacium miſiſti, dic captivum eſſe arbitrium, quod nos liberum dicimus*. Roma deinde relicta, Ravennam contenderat Alypius, ut Valerio alterum Auguſtini librum de nuptiis, & concupiſcentia offerret; quod in crimen etiam atque in invidiam Pelagiani traxerunt, Auguſtinum æque ac Alypium, quem Julianus vernulam peccatorum Auguſtini dixerat, accuſantes, quod frequentioribus ad tranſmarina, & ad Honorii aulam peregrinationibus, auro, doniſque Proceres corrumpere curaverint, ut in Pelagianos duriora ab Imperatore decernerentur.

Auguſt. contra epiſt. Pelag. lib. 1. cap. 1. tom. 10. pag. 412.

rentur. *Criminabatur ille*, ideſt Julianus, *Alypium*, ait Auguſtinus, *hac profectione octoginta & amplius equos tota Africa ſaginatos tribunis adduxiſſe*. Poſt multa ad eamdem calumniandi cauſam: *Cur ergo*, ait, *tantis totam Italiam factionibus commoviſtis? Cur ſeditiones Romæ conductis populis excitaſtis? Cur de ſumptibus pauperum ſaginaſtis per totam pene Africam equorum greges, quos proſequente Alypio tribunis & centurionibus deſtinaſtis? Cur matronarum oblatis hæreditatibus poteſtates ſæculi corrupiſtis, ut in nos ſtipula furoris publici arderet? Cur diſſipaſtis Eccleſiarum quietem? Cur religioſi Principis tempora perſecutionum impietate maculaſtis?* Sed Juliani calumnias atque inſignem impudentiam Auguſtinus hac reſponſione retundit: *Aut calumniaris, aut neſcis quid loquaris: & ideo aut mendax, aut temerarius iſta loqueris. Quid te autem nequius, ſi hæc ipſe finxiſti? quid ſtolidius, ſi fingentibus credidiſti?* Tandem improbam Juliani dicacitatem rurſum caſtigans, ait: *Sicut falſa ſunt crimina, quæ objicis nobis: ita falſa ſunt dogmata, quæ fingitis*.

Jesu Chr. an. 420.

Op. imperf. lib. 1. n. 42. & 71.

Auguſt. vita pag. 437.

15. Quatuor Juliani libros, adverſus librum primum de nuptiis & concupiſcentia ab Auguſtino vulgatum, nondum viderat S. Doctor, cum ex iis excerpta, ac ſibi tranſmiſſa in libro altero de nuptiis & concupiſcentia confutaverat; cum autem non multo poſt Juliani libros a Claudio Epiſcopo accepiſſet, libros ſex contra Julianum ſcripſit, quibus tum Juliani contumelias in ſe ipſum, ac Manichæiſmi calumniam in Catholicos refellit, ejuſque ſophiſmata, ac deliramenta demonſtrat; opus tanto labore diligentiaque elaboratum, ut cum in ceteris adverſus Pelagianos editis libris mirabilis fuerit Auguſtinus, in hoc, ut ait Noriſius, *divinus apparuit*. *In reliquis lucubrationibus haſtatis pugnaſſe viſus eſt; in hac vero univerſum triariorum robur emiſit*; & ſane horum auctoritate librorum pene ſe victum ſenſus eſt Julianus, nihil contra eos ſcriptitare auſus. Id vero adhuc mirabilius eſt, eo tempore Auguſtinum tot aliis diſtractum fuiſſe occupationibus, aliiſque opuſculis digerendis intentum, nam hocce triennio, non ſolum intermiſſa volumina de Civitate Dei, de Trinitate perſecutus eſt, ſed etiam contra Arianos, Donatiſtas, Marcioniſtas, alioſque hæreticos, libros exaravit; quorum catalogum libro altero Retractationum exhibet, de quibus plura in Auguſtini vita libro octavo videri poſſunt.

Auguſtinus libros ſex contra Julianum vulgat.

Epiſt. 207. retract. lib. 2. 62.

Noris hiſt. Pelag. lib. 1. p. cap. 21.

Auguſt. op. tom. ultimo.

Jesu Chr. an. 421.

JESU CHRISTI an. 421. Bonifacii Papæ 4. Honorii Imp. 29. 27. Theodosii Jun. 20. et 14. Coss. Agricola et Eustachio.

Theodoſii junioris cum Eudoxia nuptiæ.

1. Cum pubertatem jam exceſſiſſet Theodoſius Imp. ac annum vigeſimum ingreſſus eſſet, Pulcheriam ſororem ſæpe interpellaverat, ut ſibi uxorem, eamque pulcherrimam quæreret; quod ſi ex ſanguine regio non eſſet, *non curo*, ajebat, *dignitatem, non ſtirpem regiam, non opes, modo laudatiſſima ſit forma, quocumque ſtatu ſit edita, hanc expecto*. Fratri ut gratificaret Pulcheria Auguſta, per omnes Imperii provincias, puellam formoſiſſimam inquirendam juſſerat, ac tandem qualem exoptaverat invenit. Heraclitus quidam philoſophus Græcus, Leontius etiam ab aliis dictus, duos filios Valerianum & Geſium, ſeu Geneſium moriens ex aſſe hæredes teſtamento reliquerat, Athenaidi filiæ centum tantum nummos; cui ſatis dotis eſſe ajebat in elegantiori corporis forma, præſtantiorique philoſophiæ ſtudio: patre mortuo, Athenais fratres rogavit, ut ſibi partem hæreditatis darent, at illi a patre prætermiſſam, domo quoque ejecerunt. Quare CPolim tranſiens, ac Pulcheriæ exhibita, ut dotem a fratribus acciperet, Pulcheria virginis venuſtatem, eruditionemque admirata, in Palatio eam cum matronis cuſtodiri juſſit, ac ad fratrem Theodoſium ingreſſa, adoleſcentulam virginem forma mirabilem, ac litteris eruditam ſe inveniſſe nunciavit, qui ſtatim videndi deſiderio exardeſcens ſororem rogavit, ut eam coram ſe ſiſteret: quam ut vidit, adamavit, atque in chriſtianæ Religionis diſciplina edoctam, Gentilis etenim erat, uxorem duxit, *quam ex Athenaide Eudoxiam nominavit Atticus*, ait Socrates. Nuptiarum diem & annum adnotat auctor Chronici Alex. ſub hujus anni Coſſ. *Hoc anno*, inquit, *Theodoſius Aug. accepta in conjugem Athenaide, dicta Eudocia, celebravit nuptias menſe Deſio VII. idus Iunias; iiſdemque nuptiis Circenſes ludi & ſcenici in theatro Circi acti ſunt eo menſe Deſio III. idus Junias*. Athenaidis ſive Eudociæ fratres, ut eam regnare intellexerunt, Helladem fugerunt; at illa revocatos bono animo eſſe juſſit, ac ad primas evexit dignitates, Geſium ſcilicet ſeu Geneſium Præfectum Prætorii Illyrici, Valerium ſeu Valchrianum magiſtrum Palatii deſignans; dicebat enim Auguſta: Niſi paterna domo

Socrat. lib. 7. 21.

domo ejecta fuiſſem, nunquam CPolim veniſſem; nunquam imperaſſem.

JESU CHR. AN. 421.

Romanorum de Perſis victoriæ. Socrat. lib. 7. 18. 19.

2. Interea cum Romanos inter & Perſas bellum vigeret, ut anno proximo diximus, Dei beneficentia, ac *Chriſto pœnas de Perſis exigente, quod plurimos cultores Numinis interemiſſent*, factum eſt, ut cuncta proſpere Romanis cederent, ſæpiuſque Perſas profligarent; nam inprimis miſſo cum exercitus parte Ardaburio Azazonem provinciam vaſtavit, ac Narzeum, commiſſa pugna, fugavit, quem etiam tota Meſopotamia expulit, atque cum Niſibim utriuſque Imperii conterminam veniſſet Narſeus, Ardaburium rogavit, ut de bello gerendo inter ſe paciſcerentur, & locum & diem pugnæ ſtatuerent, cui Ardaburius: *Non quando tu volueris, pugnaturi ſunt Romani*. Eo nihilominus ingraveſcente bello, cum Theodoſius, ac cives CPolitani non ſine metu & anxietate eſſent, ac omnem in Deo victoriæ ſpem poſuiſſent, divina revelatione confirmatos fuiſſeSocrates narrat. Ac cum omnis belli apparatus Niſibim translatus eſſet, quam Romani obſidebant; Vararanes Rex Perſarum immenſam Seracenorum copiam illuc duxit, quorum operaRomanos captivos ſe ducturum, ac brevi Antiochiam Syriæ occupaturum ſperabat. At longe aliter res accidit, nam immiſſo divinitus terrore, Romanos jam irruere exiſtimantes, nec quo aufugerent invenientes, *ſe ſe in fluvium Euphratem armati ut erant præcipitarunt; ibi centum circiter hominum millia aquis ſubmerſa interierunt*. Jam vero cetera a Romanis preclare geſta longum eſſet recenſere, ait Socrates, quomodo ſcilicet Areobindus Romanorum dux fortiſſimum Perſarum ſingulari certamine ſuperavit, aut Ardaburius ſeptem Perſarum duces inſidiis circumventos occiderit; vel quomodo Vitianus reliquas Seracenorum copias profligaverit. Non eſt tamen prætereundum, quod cum Theodoſius legatos ad Perſarum Regem miſiſſet, ut de pace ineunda agerent; facile Perſarum Rex admiſiſſet, niſi eum milites, qui apud Perſas ob militarem virtutem immortales dicebantur, alienaſſent; horum numerus decem millium erat, qui Romanos facile ſe delere poſſe arbitrabantur; a Procopio tamen Romanorum duce a tergo aggreſſi, omnes pene interempti ſunt, atque *in hunc modum, qui immortales a Perſis dicebantur, mortales eſſe convicti ſunt* Clade accepta, deſperatis quodammodo rebus, Perſarum Rex Romanorum legatos admiſit, pacemque firma-

Socrat. lib. 7 20.

JESU CHR. AN. 421.

firmavit; eodemque tempore *perſecutio, quæ adverſus chriſtianos excitata fuerat in Perſide, conquievit; quod quidem contigit conſulatu Honorii tertiodecimo, & Theodoſii decimo, anno quarto Olympiadis trecenteſimæ*, ait Socrates, ideſt anno ſequenti 422. Lætos de Perſarum victoriis nuncios Palladius quidam Theodoſio attulit, tanto animi ſimul, ac corporis vigore præditus, tantaque equos publicos agitandi peritia, ut intra tridui ſpatium ad ea loca perveniret, quæ Perſarum & Romanorum regionem diſterminant; ac rurſus totidem diebus CPolim rediret.

Socrat. lib. 7. 18.

Eunomius Theodoſiopolis Epiſc. vindex blaſphemiæ.

Theodor. lib. 5. 37.

3. Theodoretus etiam divinitus victoriam fuiſſe impertitam invicto confirmat argumento; cum etenim rupto repente fœdere, in finitimas provincias irrupiſſent Perſæ, nec Romanorum ullus adeſſet, qui opem ferret, *Deus miſſo imbre vehementiſſimo, & ingenti, ulterius eos progredi vetuit, & aquarum curſum inhibuit; adeo ut viginti dierum ſpatio totidem ſtadia conficere haudquaquam potuerint*. Illuſtrius eſt, quod ſequitur, nam cum Gororanes, ſeu Vararanes Perſarum Rex Theodoſiopolim triginta & ultra dies obſediſſet, omneſque machinas, teſtudineſque adhibuiſſet, ſolus ei reſtitit Eunomius Epiſcopus, urbemque ſervavit; cumque Regulus quidam, qui Perſarum Regi parebat, more ſuo blaſphemare auſus fuiſſet, ut olim Rapſaces, & Sennacherib, divinus ille vir, rabiem illam ferre non valens, *unam ex baliſtis, cui nomen Apoſtoli Thomæ inditum erat, ad pinnam muri ſtatui juſſit, cumque ingentem lapidem ei imponi præcepiſſet, mox in nomine ejus qui blaſphematus fuerat, emitti mandavit, qui recta in impium illum Regulum delatus, & in impurum os ejus impactus, & vultum comminuit, & totum caput contrivit, cerebrum demum humi diſperſit*. Quod cum vidiſſet is, qui exercitui præerat, continuo ſoluta obſidione diſceſſit, ſe victum confeſſus, metuque perculſus.

Simeon Stilita Perſarum furorem avertit.

Theod. hiſt. relig. cap. 26.

4. Precibus quoque Simeonis Stylitæ, Perſarum rabiem compreſſam fuiſſe idem Theodoretus narrat; cum etenim duas in viſione virgas vidiſſet, quibus orbis Romanus vexandus erat, Perſicam, & Schythicam gentem, Orientale atque Occidentale Imperium vaſtaturas iis ſignis ſignificatas fuiſſe dixit: *Multiſque lacrymis & precibus repreſſit plagas, quibus intentabantur minæ in Orbem terrarum*. Gens quippe Perſarum ad invadendos Romanos armata, & parata eo tempore erat, *quæ adverſan-*

verſante divina voluntate a cœpto eſt retardata, & intrinſecus in malis propriis occupata. His addit tantam fuiſſe Simeonis, vel apud Perſarum Regem exiſtimationem, ut ejus uxor oleum ab eo benedictum pro maximo dono habuerit; Iſmaelitarum etiam Regina, miſſa legatione, ſanctum virum precata eſt, ut ſibi a Deo ſuo prolem impetraret, cum hactenus ſterilis fuiſſet; cumque voti compos effecta eſſet, ac filium peperiſſet, una cum eo Simeonem adiit, ut tanti viri benedictione dignaretur, ait Theodoretus.

Acacius Amidæ Epiſcopus Perſas captivos redimit. *Socrat. lib. 7. 21.*

5. Nec armis ſolum Perſas hac tempeſtate Romani vicerunt, ſed etiam charitatis officiis, cujus inſigne exemplum refert Socrates de Acacio Amideno Epiſcopo, qui ſeptem militum millia Perſarum, qui in devaſtatione Agagenæ provinciæ captivi a Romanis facti fuerant, quique inedia & fame interituri erant, venditis etiam eccleſiæ vaſis aureis, pretioſiſque ſupellectilibus redemit, pavit, ac liberos ad Perſarum Regem remiſit, quo admirabili facinore motus Rex Perſarum, & admiratus, Acacium Epiſcopum videre concupivit, idque Theodoſio Imperatore annuente obtinuiſſe addit. Cumque ob tam illuſtres de Perſis victorias, multi eloquentia præſtantes viri orationes compoſuiſſent, ac in publicum recitaſſent; ipſa Imperatoris uxor Eudoxia, utpote litterarum omnium genere a patre edocta, heroico verſu Imperatoris victoriam celebravit; pax vero inter utrumque Imperium anno ſequenti firmata eſt, ut Marcellinus in chronico, & Socrates narrant.

Socrates lib. 7. 20.

Theodoſii vivendi ratio, ac in Deum pietas. *Socrat. lib. 7. 22.*

6. Quibus autem animi dotibus Theodoſius junior exornatus fuerit, quantave in Deum pietate fulſerit, ejuſdem geſta demonſtrabunt, de quibus hæc adnotat Socrates. Cum in Imperio natus & educatus eſſet, adeo tamen prudens fuit, ut qui cum eo colloquebantur, tantarum rerum ſcientiam eum adquiſiſſe mirarentur; corpus vero in ipſo juventutis flore ita domavit, ut algorem pariter & æſtum generoſo animo ſuſtineret; jejunaret etiam frequenter, ac præſertim quarta & ſexta feria; denique palatium ſuum ſic inſtituit, ut a monaſterio vix diſcreparet. Matutino etenim tempore ipſe una cum ſororibus ſuis hymnos in Dei laudem alternis vocibus recitare conſueverat: ac ſacræ Scripturæ libros memoriter callebat; *Et cum Epiſcopis, qui ipſum adierant, tanquam veteranus quidam ſacerdos de iiſdem diſſerebat. In colligendis autem divinis libris eorumque interpretibus, longe majorem adhibuit diligentiam, quam*

JESU CHR. AN. 421.

quam Ptolemæus olim Philadelphus. Philoſophiam etiam non verbis tantum laudabat, ſed re ipſa exercebat, iram ac dolorem comprimens, ac voluptatem devitans. Clementia autem, & humanitate ita excelluit, ut *neminem unquam, qui ipſum injuria affeciſſet, ultus ſit*; *immo vero nullus unquam eum vidit iratum*, ac interrogatus aliquando, cur nullum eorum, a quibus injuria affectus fuerat, ſupplicio multaſſet: *Utinam*, inquit, *etiam mortuos ad vitam revocare mihi liceret*, hinc vel ipſos capitalis criminis reos ultimo ſupplicio affici vix permittebat, de quibus plura apud Socratem videri poſsunt.

Theodoſius excommunicari timet. *Theodor. lib. 5. 37.*

7. Dei miniſtros autem, eorumque ſententiam eouſque verebatur Theodoſius, ut cum aliquando indiſcretus monachus, ob repulſam neſcio cujuſdam rei latam, eum eccleſiaſtica communione interdixiſſet: *Imperator ad Palatium reverſus, cum tempus inſtaret convivii, negavit ſe prius cibum ſumpturum, quam vinculis ſolutus eſſet, atque idcirco unum ex familiaribus ad Epiſcopum miſit, rogans, ut vinculum demeret, cumque epiſcopus reſpondiſſet, non a quovis vinculum accipi oportere, ſolutumque eum eſſe renunciaſſet, ſolutionem non admiſit, donec is, qui ligaverat, non ſine multo labore quæſitus, communionem reſtituiſſet*. Precibus vero, ſacrorumque librorum lectioni, meditationique ita intentus erat, ut una cum ſororibus, quæ perpetuam virginitatem colebant, continuo vacaret. Hinc cum quadam die, referto jam circo, ubi cum populo ſpectacula ſpectaturus Theodoſius adeſſet, atque tempeſtas vehementius ingrueret, ad Dei iram, tempeſtatemque avertendam, Imperator præconis voce hæc populo dixiſſet: *Multo ſatius eſt, ut omiſſo ſpectaculo omnes pariter Deo ſupplicemus, quo ab imminente tempeſtate ſervemur illæſi*; *nondum hæc verba penitus abſolverat præco, cum ecce omnes ſumma alacritate Deo ſupplicantes, hymnos in Circo concinere cæperunt. Ac tota quidem civitas inſtar cujuſdam Eccleſiæ videbatur. Imperator vero in medio incedens privato habitu, hymnos præcinebat. Nec ſpes eum tum fefellit; cælum enim repente ad priſtinam ſerenitatem rediit, & ex annonæ penuria ingentem frugum copiam divina providentia cunctis largita eſt*. Sed de his hactenus.

Theodor. lib. 5. cap. 36. Socrat. ut ſup.

Aſpebetus Dux Seracenorum ad Romanos tranſit.

8. Belli Perſici tempore Seracenorum plurimi ad fidem Chriſti converſi ſunt, ut in vita S. Euthymii narrat Cyrillus. Cum etenim Aſpebetus quidam princeps Seracenorum cuſto-

cuſtodiendis viis ab Iſdegerde præpoſitus fuiſſet, ne Chriſtiani, vigente in eos perſecutione, ad Romanos tranſirent, atque Aſpebetus miſericordia motus, non modo non prohibuiſſet fugam, ſed etiam manum præbuiſſet, accuſatus apud regem Iſdegerdem, & illius veritus crudelitatem, aſſumptis protinus ſuis facultatibus, cum cognatis, ac Terebone puero, ad Romanos tranſiit, ac exceptus benigne ab Anatolio Orientis Præfecto, qui eum in Arabia collocavit, & Seracenis, qui in ea regione erant, præfecit. Is porro filium habebat adhuc impuberem nomine Terebonem, qui a dæmone vexatus adeo erat, ut partem corporis ſiccam haberet quaſi mortuam; admonitus autem in ſomnis ut Euthymium adiret, cum magna Seracenorum manu Aſpebetus cum filio ad Euthymii & Theotiſti ſpeluncam perrexit, cui cum viſionem narraſſet, Euthymius, *Ardentibus pro puero fuſis precibus, factaque ſuper illo Crucis figura*, continuo ſanum incolumemque reddidit. Ob quam rem in admirationem rapti barbari, ut Chriſti obſignarentur ſignaculo, Euthymium rogarunt, qui cum eos ſincero corde id poſtulare cognoviſſet, *jubet parvam piſcinam in quodam ſpeluncæ angulo ex tempore fieri*, & conſuetas orationes pronuncians, cunctiſque, quæ lex præcipit, ſuper illos peractis, primo quidem Aſpebetum baptizavit, Petrum nominans, deinde Marim, fratrem uxoris Aſpebeti, deinde Terebonem, & reliquos, quos etiam quadraginta dies apud ſe retinuit, ut eoſdem in chriſtianæ Religionis myſteriis accurate edoceret, ac deinde ut ad propria redirent, permiſit. Maris autem Terebonis avunculus, abdicatis omnibus rebus, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore vivere ſtatuit. Hæc aliaque Cyrillus, qui addit, tanto miraculo vulgato, undique ad Euthymium variis morbis vexatos concurriſſe, ut extra Palæſtinam etiam ejus nomen celebraretur; quare non multo poſt, ut humanam gloriam declinaret, ac ſolitudinem quæreret, inde diſcedens, varias ſolitudines mutavit; ad quem Aſpebetus, qui Petrus jam dicebatur, infinitam Agarenorum, ſeu Seracenorum multitudinem duxit, ut ab eo baptizarentur, quod cum factum fuiſſet, Aſpebetus ſeu Petrus cellulas nonnullas Euthymio & ſociis ædificavit, cum ciſterna & officina panificii, ut pluribus idem perſequitur Cyrillus.

Coter: monumenta ecclet. Græcæ tom 2. pag. 216.

Aſpebetus Eutymium convenit.

Seraceni baptizantur. *Pag. 221.*

Pag. 229.

9. Cumque & numero, & pietate Seracenorum natio in dies creſceret, Presbyteros & Diaconos iis præfecit Euthymius,

Petrus Seracenorum primus Epiſcopus ordinatur.

mius, deinde vero Juvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum rogavit, ut Epiſcopum eis præficeret. *Ille vero ad eum mittit Petrum Terebonis. Sic itaque Petrus Epiſcopus Caſtrorum in Palæſtina primus ordinatur; Seracenorum autem multitudo non ſecus ac fluviorum perennium fluenta affluebat, & qui nunc accedebant adjiciebanturque prioribus; iique omnes ſignati ſignaculo baptiſmi connumerabantur cum grege Chriſtianorum*; quæ etſi nonnullis ab hinc annis contigerint, hoc tamen loco recenſuimus, cum ex Perſica perſecutione in Chriſtianos mota, cauſam & initium habuerint; ita namque ſemper contigit, ut ex perſecutionibus, novis palmitibus propagaretur Eccleſia, vireſceret vulnere, exciſione creſceret.

Conſtantius Auguſtus ab Honorio creatur. *Bar.* 420. *n.* 1.

Pag. not. ad an. 420. *Baſnag. an.* 421. *Murat. ibid.*

10. Cum maxima hactenus in Honorium, & Rempublicam officia Conſtantius perſolviſſet, ac Placidiam Honorii ſororem duxiſſet, hoc tandem anno Auguſtus, & Imperii ſocius ab Honorio dictus eſt, cujus inaugurationem etſi ad ſuperiorem annum ex Proſpero alligaverit Baronius, ad labentem tamen pertinere, tum leges Theodoſiani Codicis, quæ ejus nomen hoc tantum anno retinent, cum alia veterum monumenta confirmant; annum & diem, quo Auguſteam dignitatem obtinuit, & obiit, Theophanes edocet. *Hoc anno*, ait, *Conſtantius Valentiniani pater Imperium obtinuit ſexto idus Febr. quarto vero nonas Septemb. occiſus eſt*, ſeu verius pleuritide obiit, ut narrat Olympiodorus. Hanc tamen Conſtantii inaugurationem Theodoſius Orientis Imperator, ac Honorii frater admittere recuſavit, nec ejuſdem laureatas imagines recipere voluit. Quare cum expeditionem in Orientem meditaretur Conſtantius *ſeptimo Imperii menſe pleuritide extinctus eſt*, ait Olympiodorus.

Apud Phot. Codi 80. *pag.* 73. *Philoſtorg. lib.* 12. *n.* 20.

Conſtantii edictum contra Pelagianos. *Garner. diſſert.* 3. *in Mar. Mercat.*

11. Ne breviſſimi Imperii memoria periret, effecit præcipue ejuſdem Conſtantii reſcriptum Voluſiano Urbis Præfecto adverſus Pelagianos datum. Cum etenim Pelagiani Romæ iterum venena ſua ſpargerent, ut urbe ejicerentur, eo reſcripto juſſit. *His lectis*, inquit, *eximietas tua omnes, qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat ſtatim a muris Urbis expelli: ita tamen, ut ne intra centeſimum quidem lapidem habeant licentiam conſiſtendi. Cæleſtium quoque magis ac magis ex Urbe expelli mandamus. Conſtat enim, iiſdem ex medio ſublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sane deinceps ſi tale quippiam fuerit nunciatum, Officium præſtan-*

ſtantiæ tuæ capitali ſententiæ ſubdendum eſſe cognoſcet. Non enim patimur impunitum eſſe, præcepta noſtra executionis negligentia protelari. Vale parens cariſſime, & amantiſſime. Poſt ſubſcriptionem vero: *Impleatur quod juſſimus, quia hoc famæ tuæ expedit.* His acceptis, Voluſianus, publico propoſito edicto, rem executus, non ſolum Urbe, ſed & finibus ejus Pelagianos exterminavit, hæc addens, ne quis apud ſe eos manere permitteret: *Pro merito etiam temeritatis atque auſus ſui cunctos hujus edicti cautione præmonemus, ne quis iniquas noxio latebram putet eſſe præbendam: ne cum hujuſmodi ſit poſita pœna, ſupplicium ac ſtylum neceſſe ſit proſcriptionis incurrere, quiſquis reum divinis humaniſque legibus apud ſe putaverit occultandum.* Eamdemque rem edicto altero quatuor Præfecti prætorio confirmarunt, Junius ſcilicet Quartus, Palladius, Monaxius, & Agricola; de Coſtantii decretum contra Pelagianos editum Photius his verbis meminit: *Poſt hæc etiam Conſtantius Placidiæ conjux, Valentiniani minoris pater, de Cæleſtio hæretico in exilium pellendo ſcripſit decretum ad Voluſianum Urbis Præfectum*; de Conſtantii etiam edicto plura apud Garnerium videri poſſunt, diſſert. tertia de conſtitutionibus Imperatorum in cauſa Pelagianorum editis. *Phot. Cod. 53. pag. 19.*

JESU CHRISTI an. 422. Cælestini Papæ 1.
Honorii Imp. 30. et 28. Theodosii Jun. 21. et 15.
Coss. Honorio Aug. XIII. et Theodosio Aug. X.

Honorii tricennalia Imperii, & Caſtini clades in Hiſpania.

1. Trigeſimum Imperii annum maxima cum ſolemnitate Honorius hoc anno Ravennæ celebravit; quibus lætitiam auxere Maximi & Jovini tyrannorum ſupplicium. *His Coſſ.* ait Marcellinus in chronico, *in Tricennalia Honorii, Maximus tyrannus, & Jovinus ferro vincti adducti de Hiſpaniis, atque interfecti ſunt.* De perduellibus hæc etiam narrat auctor Miſcellæ: *Maximus apud Hiſpanias, factione autem Jovini, qui tunc in re militari clarus habebatur, tyrannidem aſſumpſit. Nec multo poſt ſpoliati utrique, & capti ab exercitu Honorii, eidem, cum apud Ravennam tricennalia ſua perageret, præſentantur.* At infelix Caſtini in Hiſpaniam expeditio, ejuſque clades a Vandalis accepta, infauſtum Honorio annum reddidit, & Tricennalium celebritatem deturpavit. *Exercitus ad Hiſpaniam contra Vandalos miſſus eſt,* ait Proſper in Chronico ad hunc annum, *Miſcell. lib. 13.*

Jesu Chr. An. 422. *cui Caſtinus dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto & injurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate avertit, nam ille periculoſum ſibi atque indignum ratus ſequi, quem diſcordem ſuperbientemque expertus eſſet, celeriter ſe ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit: idque Reipublicæ multorum malorum cauſa fuit*, ut ex dicendis infra conſtabit. Interea ut Idacius in Faſtis narrat, Caſtinus cum magna militum manu, & auxiliis Gothorum, Vandalos in Rætica aggreſſus, *cum ad inopiam vi obſidionis arctaret, adeo ut ſe tradere jam pararent, inconſulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconem victus aufugit.* Quæ & quanta ex hac Caſtini clade in Romanum Imperium, atque in Eccleſiam derivaverint calamitates & incommoda, dici vix poteſt nam in Hiſpania eo tempore; firmiores radices Vandali fixerunt. Unde in Africam paulo poſt transfretarunt, atque ampliſſimas, feliciorefque in Hiſpania, & Africa provincias a Romano Imperio divulſas occuparunt, & catholicam fidem radicitus pene breviſſimo tempore exterminarunt.

De Bonifacio Comite ejuſque geſtis. *Phot. Cod.80. pag. 74.*

2. De Bonifacio Comite, qui, Caſtino in Hiſpaniis relicto, in Africam tranſiit, hæc ex Olympiodoro narrat Photius: *Bonifacius vir erat heroicus, qui cum multis ſæpe gentibus barbaris ſtrenue pugnavit, paucis interdum copiis adhibitis, interdum pluribus, nonnunquam vero &* barbaras multas, variaſque gentes Africa *expulit. Idem juſtitiæ vel imprimis ſtudioſus, & abſtinens, & pecuniarum contemptor fuit*, in criminibus etiam puniendis ſeveriſſimus, quod & illuſtri exemplo Olympiodorus confirmat, dum barbarum in adulterio comprehenſum decollavit. Ut vero transfretavit in Africam, nihil antiquius habuit, quam ut Auguſtini amicitiam promereretur, ut ejuſdem epiſtola ad eum ſcripta teſtatur, qua de Donatiſtarum, Arianorumque hæreſi pluribus agit, quave ratione legum Imperalium metu ad Eccleſiam catholicam hæretici revocari poterant agit, ubi etiam de Donatiſtarum, & Circumcellionum immanitate differit, ac de peccato in Spiritum Sanctum, epiſtola altera pro pace publica chriſtiano viro arma tractare licitum eſſe probat, ac de chriſtiana vita, inter arma agenda edocet. Inter cetera: *Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet ſobrietas & frugalitas: valde enim turpe eſt, ut quem non vincit homo, vincat libido, & obruatur vino, qui non vincitur ferro. Divitiæ ſeculares ſi deſunt, non per*

Auguſt. epiſt. 185.

Epiſt. 189.

mala

mala opera quærantur in Mundo; ſi autem adſunt per bona opera ſerventur in Cælo &c. Interea cum Bonifacii uxor occubuiſſet, ipſe dignitatibus, honoribus, & ſeculo renunciare deſtinaverat, ut Deo ſoli Monachorum exemplo ſerviret, atque apud Tuburnas hoc ſuæ mentis propoſitum Auguſtino & Alypio communicaverat. Horum tamen conſilio factum eſt, ut votum non impleret, ſed in officio ſuo perſeverans, Chriſti Eccleſiæ inſerviret, nil ſollicitius in hoc Mundo quærens, niſi ea, quæ vitæ ſuſtentandæ ſunt neceſſaria, ac balteo accinctus, continenter vivens, inter arma, ſpiritualibus armis tutius, fortiuſque armatus decertaret.

JESU CHR. AN. 422.

Epiſt. 220.

3. Cito tamen Bonifacius & voti, & conſiliorum Auguſtini oblitus, uxorem alteram, eamque Arianam duxit, ex qua cum filiam ſuſcepiſſet, ab Arianis eam baptizari permiſerat, quibus etiam indulſit, ut virgines nonnullas Deo dicatas rebaptizarent. In graviora deinde crimina ruens, uxore dimiſſa, alteram duxerat, neque ea contentus, concubinarum etiam conſortio eum implicatum fuiſſe fama vulgaverat: quæ ut ad aures Auguſtini pervenerunt, fieri non potuit, quin tanti viri caſum non doleret, cum præcipue eidem, ne monachus fieret, auctor fuerat; quare longiori eum epiſtola admonuit, ut meliora ſaperet, ac pœnitentiam ageret, quia vero tunc temporis Bonifacius a Romana etiam Republica defecerat, ut infra dicturi ſumus, ut hæc etiam corrigeret, enixe Auguſtinus hortatus eſt, ac ſi poſſibile fuiſſet, ſeculo tunc ſaltem, ac dignitatibus renuncians pœnitentiam ageret. *Si enim conjugem non haberes*, ajebat, *dicerem tibi quod & Tubunis diximus, ut in ſanctitate continentiæ viveres; adderem, quod tunc fieri prohibuimus, ut jam te, quantum rerum humanarum ſalva pace potuiſſes, ab iſtis rebus bellicis abſtraheris, & ei vitæ vacares in ſocietate Sanctorum, cui tunc vacare cupiebas, ubi in ſilentio pugnant milites Chriſti, non ut occidant homines, ſed ut expugnent principes & poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ, ideſt diabolum & Angelos ejus &c.* Quia vero multa obſtare poterant, ut ſeculo omnino renunciaret, & inter cetera, quod uxorem duxiſſet, ſine cujus conſenſu caſtitatem vovere, & ſervare non poterat, eum admonet Auguſtinus, ut conjugalem ſaltem continentiam ſervaret, Dominum interea rogando, ut eum de neceſſitatibus erueret, ut quod modo non poterat, aliquando poſſet. Quem exitum habuerint Boni-

Auguſtini exhortatio ad Bonifacium Comitem.

Auguſt. epiſt. 220.

facii Comitis res in Africa, infra videbimus, nunc adnotare ſufficiet, ſexdecim alias extare breviores epiſtolas Auguſtini ad Bonifacium, & viciſſim, quarum aliquas recitat Baronius, ac Auguſtino, vel ſaltem Alypio, aut Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo adſcribendas cenſet; quas tamen uti apocryphas in appendice relegarunt merito editores Maurini.

Auguſtinus cum Paſcentio Ariano diſputat. *Poſſid. vita Auguſt. cap. 17.*

4. Diſputationem hoc tempore cum Paſcentio Ariano Auguſtinus habuit, in qua etſi Auguſtinus Scripturarum apertis teſtimoniis catholicæ Fidei veritatem confirmaſſet, Arianamque hæreſim confutaſſet, nihilominus ſe Auguſtinum viciſſe inter Arianos ſpargere Paſcentius non erubuit; quod tanto audacius præſumebat, cum in utramque partem dicta, Peſcentio renuente, a notariis excepta non fuerant. At cum hæc ad Auguſtini aures pervenerunt, *coactus eſt ad ipſum ſcribere Paſcentium*, ait Poſſidius, *propter illius metum omiſſis nominibus conferentium: & in eis litteris, quidquid inter partes dictum vel geſtum fuerit, fideliter intimavit, ad ea ſi negarentur probanda, magnam teſtium habens copiam, clariſſimos ſcilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros*. Paſcentius vero ad duo Auguſtini ſcripta vix unum reddidit; *in quo magis injuriam facere, quam ſuæ ſectæ rationem valuit declarare*; Fuſius hæc ex ipſis Auguſtini epiſtolis ad Paſcentium, & Paſcentii ad Auguſtinum, narrantur, ad quas lectores remittimus, ait Baronius, aut ad ipſam collationem, quam Auguſtinum ſcripſiſſe addit. At eam cum Paſcentio Auguſtini collationem ſeu altercationem inter apocrypha opuſcula rejiciendam eſſe Maurini editores adnotant, ac in appendice rejecerunt.

Auguſt. epiſt. 238. 239. 240. Bar. 421. n. 9. Auguſt. op. tom. 2. pag. 40. append.

Auguſt. cum Maximino Ariano de fide collatio. *Poſſid. Auguſt. vita cap. 17.*

5. Alteram paulo poſt cum Maximino Arianorum Epiſcopo collationem habuit Auguſtinus, de qua Poſſidius poſt recenſitas cum Paſcentio res geſtas addit: Cum ipſorum quoque *Arianorum Epiſcopo Maximino cum Gothis in Africam veniente apud Hipponem, quamplurimis volentibus atque petentibus, & præclaris interpoſitis viris, contulit, & quod ſingulæ aſſeruerint partes, ſcriptum eſt*. Quia vero Maximinus Carthaginem ex Hippona reverſus, victorem ſe ex eadem collatione receſſiſſe jactabat, eamdem retractare Auguſtinus coactus eſt, nonnullaque addere, quæ temporis anguſtia in ipſa collatione non poterat; extatque adhuc tum diſputatio ab Auguſtino cum Maximino habita, cum liber diſputationi additus, ex quibus quid geſtum dictumque ex utraque parte ſit, lector inve-

inveniet. Cujus autem ex multis Arianorum factionibus eſſet Maximinus, his ipſe verbis profitetur: *Si fidem meam poſtulas, ego illam teneo fidem, quæ Arimini a tercentis & triginta Epiſcopis, non ſolum expoſita, ſed etiam ſubſcriptionibus firmata eſt.*

JESU CHR. AN. 422. *Auguſt. op. to. 8. pag. 650.*

6. Cum poteſtatis dilatandæ ſtudio arderet Atticus CP Epiſcopus, reſcriptum a Theodoſio Imp. obtinuerat anno proximo, quo ejus juriſdictioni Illyricianas provincias, quæ ſub Romani Pontificis poteſtate hactenus fuerant, ſibi ſubjiciebat: *Omni innovatione ceſſante, vetuſtatem, & canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui uſque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici provincias ſervari præcipimus. Si quid dubietatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia viri reverendiſſimi ſacroſanctæ legis Antiſtitis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui ſacerdotali, ſanctoque judicio reſervari. Dat. prid. Idus Julii Euſtachio & Agricola, Coſſ.* ideſt anno elapſo. Nil tamen juris in Illyricum CP Epiſcopus hactenus obtinuerat, quin labenti anno legem ſuam idem retractavit Theodoſius, ab Honorio Imperatore rogatus, ut antiqua Romano Pontifici jura ſervarentur, ad quem inter alia, hæc ſcripſerat Honorius: *Majeſtas tua recenſitis noſtræ pietatis affatibus, Chriſtianitatis memor, quam pectoribus noſtris miſericordia cæleſtis infundit, univerſis remotis, quæ diverſorum Epiſcoporum ſubreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur; antiquum ordinem præcipiat cuſtodiri, ne ſub Principibus chriſtianis Romana perdat eccleſia, quod aliis Imperatoribus non amiſit.*

Theodoſius Illyrium CP. Epiſcopo ſubjicit. *Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 2. leg. 45.*

Apud Couſtan. pag. 1030.

7. His acceptis Theodoſius, ut & avo ſatiſfaceret, quæcumque in Rom. eccleſiæ præjudicium ſtatuerat, lege altera revocavit, ut in epiſtola ad Honorium narrat. Hæc Theodoſii Epiſtola, qua Romanæ eccleſiæ jura ſervanda juſſit, in cauſa Stephani Larriſei Metropolitani lecta eſt in concilio Romano ſub altero Bonifacio anno 531. ac de Romani Epiſcopi auctoritate in Illyricianis provinciis, ſcilicet per Epirum veterem & novum, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Daciam Riparenſem, & Mediterraneam, Dardaniam, & Prævalim, agit Nicolaus primus epiſtola ſecunda ad Michaelem Imperatorem.

Theodoſius legem ſuam revocat.

8. Ut Illyriciani Epiſcopi a Romanæ ſedis ſubjectione avulſi, CPolitano Epiſcopo ſubjicerentur, non ſolum Attici CP. Epi-

Bonifacii Papæ epiſt. ad Ruffum Theſſalon. Epiſc.

JESU CHR. AN. 422. *Apud Couton. pag. 1034.*

Epiſcopi ambitio effecit ; ſed etiam Illyriciorum Epiſcoporum levitas ; dum Theodoſium Imp. rogaverant, ut CP. Epiſcopo tanquam Metropolitano ſubderentur. Unde Theodoſius, edicto altero, quo primum revocabat : *Omni*, inquit, *ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota, ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina, & canones veteres eloquuntur*. Gravate quippe Illyriciani Epiſcopi ferebant, ſe Theſſalonicenſi Epiſcopo, tanquam Romanæ ſedis legatione fungenti, ſubjectos eſſe, ac in eccleſiaſticis cauſis, ejus ſe tribunali ſubeſſe; nequid tamen in præjudicium Romanæ ſedis, & Romani Pontificis quovis prætextu moliretur, obſtitit Bonifacius Papa ; qui primum apud Honorium egit, ut quæ Theodoſius ſtatuerat, revocaret, deinde coacto Romæ concilio, quæ ab Illyricianis Epiſcopis contra Rom. eccleſiæ jura hactenus tentata fuerant, irrita declaravit, & datis Ruffo Theſſalonicenſi Epiſcopo, & Rom. ſedis legato litteris, ut quæ ſui juris erant tueretur, excitavit, eaque de cauſa Severum Apoſtolicæ ſedis notarium de proprio latere ad eum deſtinavit ; rogatque, ut peractis omnibus cum celeritate dimittat, *ut geſtarum rerum ordinem eodem feſtinius revertente noſcamus*; *data V. Idus Martias, Honorio XIII. & Theodoſio X. Aug. Coſſ.*; ideſt hoc anno ; quare *non eſt eorum cedendum ſtudiis*, ajebat ad Ruffum, *quos novitas rerum, & indebitæ deſiderium dignitatis accendit, ſed elaborandum eſt, & Deo noſtro favorem præſtante certandum, ut quiſquis contra licitum nititur, ſibi per omnia recognoſcat occurſum &c.* ; deinde de geſtis hactenus in ea cauſa, & datis epiſtolis addit Bonifacius, ſe ad Theſſaliæ Epiſcopos comminationis & correptionis litteras dediſſe, ne in cauſa Perigenis Epiſcopi quidquam tentare præſumerent, quod in Romanæ eccleſiæ præjudicium vergeret : *Nunquam enim licuit de eo rurſus, quod ſemel ſtatutum eſt ab apoſtolica ſede, tractari. In qua pagina noſtra, ut condecuit, honorem debitum tuæ ſervavimus ſanctitati, ſicut ejus caritas tua lectione cognoſcet*. Deinde Perevii Epiſcopi cauſam, cui comprovinciales Epiſcopi moleſti erant, ac ſuo loco dejicere minitabantur, ut diligenter audiret jubet, ac ut ad ſeipſum referat admonuit, ut *prolatum a tua fraternitate judicium ſententia noſtra veleat roborari* ; in epiſtola vero ad Theſſaliæ Epiſcopos data Pauſianum, Cyriacum, atque Calliopum Epiſcopos, qui auctores fuerant, quod Illyriciani Epiſcopi ſe ſe ab Rom. eccle-

ſiæ

ſiæ juriſdictione ſubducere tentarent, a communione ſua removendos cenſuit; *ita ut remedium ſolum interventionis tuæ gratiam ſe habere cognoſcant. Maximum autem, quem male tua caritas retulit ordinatum, in totum Sacerdotii cenſemus honore privandum.* Jesu Chr. An. 422.

9. In epiſtola altera eodem tempore ad Theſſaliæ Epiſcopos data, idem retractat argumentum, atque nonnullis de Rom. eccleſiæ dignitate præmiſſis, quæ *eccleſiis toto orbe diffuſis, velut caput ſuorum certum eſt eſſe membrorum, a qua ſe quiſquis abſcidit, fit chriſtianæ Religionis extorris, cum in eadem non cœperit eſſe compage*; deinde ad rem: *Audio*, inquit, *Epiſcoporum quoſdam, Apoſtolico jure contemto, novum quidpiam contra Chriſti propria præcepta tentare, cum ſe ab Apoſtolicæ ſedis communione, & ut dicam verius poteſtate ſeparare nituntur, eorum petentes auxilium*, vel Theodoſii Imp. vel Attici CP. Epiſcopi; *quos eccleſiaſticarum ſanctio regularum majoris eſſe non dedit poteſtatis*. Eos itaque hortatur, ut Apoſtolicæ ſedi honorem deferentes, Ruffo Theſſalonicenſi Epiſcopo, cui vices ſuas delegaverat, parerent; ac ſi alicui Ruffi correctio immoderata videretur, Apoſtolicam ſedem miſſa legatione interpellet; quare: *Ceſſet novella præſumptio. Nemo audeat ſperare, quod non licet. Nullus ea, quæ ſunt a Patribus geſta, & per tantum temporum cuſtodita, temerare contendat. Ordinationi noſtræ pareat quiſquis ſe Epiſcopum recognoſcit. Epiſcopos per Illyricum citra conſcientiam Coepiſcopi noſtri Ruffi, nullus ordinare præſumat &c.* Bonifacii Papæ epiſt. ad Theſſaliæ Epiſc.

10. Bonifacii animum Perigenis Corinthiorum Epiſcopi cauſa maxime ſollicitabat. Patrenſium primo Epiſcopus ordinatus fuerat Perigenes, cujus eccleſiæ clavum, cum neſcio ob quam cauſam, non ſuſcepiſſet, cleri & populi Corinthiorum conſenſu, & poſtulatione, ipſo conſentiente, ac approbante Rom. Pontifice, Corinthiis Epiſcopus datus fuerat; quem tamen Illyriciani Epiſcopi, indicto Corinthiaco concilio, deturbandum cenſebant; quare in epiſtola ad Ruffum Bonifacius: *Ad ſynodum quæ dicitur illicite congregandam de cauſa fratris noſtri, & Coepiſcopi Perigenis*. In altera vero epiſtola, non ſolum Ruffo, ſed ceteris etiam Epiſcopis per Achajam, Macedoniam, Theſſaliam, Epirum veterem & novam, Prævalim, & Daciam conſtitutis, idem gravioribus verbis urget negotium, communionis ſuæ reſciſſionem minitans, niſi ab inceptis ceſſarent. Bonifacii epiſt. altera ad Illyrici Epiſcopos. *Epiſt. 13.* *Epiſt. 15.*

JESU CHR. AN. 422.

ſarent. *Certo enim cognovimus indice*, ait Bonifacius, *apud Corinthum, quod exagitati dicimus ſynodum congregandam ſuper ejus diſcutiendo ſtatu, quem Corinthiis Apoſtolica ſedes examinatis omnibus, atque diſcuſſis conſtituit Sacerdotem*; quod quanta judicii maturitate factum fuerit, ac quam abſurdum eſſet tale retractari judicium, pluribus perſequitur, ac poſt plurima: *Congregatur ergo, ut redeamus ad cauſam hujus injuriæ, ſynodus ... & fiet, quod fieri per regulas omnino non poterit, fratris & Coepiſcopi noſtri Perigenis honor dubius & incertus, quem in ſede eccleſiæ ſupradictæ noſtra ſententia collocavit &*. Deinde quæ eſſet Romanæ eccleſiæ ſupra ceteras dignitas, & auctoritas etiam, demonſtrat, ad quam ceteri primarum etiam ſedium Epiſcopi cauſas ſuas deferebant, auxiliumque petierant, quod Athanaſii, & Petri Alex. Epiſcoporum exemplo confirmat, tum ex geſtis in cauſa Paulini & Meletii Antiochiæ Epiſcoporum; quare ſi in gravioribus eccleſiæ negotiis, vel ipſi Alexandrini Epiſcopi, & Antiocheni, qui poſt Romanum Pontificem primas obtinuerant ſedes, Rom. eccleſiæ conſilium, auxiliumque expoſtularunt, multo magis id inferioribus Epiſcopis convenire probat. Itaque *Quoniam ad probandam veritatem arbitror, quæ diximus fratres cariſſimi exempla ſufficere, quamvis plura veſtri notione teneantur*; *abſque fraternitatis injuria conventui veſtro volumus his litteris obviatum, quas a nobis per Severum apoſtolicæ ſedis notarium, animis acceptiſſimum noſtris, e noſtro latere deſtinatum videatis eſſe directas, convenientes ut condecet fratres, ne quis volens in noſtra communione durare, fratris & coepiſcopi noſtri Perigenis iterum ad diſcutiendum in medium nomen adducat: cujus ſacerdotium apoſtolus Petrus ſemel jam Spiritus Sancti ſuggeſtione firmavit*: ne tamen omne judicium in cauſa Perigenis negare videretur, ut Ruffus cum provincialibus Epiſcopis eam cauſam iterum examinare poſſit, facultatem impartitur, ac ut Ruffo in omnibus pareant, Epiſcopos admonet; & maxime, ne abſque ejus conſenſu Epiſcopi ordinationem peragerent. Data eſt hæc epiſtola V. idus Martias Honorio XIII. & Theodoſio X. Aug. Coſſ.

Coutan. pag. 1043.

Bonifacii epiſtola ad Hilarium Narbonenſem Epiſc.

11. Non ſuæ tantum, ideſt Romanæ eccleſiæ vindex ac defenſor fuit Bonifacius Papa, ſed etiam aliarum, cum tempus aut ſe occaſio obtulit; hinc cum Patroclus Arelatenſis Epiſcopus in aliena provincia, ideſt Narbonenſi, Epiſcopum in eccleſia Gutubenſi, Gallis *Godere* ordinaſſet, clerus & populus

lus Gutubenſis ad Bonifacium Pontificem de violatis a Patroclo Nicænis canonibus querelas detulit; qui ad Hilarium ſcribens, Patrocli temeritatem damnavit, & ut jus ſuum tueretur, excitavit:

Bonifacii Papæ obitus.

12. Quo anno, aut die, Bonifacius Papa obierit, veteres chronologi cum catalogis Rom. Pontificum diſſident, nam Proſper, & Marcellinus ſub conſulibus anni ſequentis eum abiiſſe narrant, eoſque Baronius, Baſnagius, aliique paſſim ſequuntur; verior tamen eorum ſententia eſt, qui eum die quarta ſeptembris labentis anni occubuiſſe tradunt, ut pluribus probant Pagius, & Coutantius. Poſt Bonifacii obitum, *Petierunt clerus vel preſbyteri*, ait auctor vitarum Pontificum apud Anaſtaſium, *Eulalium revocari, quod tamen non conſenſit*, aut populus, aut urbis Præfectus; *Eulalium ſcilicet Romam reverti: qui tandem in eo loco Campaniæ poſt annum mortis Bonifacii defunctus eſt*; deinde poſt aliqua: *Sepultus eſt via ſalaria in cœmeterio s. Felicitatis martyris juxta corpus illius octavo Kal. novemb.* Ceſſavit Epiſcopatus ejus dies novem, eumque ob res præclare geſtas illuſtrem fuiſſe inſcriptiones plurimæ ejus nomini dicatæ teſtantur, ex quibus quatuor recitat Baronius; nos dimidiam tantum ex his Epitaphii loco excribimus:

Pag. not. 6. ad an. 423. Coutan. pag. 1006.

Bar. 422. 8.

Hoc ſita ſunt Papæ Bonifacii membra ſepulchro,
Juſtitiæ cuſtos rectus patienſque benignus;
Cultus in eloquiis & pietate agens.
Flete ergo mecum Paſtoris funere cuncti,
Quos tradet citius bis caruiſſe bonis.

Cæleſtinus Bonifacio ſuccedit.

13. Poſt Bonifacii obitum, cum dies aliquot vacaſſet ſedes Rom., in ejus locum, cleri populique in unum adſpirante conſenſu, Cæleſtinus eſt ordinatus, cujus ordinationem concordem fuiſſe teſtatur Auguſtinus: *Primum gratulationem reddo meritis tuis*, ait, *quod te in illa ſede Dominus noſter, ſine ulla, ſicut audivimus, plebis ſuæ diſciſſione conſtituit &c.* de Cæleſtini geſtis tum proximo, cum ſequentibus annis opportunius agemus.

Auguſt. epiſt. 209.

JESU CHRISTI AN. 423. CÆLESTINI PAPÆ 2.
THEODOSII JUN. 22. ET 16.
COSS. ASCLEPIODOTO ET MARINIANO.

Phot. Cod. 80. pag. 74. Placidia CPolim relegatur.

1. Defuncto Conſtantio in tantam cum Honorio fratre familiaritatem Placidia venerat, *ut perdite nimis amando, & aſſidue os ejus exoſculando, turpis apud multos conſuetudinis ſuſpicionem non effugeret*, ait Olympiodorus apud Photium. Cito tamen in odium converſus eſt amor, atque aula ejecta, una cum filiis CPolim relegatur: inimicitiarum cauſæ variæ proferuntur. Si Proſpero Tironi fides ad annum Honorii 31. *Placidia cum inſidias fratri tenderet, deprehenſa eſt, & Romam exilio relegata*, ideſt novam Romam ſeu CPolim. Spaduſam & Elpidiam nutricem, quibus plurimum Placidia tribuebat, calamitatis ejus cauſam fuiſſe narrat Olympiodorus loco citato; eo quod adjuvante Leonteo, Barbarorum turba, quæ Placidiam Adaulphi, & Conſtantii tempore comitata fuerat, Ravennæ turbas excitaverat; timens itaque Honorius, ne eorum opera novi quidquam moliretur, Italia eam excedere coegit, quæ CPolim profecta, una cum Honoria, & Valentiniano filiis, benigne peramanterque a Theodoſio excepta eſt, quam paterno throno reſtituendam poſt Honorii obitum curavit, ut infra videbimus.

Honorii Imp. obitus. *Olymp. apud Phot. ut ſup. Socrat. lib. 7. 22.*

2. Interea intercutis aquæ morbo correptus Honorius, hoc eodem anno ante diem ſextum Kal. ſeptemb. defunctus eſt, ait Olympiodorus, aut die decima quinta Auguſti, ut narrat Socrates, cui quoad annum conſentit Theophanes, ceterique chronologi, Proſper, Marcellinus, & Caſſiodorus. Eum Romæ occubuiſſe, atque in Mauſoleo juxta corpus Beati Petri ſepultum fuiſſe tradunt Paulus Diaconus, & Theophanes, quos Baronius aliique ſequuntur; Ravennæ tamen mortalitatem exuiſſe Honorium vix dubitari poteſt; quem ibidem toto anno fuiſſe leges plurimæ ab eo vulgatæ teſtantur. Annum trigeſimum nonum ætatis fere tranſegerat Honorius, Imperii vero 31: ac ſine liberis obiit. Vir ſane pietate & religione ſpectabilis, ut geſta toto Imperii tempore indicant, Imperio tamen regendo, tuendoque omnino impar.

Pag. Baſnag. Murat. ad hunc an.

Joannes tyrannid. uſurpat.

3. Eo itaque abſque liberis, & hærede e vivis erepto, Theodoſio Occidentale Imperium debebatur. At Ioannes quidam

dam Notariorum Primicerius tyrannidem occupavit, atque ut in Imperii ſocietatem reciperetur, miſſa legatione rogavit. At Theodoſius nullum cum tyranno fœdus inire voluit, quin legatos carceribus mancipavit, aut exilio, vel ſaltem vacuos dimiſit, & Ardaburium, qui adverſus Perſas præclare rem geſſerat, ad deturbandum tyrannum deſtinavit, ut anno proximo videbimus; Joannes autem repulſam paſſus, ut Imperium invito etiam Theodoſio retinere poſſet, Ethnicorum animos, quorum ingens adhuc numerus erat, ſibi conciliare curavit, quibus etiam ut gratificaretur, eccleſiam immunitate & privilegiis exuit, variiſque modis vexavit; ac Eccleſiæ miniſtros cujuſcumque dignitatis & ordinis laicorum magiſtratibus ſubdidit, ut infra dicturi ſumus.

JESU CHR. AN. 423.

4. Theodoſius econtra adverſus tyrannum Barbarorum turba ſtipatum pugnaturus, primum contra Dei & Eccleſiæ hoſtes arma convertit, ſperans hac ratione Deum ſibi propitium in ea expeditione futurum, ac adverſus hæreſes omnes, omneſque hæreticos, hanc legem hoc anno vulgavit. *Manichæi & Phryges, quos Pepuzitas, ſive Priſcillianiſtas, vel alio latentiori vocabulo appellatos, Ariani itidem, Macedonianique & Eunomiani, Novatiani, ac Sabbatiani, ceterique hæretici ſcient, univerſa ſibi hac quoque conſtitutione denegari, quæ illis generalium ſanctionum interdicit auctoritas, puniendi, qui contra generalium conſtitutionum interdicta venire tentaverint dat. V, Idus Aprilis CP. Aſclepiodoro & Mariniano Coſſ.* & iterum menſe ſexto idus Julii cunctas ab avo ſuo, & Patre latas adverſus hæreticos leges generali conſtitutione renovavit, confirmavitque. Altera lege ſexto idus Auguſti a militaribus muneribus hæreticos immunes non eſſe declaravit; alias etiam adverſus Manicheos, Judæos, ethnicos leges vulgavit, quas commemorare, aut excribere longum eſſet.

Theodoſii leges adverſus hæreticos, Judæos, & Paganos. *Cod. Theod. de hæret. leg. 50.*

Cod. Theod. de hæret. l. 60. *Cod. Theod. leg. 24. de Paganis.* *Tit. de Judeis l. 27.*

5. Moleſtiſſimum hoc tempore negotium Auguſtino accidit, ut ejus ad Cæleſtinum epiſtola teſtatur. Fuſſala oppidum erat, Hipponenſis diœceſis quadraginta circa millia paſſuum ab Hippone diſtans, quod perpauci Catholicorum incolebant, Donatiſtarum econtra refertum erat; mutatis deinde rebus, ac de unitate procuranda vulgatis edictis, tanta Donatiſtarum acceſſio ad eccleſiam catholicam facta fuerat, ut vix perpauci ex Donatiſtis ſupereſſent. Tanta porro Donatiſtarum converſio Pres byterorum aliquot, quos illuc Auguſtinus miſerat, opera

Auguſtini epiſt. ad Cæleſtinum Papam in cauſa Antonii Fuſſalenſis Epiſc. *Auguſt. epiſt. 209.*

Jesu Chr. An. 423.

& ſtudio facta fuerat; qui etſi aliquando ſpoliati, cæſi, debilitati, excæcati, quin & interempti fuerint, inter labores & extrema pericula Chriſti gregem, divina adſpirante gratia, collegerant, ut vix Donatiſtarum quiſquam remaneret. Ut vero non *minaces* jam, ſed *fugaces* etiam Donatiſtas colligeret, Epiſcopum ibidem ordinandum cenſuit Auguſtinus, cum ob loci diſtantiam tantum curæ iis ſe impendere vix poſſe intelligeret. Presbyterum itaque ei muneri non imparem, ac Punicæ linguæ peritum deſtinaverat, eaque de cauſa Numidiæ Primatem, ut ad novi Epiſcopi ordinationem adeſſe dignaretur, rogaverat. At Presbyter, quem Fuſſalenſibus Epiſcopum deſtinaverat, Epiſcopalem ſarcinam ſuſcipere recuſavit, quare ne fruſtra Primatem vocaſſe videretur, Antonium quemdam, nullo adhuc, niſi lectoris officio functum, ordinandum Auguſtinus obtulit, ac Fuſſalam Epiſcopum miſit, quem libentiſſime Fuſſalenſes exceperunt. Vix tamen Epiſcopus ordinatus fuerat Antonius, petulanter adeo effreneque ſe geſſit, ut ad Auguſtinum continuæ graveſque de eo querelæ deferrentur; accuſato quippe a! nonnullis, qui Fuſſalenſis Diœceſis non erant, adulterii & fornicationis, ea probare non potuerunt. Fuſſalenſes vero intolerabilis dominationis, rapinarumque accuſarunt, eumque ſe ultra ferre non poſſe teſtati ſunt. Quare Auguſtinus, etſi graviora crimina non probarentur, cum tamen alia diſſimulanda non eſſent: *Sic ſententias noſtras temperavimus*, ait, *ut ſalvo Epiſcopatu, non tamen impunita relinquerentur, quæ non deberent, vel eidem ipſi deinceps, iterumque facienda, vel ceteris imitanda proponi. Honorem itaque integrum ſervavimus juveni corrigendo, ſed corripiendo minuimus poteſtatem, ne ſcilicet eis præeſſet ulterius, cum quibus ſic egerat, ut dolore juſto, eum ſibi præeſſe, ferre omnino non poſſent.*

Antonius ad Bonifac. Papam appellat.

6. Latæ Sententiæ acquieverat Antonius, *communione privatus, niſi prius Fuſſalenſibus omnia redderentur*; atque ut communioni reſtitueretur, ſolidos repoſuerat, qui Fuſſalenſibus reſtituendi erant. At quoad alteram ſententiæ partem, qua Epiſcopatus honore relicto, officio & muneribus excludebatur, irritam eſſe dicebat, aſtutus homo, addebatque: *Aut in mea cathedra ſedere debui*, ſi crimina non ſunt probata; *aut Epiſcopus eſſe non debui*, ſi vera ſunt delicta, quibus inſimulor, *ac verſuta ſuaſione* Numidiæ Primatem induxerat, ut datis epiſtolis, *tanquam omnino inculpatum, venerando Papæ Bonifacio*

cio commendaret, quibus effecit, ut eum Bonifacius Papa ſuæ ſedi reſtitueret, ea tamen cautione adhibita; *ſi ordinem rerum nobis fideliter indicavit*. Cumque Bonifacio ſucceſſiſſet Cæleſtinus, in Fuſſalenſis cathedræ reſtitutionem, per publicas etiam poteſtates. Antonius urgere cœperat; ita ut Fuſſalenſes *graviora a catholico Epiſcopo, quam cum eſſent hæretici a catholicorum Imperatorum legibus formidarent*. Quare iis ſubveniendum cenſuit Auguſtinus, ac quo tempore litteris cum Cæleſtino gratulatus eſt, quod Bonifacio ſucceſſiſſet, Fuſſalenſium cauſam, ac a ſe latam adverſus Antonium ſententiam retractandam ſuſcepit, enixeque rogavit, ut Prædeceſſoris ſui ſententiam irritam redderet, cum ipſe Bonifacius, ita ſententiam ſuam temperaverit, ut Antonium ſuæ ſedi reſtituendum cenſuerit, *ſi ordinem rerum fideliter indicavit*, quem multa in ſuo libello reticuiſſe addit, quare ad Cæleſtinum: *Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratres. Ego Fuſſalenſes catholicos filios in Chriſto meos, & Antonium Epiſcopum filium in Chriſto meum, benignitati caritatis ſanctitatis tuæ, quia utroſque diligo, utroſque commendo. Neque Fuſſalenſibus ſuccenſeo, quia juſtam de me querimoniam ingerunt auribus tuis, quod eis hominem nondum mihi probatum, nondum ſaltem ætate firmatum, a quo ſic affligerentur, inflixi. Neque huic noceri volo, cui quanto magis ſinceram habeo caritatem, tanto magis pravæ ejus cupiditati obſiſto. Utrique miſericordiam mereantur tuam; illi ne mala patiantur, iſte ne faciat: illi, ne oderint catholicam, ſi a Catholicis epiſcopis, maximeque ab ipſa ſede Apoſtolica, contra catholicum non eis ſubvenitur epiſcopum; iſte autem, ne ſe tanto ſcelere obſtringat, ut quos molitur invitos facere ſuos, a Chriſto faciat alienos*. Quia tamen Auguſtini ſententiam ob id maxime carpebat Antonius, quod relicto Epiſcopatus honore, ab officio removiſſet, cum utrumque aut amittere, aut retinere debuiſſet, ſententiæ ſuæ æquitatem, tum rationibus, cum exemplis demonſtrat Auguſtinus, ac primo: *Propter hoc loca illa eidem dimiſſa atque permiſſa ſunt, in quibus & prius Epiſcopus erat, ne in alienam cathedram contra ſtatuta Patrum tranſlatus illicite diceretur. Aut vero quiſquam ita eſſe debet, ſive ſeveritatis, ſive lenitatis exactor, ut qui non viſi fuerint Epiſcopatus honore privandi, nullo modo in eis aliquid vindicetur, aut*

Auguſt. epiſt. 209.

Jesu Chr. an. 423. *Epiſt. 209. 2. 8.*

aut in quibus aliquid viſum fuerit vindicandum Epiſcopatus honore priventur. Quod exemplis, iiſque recentioribus, & ex Romanæ eccleſiæ geſtis confirmat: *Exiſtunt exempla, ipſa ſede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut a noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo*. Priſcis ſcilicet provinciæ Cæſarienſis Epiſcopi, cui primatus honor, relicto Epiſcopatu, demptus fuerat, Victoris cui in propria tantum Diœceſi eccleſiaſtica communio relicta fuerat. His Laurentium addit, ejuſdem Provinciæ epiſcopum, qui etiam clamare potuiſſet, aut in cathedra cui ordinatus ſum, ſedere debui, aut epiſcopus eſſe non debui: *Sed quis iſta vituperet? niſi qui parum adtendit, nec inulta omnia relinquenda, nec uno modo omnia vindicanda*.

Auguſtini ad Cæleſtinum deprecatio. *Auguſt. ut ſup.*

7. Tanta autem animi ſollicitudine ob eam cauſam angebatur Auguſtinus, ut de dimittendo Epiſcopatu cogitaret: *Me ſane quod confitendum eſt Beatitudini tuæ, in iſto utrorumque periculo, tantus timor, ac mæror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi epiſcopatus abſcedere, & me lamentis errori meo convenientibus dedere, ſi per eum, cujus epiſcopatui per imprudentiam ſuffragatus ſum, vaſtari Eccleſiam Dei, &, quod ipſe Deus avertat, etiam cum vaſtantis perditione perire conſpexero. Recolens enim quod ait Apoſtolus: Si noſmetipſos judicaremus, a Domino non judicaremur, judicabo me ipſum, ut parcat mihi, qui judicaturus eſt vivos & mortuos. Si autem & membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt, ab exitiabili timore ac triſtitia recreaveris, & meam ſenectutem hac miſericordi juſtitia fueris conſolatus, retribuet tibi, & in præſenti & in futura vita, bona pro bonis, qui per te nobis in iſta tribulatione ſuccurrit & qui te in illa ſede conſtituit*. Quem exitum hæc cauſa habuerit, etſi non conſtet, dubitari tamen vix poteſt, Cæleſtinum Auguſtini litteris permotum, ea revocaſſe, quæ a Bonifacio Antonius ſubrepſerat; ac Auguſtini judicium confirmaſſe. Antequam hinc digrediamur, adnotare juvabit, criticorum aliquos, quibus fortaſſe appellationum exempla ad Apoſtolicam ſedem diſplicebant, de hujuſcemodi epiſtolæ ingenuitate dubitaſſe, ait Dupinius, quos cum non commemoret, vix alium præter eum novimus; ingenue tamen fatetur, Auguſtino

Dupin biblioth. ſecul. 5. tom. 2. p. 666.

ſtino indignam non eſſe, quam Maurini, Contantius, Baſnagius Auguſtino vindicant.

8. Altera quoque appellationum cauſa hoc tempore inter Africanos Epiſcopos, & Cæleſtinum Pontificem agitata eſt, quæ celebrior etiam, quam Antonii Fuſſalenſis Epiſcopi, fuit; hæc quippe Auguſtini quodammodo propria fuit; illa, ideſt Apiarii Presbyteri, Africanos Epiſcopos ita commovit, ut eam Cartaginenſi concilio hoc anno habito ſopiendam ſuſciperent. Apiarius quippe Siccenſis eccleſiæ Presbyter, non ſolum Siccenſi, verum etiam Africanæ eccleſiæ non leve ſcandalum dederat, omnibus tamen erratis ſuis veniam petens, communioni reſtitutus fuerat, ajunt in epiſtola ſynodica ad Bonifacium Papam Africani Patres. Is itaque ab Siccenſi eccleſia remotus, retento presbyiterali honore, ut ubicumque alibi vellet, & poſſet, presbyteri munere fungeretur; inter Trabracenſis eccleſiæ presbyteros receptus mores non mutaverat; quare a Trabracenſibus accuſatus, munere ſuo, & officio dejectus eſt. At Romam pergens Cæleſtini opem imploravit Apiarius; quem una cum Fauſtino legato ſuo in Africam S. Pontifex remiſit, datis etiam per Leonem Presbyterum ad Africanos Epiſcopos litteris, quibus jubebat, ut Apiarium de objectis criminibus purgatum in communionem reciperent; Africani autem Epiſcopi, ut Apiarii cauſam ex integro retractarent, concilium celebrarunt, cui interfuere Aurelius, Pelatinus, (alii Valentinus) Antonius, Turus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celticus, Donatus, Theaſius, Vincentius, Fortunatianus &c. Synodo quidem Fauſtinus Cæleſtini Papæ legatus reſtitit; *omni congregationi injurias primum inferendo*, ut in ſynodica epiſtola narrant Patres, *quaſi Romanæ eccleſiæ aſſerens privilegia, & volens eum a nobis in communionem ſuſcipi, quem tua Sanctitas credens appellaſſe, quod probare non potuit, communioni reddiderat, quod minime tamen licuit, quod etiam geſtorum melius lectione cognoſces.*

Apriarius Presbyter a ſynodo Carthag. damnatus.

Coutan. pag. 1011. concil. Labb. tom. 2. pag. 1674.

Coutan. pag. 1059.

9. Quid in cauſa Apiarii geſſerint deinde narrant, ſe ſcilicet adveniente Fauſtino legato, cum Leone Presbytero Rom. eccleſiæ concilium indixiſſe, quo cum Apiarii cauſa retractaretur, triduano agitato laborioſiſſimo judicio, cum Apiarius turpitudines ſuas occultare ſtuduiſſet, ſtimulante demum conſcientia, delicta tandem majora etiam, quam exquireban-

Synodica epiſtol. ad Cæleſtinum.

JESU CHR. AN. 422.

bantur, confeſſus eſt, quem ideo dignitate & communione, ob immania ſcelera, Synodi ſententia privatus eſt.

De frequentioribus ad Rom. ſedem appellationibus querelæ African Patrum.

10. Deinde ne frequentioribus ad Rom. ſedem appellationibus, importuniſque recurſibus, eccleſiaſtica ſolveretur diſciplina, Cæleſtinum graviter monent, humiliterque deprecantur: *Præfato itaque debitæ ſalutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam, Nicæno Concilio definitum facile advertat venerabilitas tua. Nam & ſi de inferioribus clericis, vel de laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de epiſcopis voluit obſervari? ne in ſua provincia a communione ſuſpenſi, a tua Sanctitate præpropere vel indebite videantur communioni reſtitui. Presbyterorum quoque & ſequentium clericorum improba refugia, ſicuti te dignum eſt, repellat Sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſime commiſerunt*; cum maxime licitum cuique eſſet, ab Epiſcopi ſui judicio ad provinciale, vel etiam univerſale provocare. His addunt tranſmarina judicia neceſſariis ſæpe probationibus deſtitui, cum teſtes, vel propter ſexus, vel ſenectutis infirmitatem, adeſſe non poſſent. Rogant etiam, ut Fauſtinum legatum, cujus inſolentiam ferre ultra Africa non poterat, non ſolum revocet; ſed ne executores clericos, quibuſque petentibus, mitteret, *ne fumorum typhum ſeculi in eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.*

De legatis Carthag. ſynodi petitio.

11. Tandem ne legatos a latere mitteret, Cæleſtinum Africani Patres his verbis precantur: *Nam ut aliqui tamquam a tuæ ſanctitatis latere mittantur, in nulla invenimus patrum ſynodo conſtitutum &c.* Hæc Africani Patres ad Cæleſtinum, quibus ut appellationibus modus aliquis ſervaretur, & ut ajunt, ne in una provincia a communione ſuſpenſi, *præpropere, vel indebite*, a Rom. Pontifice reſtituerentur, enixe rogant, non vero ut omnes omnino ad Rom. ſedem appellationes tollerentur, ut nonnullis viſum eſt. Quæcumque tamen Africanorum Patrum mens & ſententia fuerit, Rom. eccleſiæ dignitati, poteſtatique appellationes Epiſcoporum undique admittendi nequa-

quaquam præjudicare potuiſſe, aut voluiſſe, hinc facile patet, quod has ad Rom. Pontifices appellationes gravate ferebant, eo quod nihil de iis in concilio Nicæno ſtatutum fuiſſe deprehenderant, ut eodem loco diſerte teſtantur. At, ut ſupra adnotavimus, Nicænus canon, cujus auctoritate aliquot ab hinc annis appellationes Epiſcoporum Rom. Sedi vindicaverat Zoſimus Papa, quique a Fauſtino etiam fuerat citatus, Sardicenſis erat; hinc factum, ut cum exemplaria Nicæni concilii a Cyrillo Alex., & Attico CP. Epiſcopis accepiſſent, quibus is canon deſiderabatur, errore, ut dici ſolet, facti, ejuſdem canonis auctoritatem ſuſpectam habuerint; ſi noviſſent tamen Sardicenſis concilii fuiſſe, cujus maxima in Eccleſia auctoritas erat, numquam repudiaſſent, aut ſcripſiſſent, quod *aliqui tamquam a tuæ Sanctitatis latere mittantur, in nulla invenimus Patrum ſynodo conſtitutum*. His vero, quod & præcipuum eſt, adde, appellationum jus ad Rom. Sedem non ſolum Sardicenſi canone ſtatutum, confirmatumque fuiſſe, ſed uſu & traditione. Et ne vetera, aut ab Africanæ eccleſiæ aliena afferantur exempla, omni exceptione major teſtis adeſt Auguſtinus in epiſtola ad Cæleſtinum Papam, in cauſa Antonii Fuſſalenſis Epiſcopi, qua Epiſcoporum Africæ exempla recenſet, qui, Apoſtolica Sede judicante, vel aliorum judicia firmante, honoribus, dignitatibuſque, vel in totum, vel ex parte exciderant. (Epiſt. 209.) *Exiſtunt exempla*, inquit, *ipſa ſede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam, nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos*; cujuſmodi fuerant Priſcus Cæſarienſis provinciæ Epiſcopus, & Primas, Victor etiam, cui in ſua Diœceſi tantum communio fuerat relicta, Laurentius ejuſdem provinciæ Epiſcopus; quorum cauſæ cum a Romana ſede judicatæ fuerint, non alio niſi appellationis jure ad ejus tribunal devolutæ fuerant. Si hic de appellationibus fuſius agendi eſſet locus, plura quidem in eam rem addi poſſent, ſed ad alia properantes ſtylum retrahimus; plura dabunt eruditiſſimi viri non ſolum Bellarminus, Ballarini de vi & ratione Primatus Rom. Pontificis, & in diſſertationibus ad opera S. Leonis Magni, ſed & Scheleſtratus, de Marcha, ceterique, qui noſtra ætate adverſus Febronium Apoſtolicæ ſedis jura vindicarunt.

12. Cum Bonifacio ſucceſſiſſet Cæleſtinus, Pelagiani, quibus (Cæleſtinus Papa Pelagianos Italia pellit.)

JESU CHR. AN. 423. bus poſt Zoſimi, & Bonifacii ſententiam, ſolum pœnitentiæ remedium ſupererat, in Cæleſtini gratiam ſe ſe inſinuare tentarunt, & ut iterum audirentur rogarunt. At Cæleſtinus prædeceſſorum ſuorum veſtigia ſequens, non ſolum audientiam recuſavit; ſed tota exturbandos Italia juſſit: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit excludi*, ait Proſper; atque hæc in Romana ſynodo anno ſequenti habita a Cæleſtino ſtatuta fuiſſe, cum Pelagiani formulæ fidei a Zoſimo Papa primum præſcriptæ ſubſcribere recuſaſſent, adnotat Garnerius. Hoc unum exploratum eſt, Pelagianos a Cæleſtino damnatos fuiſſe; unde Epheſini Patres parte ſecunda ſeſſione quinta ad eum: *Perlectis*, inquiunt, *in ſancta ſynodo commentariis actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum, & Cæleſtianorum, & quæ a pietate tua de ipſis decreta, & conſtituta ſunt, judicavimus & nos, ea ſolida firmaque permanere debere*; quare cum ultra centeſimum ab Urbe lapidem Conſtantii decreto degere juſſi eſſent, nunc tota Italia exterminati ſunt.

Proſper contra collat. cap. 41.

Garner. in Mar. Merc. diſſert. 2. pag. 221.

13. Itaque Italia excedere juſſi, in Orientem Pelagiani tranſmigrarunt, ubi varia uſi fortuna, Epiſcoporum nonnullos hæreſis ſuæ patronos, quamplurimos vero adverſarios experti ſunt. Inter eos, qui Pelagianæ hæreſi aperte patrocinati ſunt, Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, & Neſtorius CP. numerantur; hic ſtatim ac CPolitanam invaſit eccleſiam, ad Cæleſtinum Papam ſcribens, Pelagianorum, ideſt Juliani, Flori, & Orontii, Epiſcoporum querelas detulit, ac pro eorum reconciliatione egit, ut ſuo loco infra videbimus. Theodorus vero utpote ejuſdem hæreſis patronus, profugos libentiſſime excepit, & communicatis conſiliis, junctiſque viribus, adverſus Catholicos, toto vitæ tempore pugnare non deſtitit, ut narrat Marius Mercator, qui Julianum adloquens: poſt plurima: *At*, inquit, *ut, aliud clauſum in pectore, aliud promptum habens in lingua, novus atque egregius diſputator, id nunc in iſto opere tuo, poſt tam longum tempus elaborato in Cilicia, ingeris. Neceſſaria igitur capituli repetitione, quid mari exarato, & Oriente luſtrato novum inauditumque inde attuleris.* Julianus itaque in Ciliciam profectus, ac a Theodoro Mopſue-

Julianus & ſocii in Ciliciam tranſeunt.

Concil. pag. 1075. & 1079.

Apud Garner. pag. 95. Libro ſubnot. cap. 9. pag. 58.

ſueſtiæ Epiſcopo exceptus contra alterum Auguſtini librum de nuptiis & concupiſcentia libros octo, hortante Floro Pelagiano conſcripſit, in quibus ea quæ Theodorus adverſus S. Hieronymi Dialogos in Pelagianæ hæreſis defenſionem ſcripſerat, ſuis illis lucubrationibus inſeruit, ut fragmenta hujus apud Photium cum Juliani dictis conferenti patebit, ac Auguſtinum hoſtili adeo ſtylo inſectatus eſt, ut nullum ſervaverit modum, quem idcirco Numidam Cetratum, Tractorem Pœnum, Philoſophaſtrum piſtillo obtuſiorem, vituperatorem Sanctorum, patronum aſinorum, Manichæorumque adſtipulatorem appellat; Theodorum vero magiſtrum ſuum ſupra ceteros illius ætatis ſcriptores extollit, ut teſtis eſt Mercator: *Non itaque iraſcatur*, Julianus, *aut ſuccenſeat nobis, ſi eum cum Theodoro, cujus in libris ſuis infinitas laudes exequitur, ejuſque ſancta auctoritate ſententiæ in ſuo errore gloriatur, alienum a fide catholica eſſe, juſteque damnatum detegimus, evincimus, atque deflemus*. Julianus itaque his octo libris, quos in Cilicia apud Theodorum ſcripſit, Auguſtini librum de nuptiis & concupiſcentia confutavit, ac eadem fere, quæ quatuor jam libris tractaverat, operoſius confirmare curavit, nullumque Originale peccatum eſſe, neque ex illo quidquam aut concupiſcentiæ, aut miſeriarum hominibus prodiiſſe, aut liberum arbitrium ad peccandum proclivius fuiſſe probare nititur; quin ad bonum æque ac ad malum ex naturali inſita poteſtate ſibi ſufficere hominem ajebat, tanquam in æquilibrio poſitum; gratiam quidem in baptiſmate conferri fatebatur, non tamen, quæ originalem labem in pueris abſtergeret; mortem denique ceteraſque miſerias, quibus humana natura vexatur, ex hominis conditione, non vero ex peccato prodiiſſe effutiebat, ac, Adamo etiam non peccante, futuras dicebat, idque *nimia loquacitate*, ut ait Auguſtinus. *Si ergo talibus incrementis loquacitas tua promovetur, quem non terreat, non veritas, ſed numeroſitas librorum tuorum, quem computare me piget? homo enim ſtupenda ubertate facundus, qui prius uni meo tuos quatuor, & alteri meo tuos octo putaſti eſſe reddendos, quis non timeat, ne forte ſex libris meis amplius quam mille tuos reddere mediteris*. In his vero tanta verborum orationiſque copia Julianus diſſeruit, ut quantum in deſperata cauſa ingenium poſſit, aperte demonſtraverit, cui

JESU CHR. AN. 423.

Phot. Cod. 117.

Præf. lib. 1. & 2. Apud Auguſt. op. imperf. adver. Julianum.

Auguſt. præf. op. imperf. & lib. 4. 5.

JESU CHR. AN. 423.

etiam Theodorus Mopſueſtenus, apud quem tunc Julianus morabatur, ſtimulos fortaſſe addidit.

De Theodoreto ejuſque initiis, ac ſtudiis.

Garnerius Theod. op. tom. 5. pag. 110.

Theodor. relig. hiſt. cap. 9.

14. Ad Theodoretum oratio devolvitur, qui hoc tempore non ſolum Cyrenſem eccleſiam, ſed Orientem pene totum pietate & doctrina illuſtrabat. Antiochiæ Syriæ nobilibus parentibus, anno 386. natus eſt, cujus mater cum Petrum monachum adiiſſet, ut ab oculorum morbo ſanaretur, *inaures, catenas & torques, & alia aurea, quæ ſibi induerat, & veſtem variam ex ſericis filis contextam*, Petro monente, depoſuit, etſi annum vigeſimum tertium tunc ageret. Interea cum tredecim in ſterilitate pia mulier annos tranſegiſſet, Theodoreti pater Sanctos viros frequentiſſime adibat, ut eorum precibus filios impetraret. Inter ceteros Macedonius tunc temporis inter Syriæ monachos celebris erat, a quo de prole ſuſcipienda certior factus fuerat, poſt triennium vero Macedonium iterum adiit, promiſſi fidem exigens; ille vero, ut conjugem ad ſe mitteret juſſit, cui, cum adeſſet, illam quidem filium accepturam vir ſanctus dixit, ſed *hunc donatori reddi oportere* addidit. Quare promiſſione accepta, cum domum rediiſſet, quarto poſt menſe ſe matrem mox futuram cognovit. At menſe altero vix elapſo in abortus periculum incidit, niſi Macedonius accerſitus, acceptam aquam, quam benedixerat, hauriendam matri dediſſet. At dum Theodoretum peperit iterum vita mater periclitatur, cui Petrus monachus orationibus ſuis ſanitatem impetravit, vix etenim puerperæ cubiculum ingreſſus, cum eam his verbis ſalutaſſet: *Pax tibi filia*, ac pro ea oraſſet, *finem quoque morbus accepit, ſudorque mox undique profluens ardorem illum extinxit*. Cum tot prodigiis conceptus editusque puer fuerit, Theodoriti nomen a parentibus accepit, quaſi a Deo datus, & Deo conſecratus, cujus mater, quæ præſens adeo Petri auxilium experta erat, ſingulis hebdomadis ad Petrum filium mittebat, ut benedictionum ejus particeps fieret, quem genibus ſuis impoſitum uvis & pane ſæpe Petrus aluit, cumque Petri zonam aliquando obtinuiſſet pia femina, quæ ex craſſo lino contexta erat, *parte una renes ſuos cinxit, altera meos*, ait Theoditus. *Hanc mater ægrotanti mihi ſæpe imponens, ſæpe etiam patri morbum depulit, eademque ad ſanitatem ipſa etiam perſæpe uſa eſt remedii*. Nondum ſeptennio expleto, ad Sancti

Hiſt. relig. cap. 13.

Sup. cap. 9.

Eu-

Euprepii monaſterium Antiochiæ proximum miſſus eſt Theodoritus, ut pietati non minus, quam bonis artibus operam daret, ubi cum eſſet, cum Neſtorio, & Joanne amicitiæ vinculo conjunctus eſt, quorum primus CPolitanus poſtea Epiſcopus, & Neſtorianæ hæreſis auctor fuit, alter Antiochenus Epiſcopus, qui imprudentia ſua eamdem fovit hæreſim, pro qua Theodoretus etiam calamo ſaltem, ſcriptiſque pugnavit. Theodorum etiam Mopſueſtenum poſtea Epiſcopum, & Chryſoſtomum præceptores habuit, quorum opera ſacras humanaſque litteras didicit. Grandior interea factus, cum annum vigeſimum fere attigiſſet, a Porphyrio Antiocheno poſt Flavianum Epiſcopo lector ordinatus eſt, paulo poſt cum Porphyrio ſucceſſiſſet Alexander, eum Diaconum ordinavit, qua dignitate ornatus cœpit res divinas tractare tum privatim cum publice, & quidem magna eloquentiæ, eruditionis, & ſanctitatis fama, quam etiam auxit propoſitum vitæ Aſceticæ retinendæ, poſtquam clero cooptatus fuit. Jesu Chr. an. 423.

15. Cum vero Cyrenſis eccleſia Iſidoro paſtore vacans eſſet, Theodorus Antiochenus Epiſcopus, qui Alexandro ſucceſſerat, Theodoretum Cyrenſibus Epiſcopum ordinavit. Urbs erat Cyrus Euphrateſiæ provinciæ, cujus metropolis Hieropolis; eam a Judæis a Cyro dimiſſis conditam fuiſſe, ac ab ejus nomine dictam narrat Procopius; nec ampla ipſa aut celebris, vicos tamen & parochias octingentas habebat, ut in epiſtola ad Leonem Theodoretus teſtatur, & quod triſtius erat, Cyrenſis diœceſis non ſolum montuoſa, & pauperrima erat; ſed etiam hæreticorum, & præcipue Marcionitarum referta, quos regionis aſperitas, & paſtorum negligentia, inacceſſos hactenus fecerat. Invitus itaque ac reluctans Epiſcopus cum eſſet ordinatus, ut agrum vepribus ſentibus lolioque refertum excoleret, hoc unum ſolatii habuit cum illuc advenit, quod in ſuæ Diœceſis aſperrimis montibus Anachoretarum plurimi ſanctiſſime vivebant, religioſæ vitæ non tam exempla, quam portenta. Hos inter eminebat Maris quidam, apud quem aliquando Theodoretus ſacram obtulit hoſtiam, Diaconi manu pro altari utens. *Nonaginta natus annos*, Maris, ait Theodoretus, *cilicinis veſtibus utebatur, pane ac ſale modico vitam ſuſtentans. Cum autem ſpiritualis myſticique Sacrificii videndi diuturno deſiderio teneretur, rogaverat*,

Theodoretus Epiſc. ordinatur, quo anno.

Procop. de Ædific. Juſtin. lib. 2. cap. Epiſt. 113.

Hiſt. relig. cap. 20. & ſeq.

JESU CHR. AN. 423.

rat, ut illuc divini doni fieret oblatio. Ego vero libenter obtemperavi, & ſacra vaſa afferri juſſi, nec enim procul aberat locus. Diaconorumque manibus utens pro altari, myſticum ac divinum & ſalutare Sacrificium obtuli. Ille autem ſpirituali refectus voluptate, Cœlum ipſum videre ſe exiſtimabat. Quo Chriſti anno Epiſcopus ordinatus fuerit Theodoretus, adhuc in incerto eſt, unum conſtat, anno 420, aut 423. id contigiſſe; utraque epocha ſuos habet defenſores, ſuaſque probationes. Garnerius, & poſt eum Baſnagius ex Theodoreti epiſtola ad Nomum conſulem data, anno 420 Cyrenſem eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepiſſe contendit, ait enim: *In monaſterio tempus quod Epiſcopatum præceſſit, cum exegiſſem, invitus Epiſcopus ordinatus ſum, annos vigintiquinque ita vixi, ut neque in jus vocatus ſim a quoquam &c.* Cumque Nomus anno 445. conſulatum geſſerit, cum annos 25. in Epiſcopatu tranſegiſſet Theodoretus, ſequitur neceſſario eum anno 420. fuiſſe ordinatum, tot enim ex ſumma annorum 45. ſuperſunt, ſi 25. demas. Ex epiſtola tamen ejuſdem Theodoreti ad S. Leonem Papam anno 449. data, poſt Latrocinium Epheſinum, tardius, ſeu anno 423. ſe Epiſcopatum ſuſcepiſſe indicat: *Sex & viginti annis commiſſam mihi ab univerſorum Deo eccleſiam precum veſtrarum auxilio cum rexerim &c.* Quare ſi ab anno 449: 26. demas, ad labentem 423. pervenies, quo Theodoretus Epiſcopali infula ornatus eſt. Cum autem hinc ſequatur alterutrum Theodoreti locum corruptum eſſe, & emendatione indigere, in epiſtola ad Leonem corruptos eſſe numeros cenſet Garnerius; rectius tamen, ni fallimur, ac facilius inſcriptio epiſtolæ ad Nomum emendatur, nam ubi legitur *Nomo Conſule*. legendum eſt *Nomo conſulari*, vel etiam conſul dictus eſt, quia conſulatum triennio antea geſſerat.

Gar. actuarium ad ep. Theod. pag. 174. Baſnag. an. 424. Epiſt. 81.

Epiſt. 113.

Eudoxia Auguſta renunciatur.

16. His conſulibus Eudoxia Theodoſii uxor *creata eſt Auguſta menſe Audyneo quinto nonas Januarii*, ait auctor Chronici Alex., quo etiam anno *frequentes fuere terræmotus. Die Lunæ hora decima, menſe Xanticho, ſeptimo idus Aprilis*; Marcellinus vero in chronico ad hunc annum: *Terræmotus multis in locis fuit, & frugum inedia ſubſecuta*; quare Theodoſius, ut iratum Numen placaret, plurimas hoc anno leges adverſus Paganos, Judæos, & Hæreticos vulgavit, de quibus nonnulla hoc anno adnotavimus, reliqua apud Gothofredum in commentario ad Codicem Theodoſianum videri poſſunt.

JE-

JESU CHRISTI AN. 424. CELESTINI PAPÆ 3.
THEODOSII JUN. IMP. 23. ET 17.
COSS. COSTINO ET VICTORE

1. Ut afflictis Placidiæ rebus opem ferret, eam Auguſtæ titulo exornatam cum Valentiniano filio in Italiam Theodoſius cum exercitu remiſit; cujus expeditionis etſi infauſta fuerunt initia, felicem tamen paulo poſt exitum habuerunt, ut anno ſequenti videbimus. De geſtis hoc anno audiatur Olympiodorus. *Remiſſa eſt CP a Theodoſio Placidia cum liberis adverſus Joannem tyrannum, & illa quidem Auguſtæ nomen, Valentinianus vero Nobiliſſimi titulum iterato ſuſcepit. Submiſſus quoque cum exercitus, bellique Imperator utriuſque militiæ Ardaburius nimirum cum Aſpare filio*; qui cum Theſſalonicam perveniſſent, Valentinianus cæſarea indutus eſt veſte. Ardaburius interea cum Aquilejam adnavigaret, maris impetu in hoſtile littus jactatus, in Joannis poteſtatem incidit, a quo benigne exceptus eſt. Quare Aſpar ejus filius cum Placidia in magna rerum deſperatione, luctuquæ verſabantur. At Candidianus multis occupatis urbibus, partaque victoria luctum diſſipavit, animoſque reddidit. Interea cum poſt multa pericula, Placidia Auguſta una cum filio ſuo Cæſare Ravennam perveniſſet, pro adepta victoria Joanni Apoſtolo vota perſolvit his verbis:

Placidia Auguſta cum Valentiniano in Italiam redit.

Apud Phot. Cod. 80. pag. 74.
Pag. not. 4.

Beatiſſimo Apoſtolo Joanni Evangeliſtæ
Gallia Placidia Auguſta cum ſuo filio
Placidio Valentiniano Auguſto & filia ſua
Juſta Grata Honoria Aug. Liberationis maris vota perſolvit.

2. Ut Romæ purpuram induerat Joannes, Imperiumque occupaverat, Africam quoque ſuæ poteſtati ſubmittere conatus eſt; fruſtra tamen res cecidit. Unde Proſper ad hunc annum: *Joannes dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt*, copiis etenim in Africam transfretare juſſis, ad reſiſtendum Ardaburio & Aſpari debilior evaſit, cui in Africa Bonifacius Comes fortiter

Bonifacius in Africa Joannis tyrannidi reſiſtit.

Jesu Chr. An. 424.

Apud Phot. ut ſup.

titer reſtitit; Placidiæ etenim, Olympiodoro teſtante, ſolus Bonifacius fidem ſervavit, & quas potuit ex Africa pecunias eidem ſubmiſit, tum alia ei obſequia præſtitit: *Qui etiam, ut ad Imperium rediret, nihil non fecit, tulitque.*

Diſſenſio monachorum Adrumeti de gratia & libero arbitrio.

3. Cum Florus Adrumetinus monachus Uzalam perrexiſſet, dictante Felice Auguſtini epiſtolam ad Sixtum acceperat, quam, eo Carthaginem properante, Adrumetum ad concellitas miſit. Adrumetini vero monachi altiſſima divinæ Gratiæ, & Prædeſtinationis myſteria ea in epiſtola expoſita non intelligentes, in varios, ac ab Auctoris mente penitus alienos ſenſus abierunt; unde graviora diſſidia inter eos exarſere, cum aliqui gratiæ neceſſitatem, virtutemque eouſque attolerent, ut liberum prorſus arbitrium negarent, alii vero ne libero arbitrio præjudicium facerent, gratiam non gratuito, ſed ſecundum merita dari cenſerent. Utroſque erraſſe pluribus in locis adnotat Auguſtinus, ac eorum nonnullos liberum arbitrium negaſſe, epiſtola ad eos data obſervat: *Venerunt ad nos duo juvenes*, inquit, *Creſconius & Felix de veſtra congregatione ſe eſſe dicentes, qui nobis retulerunt monaſterium veſtrum nonnulla diſſenſione turbatum, eo quod quidam in vobis ſic gratiam prædicent, ut negent hominis eſſe liberum arbitrium, & quod eſt gravius dicant, quod in die judicii non ſit redditurus Deus unicuique ſecundum opera ejus*; & poſt plurima, ut juxta Eccleſiæ fidem arbitrii libertatem, æque ac gratiæ neceſſitatem tuerentur, his verbis hortatur: *Interim credite divinis eloquiis, quia & liberum eſt hominis arbitrium, & gratia Dei ſine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti poteſt ad Deum, nec proficere in Deo, & quod pie creditis, ut etiam ſapienter intelligatis, orate.* Gratiæ autem vim alios plus juſto extenuaſſe, ut liberum inflarent arbitrium, hæc ejuſdem Auguſtini verba indicant: *Propter eos, qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari. Scripſi librum, cujus titulus eſt de gratia & libero arbitrio, ad eos autem ſcripſi monachos Adrumetinos, in quorum monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio &c.*

Epiſt. 214.

Retract. lib. 2. 66.

Auguſtinus librum de gratia & libero arbitrio ſcribit.

4. Ut has quæſtiones cum maxima animi contentione, & periculo in ſuo monaſterio agitari cognovit Valentinus ejuſdem

dem cœnobii Præfectus, cum moleſte hæc diſſidia ferret, ab Evodio Uzalenſi Epiſcopo, interpretationem epiſtolæ Auguſtini ad Sixtum, quæ monachos ſuos conturbaverat, poſtulavit. In quam rem ad Evodium ſcripſiſſe, teſtis eſt Evodii reſponſum ad Valentinum datum, cujus fragmentum ex bibliotheca monaſterii S. Maximi Trevirenſis edidit Sirmondus capite primo hiſtoriæ Prædeſtinatianæ, *majori laude donandus*, ut ait Noriſius, *ſi integrum Evodianæ epiſtolæ exemplum publicaſſet*. At Creſconius & Felix monachi Adrumetini, non alium Auguſtinianæ epiſtolæ interpretem, quam ipſum Auguſtinum requirebant; quorum votis annuens Valentinus, eoſdem ad Auguſtinum miſit, nullam tamen epiſtolam ad Auguſtinum dedit, nam S. Doctor in epiſtola prima ad Valentinum, & Adrumetinos monachos: *Nullas enim*, ait, *ad nos veſtræ caritatis litteras attulerunt, tamen ſuſcepimus eos, quoniam ſimplicitas eorum ſatis indicabat, nihil illos nobis poſſe confingere*, atque ut eum, per quem turbati fuerant monachi, ad ſe mitteret, enixe rogat; cum vero reditum feſtinarent Creſconius & Felix, ut apud ſuos Paſcha agerent, *Multa, quæ vobis mittere cupiebam, quibus lectis totam ipſam cauſam, quæ conciliis Epiſcopalibus acta eſt adverſus eoſdem Pelagianos hæreticos, diligentius & plenius noſſe poſſetis, non tradidit. Mutato tamen conſilio, ut inſtructiores remitteret*, diutius apud ſe retinuit, ut in epiſtola altera ad Valentinum ejuſque monachos narrat; atque præter duas epiſtolas, & librum de gratia & libero arbitrio: *Portant ſecum & alia*, inquit, *quæ vobis dirigenda eſſe credidimus, quibus cognoſcatis, quemadmodum catholica Eccleſia, in Dei miſericordia, Pelagianæ hæreſis venena repulerit*, epiſtolas ſcilicet ad Innocentium Papam, a concilio Carthaginenſi, & Numidiæ, datas, & alteras a quinque Epiſcopis una cum Innocentii litteris ad concilia, & ad Epiſcopos Africæ; tum etiam quæ ad Zoſimum Papam ſcripſerat Africanum concilium, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius Orbis Epiſcopos miſſum, deinde quæ poſteriori concilio plenario totius Africæ contra Pelagianam hœreſim fuerat definitum.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 23. p. 223.

Epiſt. 214.

Epiſt. 215.

5. Totam vero quæſtionem, quæ Adrumetinos monachos conturbaverat, libro de gratia & libero arbitrio ad eos miſſo iterum retractavit Auguſtinus, quo quid de gratia & libero arbitrio Eccleſia catholica doceret, dilucide exponit, ac libe-

De libro Auguſtini de gratia & libero arbitrio.

Jesu Chr. an. 424.

libero arbitrio homines donatos eſſe ex ſacra Scriptura probat: divinam tamen gratiam ad divina mandata adimplenda neceſſariam eſſe, iiſdem ſacræ Scripturæ teſtimoniis confirmat, eamque non meritis noſtris dari, ſuſtinet; quare autem vita æterna, quæ bonis operibus redditur, etiam gratia donetur explicat; deinde neque ſcientiam legis, neque naturam, neque ſolam peccatorum remiſſionem, Chriſti gratia deſignari, aut contineri docet. Vaniſſimum quoque Pelagianorum perfugium confutat, quo dicebant, *gratiam, etſi non ſecundum merita bonorum operum detur, dari tamen ſecundum merita bonæ voluntatis, quæ præcedit credentis & orantis*. Cur Deus jubeat, quæ daturus eſt, cum ea viribus noſtris implere non poſſumus, diligenter exquirit, ac explicat, ut ſcilicet noſcamus, quæ ab illo a nobis petenda ſint. Impoſſibilia quippe non jubet; *ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, ut a Tridentinis Patribus definitum eſt. Unde Auguſtinus: *Quis hoc neſciat* (Deum ſcilicet impoſſibilia non jubere)? *Sed ideo jubet aliqua*, ſubdit, *quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*; poſt aliqua: *Certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum*, a quo & præparatur volontas, & *qui vires efficaciſſimas præbendo facit, ut faciamus*. Tandem gratiam non ex meritis, ſed gratuito dari eamque non omnibus, ſed occulto quidem Dei judicio, juſto tamen, aliis dari, aliis negari, parvulorum exemplo confirmat, quorum cum par ſit cauſa, alii accepto baptismate ſalvantur, ceteri pereunt, quo nihil luculentius afferri poteſt, ut ibidem videre eſt.

Valentini epiſt. ad Auguſtinum de novis turbis excitatis.

6. Ubi Auguſtini epiſtolas, ac librum de gratia & libero arbitrio accepere Adrumetini monachi, ac omnia bona opera Dei dona eſſe intellexerunt, nonnulli eorum in eam ſententiam, ſeu potius errorem delapſi ſunt, ut dicerent, inutilem fore correptionem, cum quis Dei præcepta violaret, pro quo orandum tantummodo erat, ut Deo dante præcepta impleret; quare Valentinus monaſterii Præfectus, dogmatis novitate turbatus, ad Auguſtinum litteras dedit, quibus de libro, litteriſque ad ſe tranſmiſſis gratias agit, ac de oborta quæſtione admonet. Per Florum vero eas miſit, cujus alloquendi ſe cupi-

Epiſt. 216.

cupidum ſignificaverat Auguſtinus, eaque epiſtola diſſenſionis ortum progreſſumque, cujus cauſa monachos ſuos ad eum miſerat, diligenter exponit, ac Florum hujuſce epiſtolæ delatorem ab omni erroris ſuſpicione liberat. De ſuborta vero quæſtione altera, inutilem ſcilicet correptionem fore, ſi omnia Deo tribuenda ſint, ſuboſcure admodum, ac vix quid indicat, quam nihilominus ab eodem Floro Auguſtinus didicerat, ut in retractationibus ad librum de correptione & gratia idem teſtatur: *Rurſus ad eoſdem*, Adrumetinos monachos, *ſcripſi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi, cum mihi nunciatum eſſet, dixiſſe ibi quemdam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum.*

Auguſt. retract. lib. 2. cap. ult.

7. Itaque ut errandi omnem occaſionem ab Adrumetinis monachis depelleret, de correptione & gratia librum in eorum gratiam tranſmiſit; liber enim mole quidem parvus, ſed doctrina ſententiarumque profunditate maximus, ac totius Auguſtinianæ ſententiæ de gratia Chriſti clavis, & fundamentum, quem: *Plenum divinæ auctoritatis* ajebat Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, quo Semipelagianos, antequam in Galliis erumperent, confutaverat; unde in illud opuſculum linguas ſuas præcipue exacuerunt, ut ſuo loco dicturi ſumus. In eo ſane libro ſanctiſſimus Antiſtes omnem divinæ gratiæ œconomiam exponit, ac electionem non luti, ſed figuli eſſe docet, cur ex eadem maſſa perditionis vas in honorem fiat, alterum ad contumeliam; perſeverantiam Dei donum, & quidem maximum eſſe, quo certiſſime liberantur quicumque acceperunt; cur vero tantum donum ille accipiat, ille non accipiat, inter inſcrutabilia myſteria eſſe docet, id tamen certum, ad gratiam & gloriam homines, non ex propoſito voluntatis eorum, aut ex præcedentibus meritis prædeſtinari, ſed Dei voluntate & prædeſtinatione, quod præcipue parvulorum exemplo confirmat, quorum cum par omnium ſit cauſa, alii baptiſmate regenerati ſalvantur, alii ſine baptiſmate obeuntes pereunt. Cur vero accepta gratia, non perſeveraverit Adam, dilucide explicat, quem perſeverantiæ donum non accepiſſe tradit, quum inter gratiam primo homini, ſeu Adamo innocenti collatam, & ceteris, Adamo ſcilicet peccatori, poſteriſque ejus id intercedat, quod in ſtatu innocentiæ eam acceperit gratiam, ſine qua perſeverare non potuiſſet, ideſt auxilium, ſine

Quid libro de correptione & gratia doceat Auguſtinus.

Auguſt. epiſt. 215.

Jesu Chr. an. 424.

ſine quo perſeverare non poterat; poſt lapſum vero tale ac tantum per Chriſtum auxilium dari, non ſolum ſine quo perſeverare in bono non poſſumus, ſi velimus, verum etiam quo fiat, ut velimus, ideſt auxilium, qno humana voluntas excitata, & roborata, *indiclinabiliter*, *ac inſuperabiliter* agit, & agitur: quam gratiæ diſtinctionem Adami innocentis, & lapſi, cum plerique non ſatis adverterint, inextricabilibus ſe ſe difficultatibus, quœſtionibuſque implicarunt. Prædeſtinatorum tandem numerum certum eſſe docet, neque augendum, neque minuendum; cumque ignotum ſit, quis ad eum numerum pertineat, medicinalem correptionem omnibus adhibendam eſſe peccantibus docet, ne vel ipſi pereant, vel alios perdant, ac proinde nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione divinam gratiam negari concludit. Has ad Adrumetinos monachos epiſtolas, & libros circa hæc tempora Auguſtinum ediſſe inde conſtat, quod in libro retractationum anno 427. edito horum, & quidem ultimo loco mentionem faciat, quare nec poſt id temporis, nec multo antea edidiſſe eos dicendum eſt, uno aut altero abhinc anno.

Leporii monachi errores.

8. Adrumetinis monachis Auguſtini opera ad ſanam fidem revocatis, libeat alterum monachum addere, qui cum in craſſiores de incarnatione, & gratia Chriſti errores incidiſſet, Auguſtini opera & diligentia ad ſaniorem mentem revocatus eſt, ut publice palinodiam caneret. Is eſt Leporius in Gallia primum monachus, deinde in Africa Presbyter, cujus duo fuere erroris capita, primum de Chriſti incarnatione, alterum de divina gratia: in quadam etenim epiſtola cum Neſtorio, Deum ex virgine natum non fuiſſe, dixerat, ſed purum putumque hominem, qui ſecluſo Dei adjutorio vitia carnis domuerit. *Non ipſum Deum hominem natum*, ajebat idem in libello retractationis, *ſed perfectum cum Deo natum hominem dicebamus*, *pertimeſcentes ſcilicet*, *ne Divinitati conditionem adſignaremus humanam*; & de Pelagianorum erroribus, quibus patrocinatus fuerat eodem in libello: *Illud etiam minime reticendum cenſeo*, *quod in eadem epiſtola*, *ſimili devians errore*, *ſubjunxi*, *Chriſtum Dominum ſic omnia*, *quæ erant paſſionum*, *impleſſe*, *ut in nullo*, *quaſi perfectus homo*, *à divinitatis auxilio juvaretur*. *Volens ſcilicet ita in Chriſto hominem aſſignare perfectum*, *quo alienum & ab his paſſionibus Verbum Patris aſſererem*, *& ſolum per ſe hominem egiſſe hæc omnia*

Apud Labb. tom. 2. pag. 1678.

omnia poſſibilitate naturæ mortalis ſine aliquo Deitatis adjutorio probare conabar. Quare quæ Auguſtinus in nullius adhuc mentem veniſſe ſcribebat, Chriſtum ſcilicet *per liberum arbitrium bene vivendo, & ſine peccato bona opera faciendo meruiſſe, ut eſſet Dei filius*, in Galliis docuerat Leporius, non ſine multorum ſcandalo, aut periculo ne imperitam multitudinem in eaſdem hæreſes traheret.

JESU CHR. AN. 424. *Auguſt. de corrept. & gratia cap. 11. n. 30. p. 760.*

9. A fide itaque aberrans Leporius, ab eruditis viris admonitus eſt, ut errata retractaret; at obſtinato animo renuens a Gallorum Epiſcopis, & præcipue Proculo & Cylinnio, Maſſilienſi ſcilicet, & Forojulenſi in ſecunda Narbonenſi provincia, ut ait Noriſius, vel incertæ ſedis, ut ait Pagius, una cum erroribus ſuis damnatus, ſolum vertere coactus eſt, qui cum in Africam una cum ſociis aliquot tranſiiſſet, ibidem Auguſtini opera errores ſuos agnovit, & retractavit; cumque in Galliis ſe nonnullis ſcandalo fuiſſe cognoſceret, libellum palinodiæ compoſuit, ac in Gallias miſit, quo mira humilitate ſe peccaſſe confeſſus, tota mentis ſinceritate, quæcumque rectæ & catholicæ Fidei adverſantia docuerat, retractavit, eumque libellum ad ſupradictos Proculum, & Cylinnium Epiſcopos, a quibus damnatus fuerat, direxit, eoſque ut ſibi ignoſcerent, humiliter precatus eſt. Libelli vero hæc eſt inſcriptio: *Ego Leporius libellum meo ſenſu dictatum, in quo fidem meam Deo volente in finem uſque tenebo, medullitus exprimere volens, in eccleſia Carthaginenſi coram ſanctis Epiſcopis relectum ſubſcripſi*; cui etiam Dominus, & Bonus, Leporii ſocii ſubſcripſere, eamdem ſe fidem tenere profitentes, & ut certius errores retractaſſe conſtaret libello palinodiæ Leporii, ſociorumque, ſubſcripſere Epiſcopi, qui geſtis præſentes fuerant, ideſt Aurelius Carthaginenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Florentius Hipponenſium Diatrinorum, & Secundus Aquenſis Megarmitanæ, qui omnes ſe libello a Leporio oblato, & relecto ſubſcripſiſſe teſtantur.

Leporius e Gallia pulſus in Africam tranſit, ubi palinodiam canit. *Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 13. Pag. not. 13. ad an. 420.*

Tom. 2. concil. pag. 1684.

10. Quin proprias etiam de Leporii converſione epiſtolas ad Galliarum Epiſcopos dederunt, quibus eos de ejuſdem converſione certiores reddiderunt, & cuncta coram ſe geſta fuiſſe teſtantur, ac ut eos ſuæ communioni reſtituant enixe rogant. Prope miraculum fuit, virum aliquali pietatis ſpecie indutum, errores, quibus antea in Galliis obſtinate patrocinatus fuerat, tam prompte Auguſtini auctoritate & argumen-

Epiſtola Epiſc. Africæ ad Proculum & Cylinnium, de Lepori converſione. *Epiſt. 219.*

Jesu Chr. an. 424. Acta eccles. ſue epiſt. 213.

mentis convictum retractaſſe, de cujus converſione hæc Caſſianus: *Leporius tunc monachus, modo Presbyter, qui ex Pelagii ut ſupra diximus inſtitutione, vel potius pravitate deſcendens, apud Gallias aſſertor prædictæ hæreſeos,* aut inter primos, aut inter maximos fuit, *a nobis admonitus, a Deo emendatus, ita male conceptam perſuaſionem magnifice condemnavit, ut non minus pene admiranda ſit correctio illius, quam illæſa multorum fides; ... Is ergo in ſe reverſus, non ſolum in Africa, ubi tunc erat, atque nunc eſt, tam errorem ſuum cum dolore, quam ſine pudore confeſſus eſt, ſed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates flebiles confeſſionis ac planctus ſui litteras dedit, ſcilicet, ubi deviatio ejus prius cognita erat, illic etiam emendatio noſceretur, & qui teſtes erroris antea fuerunt, iidem poſtea correctionis eſſent.* Eademque de Leporio ſcribit Gennadius libro de Scriptoribus eccleſ. cap. 59. cumque in Africa morari Leporio placuerit, Presbyter etiam ibidem eſt ordinatus, ut ex Caſſiano audivimus; ab Auguſtino vero presbyterum ordinatum fuiſſe vix dubitari poteſt, nam inter Hipponenſes Presbyteros Leporius recenſetur in geſtis eccleſiæ Hipponenſis, cum Eraclium ſibi ſucceſſorem deſignavit Auguſtinus die 26. Septemb. an. 426; quem etiam alienigenam fuiſſe diſerte idem Auguſtinus teſtatur ſermone 50. de diverſis, ut a Noriſio adnotatum eſt. Quo tempore hæc Leporii converſio acciderit, inter eruditos non conſtat; ante annum 429. aut 430, quo Caſſianus librum de Chriſti incarnatione ſcripſit hæc contigiſſe certum eſt, eo etenim tempore Leporius non ſolum errores ejuraverat, ſed & Presbyterali honore exornatus erat, quin ſi Leporius idem eſt ac Hipponenſis Presbyter, cujus in geſtis ab Auguſtino in Heraclio ſibi ſucceſſore deſignando ſit mentio, annum quoque 426. Leporii converſionem præceſſiſſe dicendum eſt, quam uſque ad annum 410. retrahendam eſſe Noriſius cenſet, ad labentem alligat Garnerius, ad ſequentem 425. Sirmondus, Auguſtini vero editores anno 426. eam palinodiam pertinere ſcribunt; ad ſequentem 427. eam vulgatam fuiſſe Pagius contendit. Cum in tanta opinionum varietate ſinguli ſuis innitantur conjecturis, in re dubia minimique momenti, ad hæc tempora id adnotaſſe ſufficiet. Cum ſine dubio Leporianæ retractationis auctor Auguſtinus fuerit, quæri ab eruditis ſolet, num palinodiæ libellus, cui Leporius ſubſcripſit, Auguſtino ſit inſcriben-

Hiſtoria Pelag. lib. 1. 23. lib. 2. 3. Garner. de ſynodis in cauſa Pelag. diſſer. 2. Præf. in tom. 10.

An libellus Leporii Auguſtino tribuendus ſit.

bendus, in quam rem, cum in varias etiam opiniones abierint eruditi, nil probabilius dici poteſt, quam utrique adſcribi eam poſſe, Auguſtino, qui eam fortaſſe digeſſit, Leporio vero, qui ſubſcriptione ſua propriam fecit, ſuoque nomine vulgandam curavit.

Jesu Chr. an. 424.
Queſnell. notæ ad epiſt. 134. S. Leonis Baſnag. an. 426. 3. Ballarini op. Leonis tom. 2. pag. 1559.
Auguſtini epiſt. ad Vitalem.
Epiſt. 217.

11. Inter Auguſtinianas concertationes adverſus Pelagianos hoc tempore habitas, epiſtola ad Vitalem numeratur, eaque Vitalem quemdam Carthaginenſem Presbyterum, aut fortaſſe monachum, quem etiam fratris nomine exornat, confutat, eo quod etſi Pelagii nomen hæreſimque ſe abhorrere profiteretur; Pelagianorum tamen placitis ſive ſciens, aut imprudens ſubſcribebat, ut diceret fidei initium non a Deo repetendum, aut expectandum, ſed ex libero arbitrio, ac proinde pro infidelium, hæreticorumque converſione nequaquam orandum eſſe effutiebat. Ut itaque tantum in eo vulnus curaret, eruditam ad eum epiſtolam dedit, qua in inſcriptione ſe ſervum ſervorum ejus dicit, ac primo eum non recte ſapere, ſed Pelagianorum luto hœrere admonet, ac ex Eccleſiæ catholicæ auctoritate, & more, cum pro infidelibus, ut ad fidem convertantur, orat, eum in errore maximo verſari demonſtrat, quare: *Dic ergo apertiſſime*, ait, *nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, ſed eis tantummodo prædicare. Exere contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, & pro catechumenis ut eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent, ſubſanna pias voces, & dic non facere quod hortatur*, ideſt Deum *pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non ſint iſta divinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis. Et homo in Carthaginenſi eruditus Eccleſia, etiam beatiſſimi Cypriani librum de dominica oratione condemna, quam doctor ille cum exponeret, ea petenda eſſe oſtendit a Deo Patre, quæ tu dicis eſſe homini ab homine, hoc eſt a ſe ipſo*. Poſt Eccleſiæ auctoritatem, & Cypriani teſtimonium ex veteris novique Teſtamenti locis pluribus idem confirmat, ac tandem duodecim capitibus, ſeu canonibus, catholicæ Eccleſiæ circa Chriſti gratiam, liberique arbitrii vires, fidem complectitur.

S. Auguſt. epiſt. 217. n. 2.

Quid fides catholica adverſus Pelagianos doceat.

12. Unde ait: *Quoniam ergo propitio Chriſto Chriſtiani catho-*

JESU CHR. AN. 424. *catholici ſumus*, *ſcimus nondum* natos nihil egiſſe in vita propria boni ſeu mali, nec ſecundum merita prioris alicujus vitæ, in hujus vitæ venire miſerias: ſed ſecundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari a ſupplicio mortis æternæ, quod trahit ex uno in omnes tranſiens juſta damnatio, niſi per gratiam renaſcantur in Chriſto. 2. Scimus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus ſecundum merita noſtra dari. 3. Majoribus gratiam ad ſingulos actus dari. 4. Non tamen omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſolum ſecundum merita non dari, ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maxime apparet in parvulis. 5. Quibus datur, miſericordia Dei gratuita datur. 6. Quibus non datur, juſto judicio Dei non dari. 7. Scimus quod omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut ferat unuſquiſque ſecundum ea, quæ per corpus geſſit, non ſecundum ea, quæ ſi diutius vixiſſet geſturus eſſet, ſive bonum, ſive malum. 8. Etiam parvulos ſecundum ea, quæ in corpore geſſerunt, recepturos vel bonum vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Propter quod & illis, qui hoc ſacramentum non accipiunt, contigit quod ſequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur*. Secundum hæc ergo, quæ per corpus geſſerunt, non ſecundum ea, quæ ſi diu hic viverent, geſturi fuerant, judicantur. 9. Scimus felices eſſe mortuos qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, ſi tempore diuturniore vixiſſent. 10. Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſua id facere voluntate, ac libero arbitrio. 11. Scimus pro eis, qui nolunt credere, nos qui jam credimus recta fide agere, cum Deum oramus ut velint 12. . Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tamquam de beneficiis, recte atque veraciter & debere nos Deo agere gratias & *ſolere*. His vero non ſolum alia ad ſingula capita adnotat, ſed hæc ad catholicam fidem pertinere admonet; & ſane Auguſtini doctrina iis capitibus contenta, ad catholicam Fidem pertinere, non unius Auguſtini auctoritate, quæ ſane hoc in argumento maxima eſſet, conſtat, ſed maxima ex catholicæ Eccleſiæ ſententia, dum eadem Auguſtini capitula

tula in Arauſicano concilio anni 529 adverſus Semipelagianos celebrato adoptavit, confirmavitque, quæ deinde a ſummis Pontificibus confirmata, tanquam catholicæ Eccleſiæ canones recepti, maximam ubique auctoritatem, firmitatemque habuerunt, quibus ſi recentiores Theologi attendiſſent, tot tantæque de Chriſti gratia concertationes, quæ non ſine maximo fidelium ſcandalo noſtris hiſce temporibus agitatæ ſunt, facilius feliciuſque conſopitæ remanſiſſent.

JESU CHRISTI An. 425. Cælestini Papæ 4. Theodosii Jun. 24. et 18. Valentiniani 3. Imp. an. 2. Coss. Theodosio Aug. XI. et Valentiniano Cæsare.

1. Ut facilius viam ſibi ad fœdus cum Theodoſio ineundum ſterneret Joannes, Ardaburium Theodoſii ducem, quem captivum Ravennæ detinebat, humaniſsime excepit. At Ardaburius Aſparem filium ſuum ſollicitavit, ut Ravennam tanquam ad certam victoriam properaret; is vero etſi patris captivitate turbatus, ac Ætio cum maxima Hunnorum manu jamjam inſtante, quo ſe verteret, prope neſciret, *per Paludem* tamen, qua nemo hactenus tranſierat, Ravennam cum ſuis ab Angelo deductus eſt, ait Socrates; cujus portas cum apertas offendiſſet, patrem a captivitate liberavit, & Joannem tyrannum captivum fecit. De Joannis captivitate, & obitu, paulo aliter rem narrat Philoſtorgius, Ardaburium ſcilicet Joannis ductores ad rebellionem propenſos contra tyrannum excitaſſe, ac filium Aſparem ut properaret admonuiſſe. *Qui cum celeriter adventaſſet, una cum equeſtribus copiis*, levi inito prælio, captus eſt Joannes, *proditione eorum, qui circa ipſum erant*, & Aquilejam ad Placidiam & Valentinianum deductus, ibique dextra manu prius amputata, poſtea etiam capite truncatus eſt: de Joannis ſupplicio addit Procopius, cum contumelia in Hipprodromo circumductum antea fuiſſe. Tertia autem die ab tyranni interitu, cum Ætius adveniſſet, ſexaginta fere hominum millia ſecum ducens, commiſſo inter eum, & Aſparis exercitum prælio, multi ex utraque parte ceciderunt, ait Philoſtorgius: *Poſt hæc Ætius fœdus iniit cum Placidia, & Valentiniano, & Comitis dignitatem accepit. Barbari vero auro accepto, iram atque arma depoſuerunt, & obſidibus datis, fideque viciſſim accepta, in proprias ſedes reverſi ſunt*. Hæc Philoſtorgius Ariane ſe-

Joannis tyranni interitus.
Socrat. lib. 7. 23.
Philoſt. lib. 12. 15.
Procop. de bello Vandal. lib. 1. 3.
Philoſt. ut ſup. 14.

næ ſectæ hiſtoricus, cujus hiſtoriam hæreticorum laudationem, Catholicorumque vituperationem merito dixit Photius. Circenſibus ludis vacabat Theodoſius, cum de interfecto tyranno nuncium accepit, quare pietatis illuſtre exemplum edidit, nam ad populum: *Eja ſi placet*, ait, *relictis Circi voluptatibus, ad eccleſiam pergentes, Deo, cujus dextera tyrannum oppreſſit, grates perſolvamus*. His dictis ſpectacula finita ſunt, & populus una cum Imperatore ad eccleſiam pſallens, & gratias agens perrexit, ac per totam diem perſeveravit.

Phot. Cod. 40. p. 12. Socrat. ut ſup.

Valentinianus tertius Auguſtus creatur, Romam pergit. *Socrat. lib. 7. 24.*

2. Joanne interfecto, ſollicitus aliquandiu fuit Theodoſius, quemnam Occidentali Imperio præficeret, ait Socrates. Valentinianum tamen ex Placidia ipſius amita, & Conſtantio genitum, quem Caeſarem antea dixerat, Auguſtum renunciavit, qui cum puer ſeptennis eſſet, ſub matris tutela eſſe voluit, ac in Italiam remiſit. *Cum Theſſalonicam perveniſſet, morbo ingruente, ulterius progredi probibitus eſt*. At paulo poſt ab infirmitate recreatus, cum Placidia matre Ravennam primo, Romam deinde ingreſſus, purpuram ibidem induit, ait Olympiodorus, quod decimo Kal. Novemb. contigiſſe narrat Chronicum Alex. idemque confirmat Socrates, his verbis: *Nunciata eſt noncupatio Auguſti Valentiniani junioris die decima Kal. Novemb.*, non tamen, ut adnotat Pagius, ea die CPoli hæc nunciata ſunt, ſed multo poſt nunciatum ibidem fuit, decimo Kal. Novemb. Valentinianum Romæ purpuram induiſſe. De Valentiniani Imperatoris geſtis nunc adnotare ſufficiet, malo Italiæ, & Occidentalis Imperii fato, eam dignitatem obtinuiſſe, nam ſi vera narrat Procopius: *A Placidia matre in omni mollitie enutritus, atque illius vitio effeminatus, ad incantamenta, mathematicaque ſe convertit, utque matronis potiretur alienis, omni ſtudio ac vitæ infamia curavit, quamquam & ipſe uxore formoſiſſima non carebat. Quapropter eo ob ignaviam venit, ut non ſolum amiſſa non recuperaret, ſed denuo Africam amitteret*.

Apud Phot. pag. 75. Socrat. lib. 7. 25. Pagi not. 3. 4. & 5. ad an. 425. Procop. de bello Vandal. lib. 1. 3.

Variæ Theodoſii, & Valentiniani leges. Spectacula diebus feſtis prohibita. *Leg. 5. Cod. Theod. de ſpectaculis.*

3. Nonnulla hoc tempore pietatis, & religionis indicia Theodoſius, & Valentinianus poſteritati reliquerunt, inter cetera Theodoſius Kal. Febr. ad Aſclepiodorum ſcribens, ne dies feſti ſpectaculis polluerentur, lege lata prohibuit: *Dominico, qui ſeptimanæ totius primus eſt dies, & Natale, atque Epiphaniorum, Chriſti Paſchæ, & in Quinquageſimæ diebus, quandiu cæleſtis lumen lavacri imitantia novam ſancti bapti-*

baptiſmi lucem veſtimenta teſtantur; quo tempore & memoratio Apoſtolicæ paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ a cunctis rite celebratur, omni Theatrorum atque Circenſium voluptate, per univerſas urbes earumdem populis denegata, totæ Chriſtianorum ac Fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Si qui etiam Judæi impietatis amentia, vel ſtolido Paganitatis errore & inſania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum noverint tempus, aliud voluptatum. Nec occurrente iis diebus Natalitia Imperatorum, eadem celebrari permittit, cum potior habendus eſſet honor Deo debitus, quam Principibus. Theodoſius quidem magnus Dominico die ſpectacula prohibuerat, ludoſque theatrales, circenſes, & venationes, ut liquet ex lege ſecunda de ſpectaculis; Honorius poſtea ab Africanis Patribus rogatus, omnibus diebus feſtis, ut liquet ex canone 61. Codicis eccleſiæ Africanæ, ſpectacula celebrari prohibuerat; Theodoſius vero hac nova conſtitutione ſingulis diebus feſtis dies jejuniorum, ſupplicationumque addidit; & ſane s. Joannes Chryſoſtomus populum vehementer arguerat, eo quod quadrageſimæ, & jejuniorum diebus, ad Circenſia certamina ſe ſe contuliſſent: Gregorius etiam Nazianzenus Celenſium Præſidem reprehenderat, eo quod jejunii diebus ſpectacula exhibuiſſet. *Homil. 5. in Geneſim.*

4. Valentinianus etiam, ſeu pro eo Theodoſius, & Placidia mater, ut pro debellato Tyranno, adeptoque Imperio gratias Deo redderet, hoc eodem anno, plures ſanctiones pro Eccleſiæ juribus, privilegiiſque ſervandis vulgavit, ac primo ad Georgium Africæ Proconſulem: *Privilegia præteritarum legum*, ait, *Eccleſiæ, ſive clericis delata, ſerventur; dat. prid. Non. Julii Aquilejæ DN. Theodoſio Aug. XI. & Valentiniano Cæſ. Coſſ.* Menſe deinde Octob. ad Baſſum Comitem rerum privatarum Privilegia Eccleſiis, clericiſve a Joanne tyranno abrogata, revocari juſſit, ea præcipue quæ eccleſiaſticum forum ſpectabant, & clericorum immunitatem: *Fas enim non eſt*, ajebat piiſſimus Imperator, *ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio*. Vidiſti lector, adnotat Baronius ad hunc locum, quæ invaſor Imperii, & jurium Eccleſiaſticorum violator tyrannus primo ingreſſu lege ſancierit; ob idque tamquam fœnum, quod velociter areſcit, quam citiſſime defeciſſe; nec quicquam ei profuiſſe centum ferme millia Barbarorum in Italiam advocaſſe, cum miſer pene ſolus ab Aſpare angelico ductu imparatus offenſus capitur, & jugulatur;

Valentinianus privilegia eccleſiis ſervari jubet. *Cod. Theod. de Epiſc. & cler. leg. 46. & 47.*

Jesu Chr. An. 425.

latur: contra vero de immani Tyranno Barbarorum copiis præpotente imbellem puerulum Valentinianum, inſtar David, inſperatum retuliſſe triumphum, qui & pro gratiarum actione, has affixit ubique locorum de reſtituenda libertate Eccleſiaſtica ſanctiones?

Aliæ Valentiniani leges adverſus hæreticos, & ſchiſmaticos. *Cod. Theod de hæret. leg. 62. Leg. 63. 64. ut ſup. Sirmond. append. ad Cod. Theodoſ. Garner. diſſert. 3. tom. 1. pag. 258. Pag. n. 10. ad an. 425.*

5. Cumque hæretici & ſchiſmatici legibus Honorii repreſſi, ſub tyranno Joanne caput extuliſſent, eo ſublato, Valentinianus eoſdem coercendos cenſuit; ac pridie nonas Auguſti ad Proconſulem Africæ ſcribens, lege altera hæreticos omnes, ſchiſmaticos, & ſuperſtitionis Gentiliciæ aſſeclas, proſcriptione plectendos juſſit, ac urbibus exterminandos, quod etiam octavo idus Auguſti ad Baſſum rerum privatarum Comitem ſcribens confirmavit; & in Italia ſervari imperavit. His pœnis Pelagianos quoque fuiſſe comprehenſos, poſt Sirmondum adnotavit Garnerius, ac Valentiniani legem ad Amacium Præfectum Prætorii Galliarum refert, quam legem etſi in appendice Codicis Theodoſiani rejiciendam cenſuerit Gothofredus, injuria tamen id factum ab eo fuiſſe, tum Garnerius, cum Pagius demonſtrant.

Theodoſii lex de ſtudiis liberalium artium promovendis. *Cod. Theod. l. 3. de ſtudiis liberalium artium.*

6. In liberalibus artibus promovendis non minimam hoc anno curam impendit Theodoſius, & ut litterarium Gymnaſium in meliorem formam CPoli redigeret, nonniſi probatos viros, atque ad id muneris delectos, bonis artibus tradendis admittendos juſſit, quos etiam non alio loco, quam in Capitolio docere voluit, quorum numerum hac edita ſanctione complectitur. *Habeat*, inquit, *auditorium ſpecialiter noſtrum, in his primum quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, decem vero Grammaticos. In his etiam qui facundia Græcitatis pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtæ, & Grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum adoleſcentiam generoſam optamus inſtitui, profundioris quoque ſcientiæ atque doctrinæ memoratis magiſtris ſociamus auctores. Unum igitur adjungi cæteris volumus; qui Philoſophiæ arcana rimetur, duos quoque qui Juris ac legum formulas pandant. Ita ut unicuique loca ſpecialiter deputata aſſignari faciat tua ſublimitas, ne diſcipuli ſibi invicem poſſint obſtrepere &c.* Hæc quidem hoc anno, tertio Kalendas Martii, Idibus vero ejuſdem menſis, alia rurſum edita ſanctione, eos qui diutius diſciplinas ibidem tradidiſſent, Comitiva ordinis primi dignitate idem Imperator honeſtare voluit, hos, ſcilicet, Græcorum Grammaticorum Helladium, & Syrianum,

Cod. Theod. tom. 5. pag. 227. leg. 1. de profeſſ. & tit. 31. apud Gothod. tom. 2. p. 113.

num, Latinorum Theophilum, Sophiſtarum Martinum, & Maximum, Juriſperitorum Leontium: eodem quoque honore cæteros exornandos fore, cum vigintiduorum annorum curſum docendo compleſſent. His vero ſi juris, & medicinæ profeſſores addas, quorum alibi eodem Codice occurrit mentio, Academiæ ſtudiorum ſeu Univerſitatis, ut nunc loquimur, ſpecimen & exemplar habebimus. Romæ etiam eamdem ſtudiorum Academiam antiquitus fuiſſe teſtis eſt lex unica de ſtudiis urbis Romæ & CPoli anno 370. a Valentiniano, Valente, & Gratiano AAA. edita, qua quæ ſervanda, & cuſtodienda ab iis eſſent, qui ſtudiorum cauſa Romam pergebant, ſtatuitur, cujus ſuo loco mentionem fecimus; ſed ne quid ſtudentium utilitati deeſſet, bibliothecam etiam CPoli anno 372. Valens Imperator erigendam, ſeu potius reſtaurandam curavit, cui antiquarios, & cuſtodes, adſignatis ſtipendiis, præfecit, hac ſanctione vulgata, de Antiquariis, & cuſtodibus bibliothecæ CP. *Antiquarios ad bibliothecæ Codices componendos, vel pro vetuſtate reparandos, quatuor Græcos & tres latinos ſcribendi peritos legi jubemus &c.* dat. VIII: id Maji Modeſto, & Arintheo Coſſ. an. 377. *Gothod. tom. 5. pag. 225.*

7. Valentiniani lege edverſus hæreticos lata, Pelagianos quoque fuiſſe notatos, ſupra diximus, quos ab Epiſcopis ubique variis in ſynodis in Oriente exagitatos fuiſſe nunc ſcimus. Atque inter primas occurrit Conſtantinopolitana ab Attico aliquot ab hinc annis celebrata, cujus Auguſtinus his verbis meminit: *Ubique diffuſus Chriſti exercitus debellavit apud Carthaginem Cæleſtium, quando ipſe non eram, & rurſus Conſtantinopolitani longe a regionibus Africanis.* Rem fuſius narrat Mercator: *Inde poſt aliquantos annos ſub ſanctæ memoriæ Attico Epiſcopo urbem CPolitanam petiit*, Cæleſtius ſcilicet, *ubi in ſimilibus detectus, magno ſtudio ſancti illius viri, ex prædicta alma urbe detruſus eſt, litteris ſuper ejus nomine, & in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos miſſis, quarum exemplaria habentes proferre ſumus parati:* Quos etiam CPoli ab Attico damnatos fuiſſe cecinit Proſper his verſibus:

De ſynodis in cauſa Pelagianorum habitis.

Synodus CPolitana.

Auguſt. lib. 3. contra Julian. cap. 1.

Mar. Merc. common. cap. 1. apud Garner. pag. 7.

Proſp. de ingr. verſ. 75.

Quid

Jesu Chr. an. 425.

Quid loquar, & magna curam quam geſſit in urbe
Conſtantinopoli docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide, de qua tunc impia corda
Quamvis ſe obducto tegerent velamine formæ
Judicii tacitæ tulerant tormenta repulſæ?

Synodus Antiochena. *Commonit. cap. 3. n. 4. pag. 18.*

8. Circa idem tempus ſynodus altera Antiochiæ contra Pelagium habita eſt, a Theodoto Antiocheno Epiſcopo, de qua iterum audiendus eſt Marius Mercator: *Adhuc Hieroſolymis conſtitutus Pelagius accuſatus fuit apud ſynodum, & primo quidem tergiverſando ambiguis quibuſdam ſe profeſſionibus tegens, & proſequens dubia, vel reſpondens, illam tunc videtur Epiſcoporum audientiam deluſiſſe*; quæ in Hieroſolymitana ſynodo a Joanne celebrata contigiſſe ſcimus, qua Pelagius catholicus declaratus eſt. *Sed poſtmodum evidenter deprehenſus, inſiſtentibus accuſatoribus a poſteriore ſynodo, cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit Epiſcopus, atque detectus, a ſanctis quoque & venerabilibus Hieroſolymorum locis eſt deturbatus. Quod ejuſdem Sancti Theodoti ad reverendiſſimum Urbis Romæ Epiſcopum, & ſanctæ recordationis Praylii Hieroſolymitani Epiſcopi ſcripta teſtantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.* Hactenus de Antiochena ſynodo adverſus Pelagium, quam Auguſtino ignotam fuiſſe probabile inde redditur, quod ejuſdem nullibi mentionem faciat. Eam tamen præ oculis habuiſſe Photium, cum Pelagianam hæreſim ubique damnatam fuiſſe ſcribit temporibus Cyrilli Alex. Epiſcopi, & Innocentii Rom. Pontificis, dubitari non poteſt.

Phot. Cod. 54. Garner. de ſynod. pag. 207. Pag. ad an. 424. n. 8.

De ſynodo Anazarbi habita. *Apud Garn. part. 2. pag. 250.*

9. Antiochenæ ſynodo Cilicem addimus, Anazarbi a Maximino ſecundæ Ciliciæ Epiſcopo, adverſus Julianum habitam, cujus Mercator in præfatione ad ſymbolum Theodori Mopſueſteni his verbis meminit: *Agnoſcat ſupradictus Julianus ex hac translatione ſi legere non faſtidierit, manente apud memoratum Theodorum illa, qua eum diximus mala fide ſecum Neſtorium decepiſſe, etiam ſibi magis, ſuoque dogmati, de quo male turgidus & maleſanus libros confecit, eſſe contrarium, ſeque etiam poſt de Cilicia abſceſſum, ab eo in Epiſcoporum provinciæ ſuæ conventu anathemate eſſe damnatum.* Biennio aute Julianus, Imperatoris edicto, & Epiſcoporum ſententia damnatus

tus, atque Italia pulſus, ad Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum perrexerat, quem Pelagianis patrocinari ſciebat, quo cum eſſet, ac audacius hæreſim diſſeminando, tumultus, turbaſque excitaſſet, paulo poſt inde etiam abire coactus eſt. At Epiſcopi ſecundæ Ciliciæ, quibus Maximinus Anazarbi, Juſtinianopolis poſtea dictæ, præerat, ut ex ſubſcriptionibus conciliabuli Epheſini conſtat, quo hæreſim, non ſolum tota Occidente damnatam, ſed etiam in Palæſtina, CPoli, & Antiochiæ, ipſi quoque ſynodo coacta anathemate damnarunt, cui Theodorus etiam his thecnis aſſuetus, ſubſcripſit, ut mirum ſit non ſolum Theodorum Pelagiani hæreſis fautorem, ſed alios etiam Epiſcopos, qui Neſtorio poſtmodum aperte patrocinati ſunt, Pelagianæ hæreſi tunc temporis anathema dixiſſe; at cum plurima hæreſis Pelagianæ capita eſſent, in pluribus a Pelagianis Neſtoriani diſſidebant, ut mirum non ſit, Theodorum alioſque Epiſcopos Neſtoriana fuligine tinctos, Julianum cum ſua hæreſi condemnaſſe, ut pluribus Garnerius adnotat. *Apud Garner. part. 2. p. 2.*

10. Cum CPoli abeſſet hoc anno Theodoſius, Theſſalonicam uſque progreſſus, ut diximus, pridie quam CPolim ingrederetur, *ſepulchro conditus fuerat Atticus*, qui anno *Epiſcopatus ſui primo & vigeſimo*, (ſeu potius vigeſimo ab anno 406. *Arcadio VI. & Probo Coſſ.* ut idem tradit Socrates, ad labentem Theodoſii XI. & Valentiniani Cæſaris) *abiit vita die ſexto idus Octob.*, vir ſane non ſolum Cæleſtini Papæ, & Proſperi elogio ornatus, ſed & ob res præclare geſtas clarus, quem tempus obitus ſui prædixiſſe narrat Socrates: *Nam cum Nicæa diſceſſurus eſſet, Calliopo illius loci presbytero dixit: cura, ut ante autumnum CPolim venias, ſi me adhuc vivum videre cupis, ſerius enim ſi veneris, ſuperſtitem me non reperies. Quod cum dixiſſet, a veritate non aberravit.* Ipſe etiam Orientales cum Occidentalibus reconciliavit, ac qui ſe ab eccleſiæ communione Chryſoſtomi cauſa ſeceſſerant, quique Joannitæ dicebantur, ſuæ iterum ſociavit communioni, dum Joannis nomen ſacris dypticis inſeruit. In Novatianos vero mitem, moderatumque fuiſſe idem adnotat Socrates, in pauperes vero adeo liberalem fuiſſe addit, ut pro egenorum ſolatio ad vicinas etiam eccleſias pœcuniam mitteret, cujus rei exemplum extat in epiſtola ad Calliopum Nicæenſis eccleſiæ Presbyterum, cui tercentos aureos miſit, ut epiſtola ſua ad eum data teſtatur, quæ apud Socratem loco ſupracitato videri poteſt.

Attici Epiſcopi CP. obitus, & elogium. *Socrat. lib. 7. 25.*

11. Hoc

Jesu Chr. an. 425. Praylio Hieroſolym. Epiſcopo ſuccedit Juvenalis. *Pag. n. 27. ad an. Bar. 429.*

11. Hoc anno Praylio Hieroſolymorum Epiſcopo vita functo, ſucceſſit Juvenalis, cujus ordinationem ad labentem annum revocandam eſſe ait Pagius. Annos vero decem incompletos sediſſe Praylium, non vero 20. ut per errorem apud Nicephorum, & Theophanem legitur, pluribus ibidem probat. Nec multo poſt Juvenalis Petrum Seracenorum primum Epiſcopum ordinavit, quem ab Euthymio ad fidem Chriſtianam converſum fuiſſe ſupra diximus, ac quadriennio poſt Epheſino concilio ſubſcripſiſſe ſcimus.

Vandali Hiſpanias vaſtant.

12. Hoc etiam tempore cum variæ Barbarorum nationes Rom. Imperium invaſiſſent, varia adverſus eas ſorte pugnatum eſt, in Hiſpania etenim teſte Idacio in chronico ad proximum & labentem annum *Baelaricas inſulas* Majoricam ſcilicet, & Minoricam, *deprædantur. Deinde Carthagine Spartaria, & Hiſpali everſa, & Hiſpaniis deprædatis Mauritaniam invadunt.* Quot inde in Hiſpania & Africa clades ſecutæ ſint, quantaque cum catholicæ fidei jactura hæc evenerint, inferius viſuri ſumus: nunc lœtiora addimus.

Hunni, aliique barbari Deo auctore profliguntur. *Socrat. lib. 7. 42. 43.*

13. Nam alia omnino in Oriente belli fortuna fuit, ac barbaricæ gentes, quæ Occidentali Imperio vaſtitatem attulerunt, in Oriente victæ omnino ac profligatæ ſunt, ut narrat Socrates; nam non ſolum Joannem tyrannum, & innumerabiles Barbarorum copias, fere ſine prælio Italia Theodoſius expulit, ut ſupra diximus, ſed etiam in Oriente plures Hunnorum gentes cum eorum ducibus, ſine armis & exercitu fugavit. Siquidem eorum dux: *Cui nomen erat Rohas fulmine perculſus interiit. Deinde ſecuta peſtis, maximam partem Barbarorum, qui ſub illo erant, neci dedit. Neque vero hic malum ſubſtitit: ſed & ignis de cælo miſſus, multos ex iis qui ſuperfuerant abſumpſit. Atque ea res graviſſimum terrorem incuſſit Barbaris, non tam propterea quod contra bellicoſam Romanorum gentem bellum movere auſi fuiſſent, quam quod præpotentem Deum iis auxilio eſſe intelligerent*; eademque Theodoretus confirmat, additque facilitate pari adverſus Perſas in Romanum Imperium inopinato irruentes pugnatum fuiſſe. Hæc autem ob eximiam Theodoſii pietatem a Deo præſtita fuiſſe uterque adnotat, de quibus etiam plurima narrant; inter cetera Proclus tunc temporis CPolitanæ eccleſiæ Presbyter, poſtea Epiſcopus, ad populum ſermonem habens, Ezechielis Prophetiam ad Theodoſii victorias appoſite accommodavit; Prophetiæ autem ver-

Theodor. hiſt. lib. 5. 37.

Ezech. 38.

verba hæc erant: *Tu fili hominis vaticinare ſuper Gog Principem Rhos, Miſoch, & Tobel, judicabo eum morte & ſanguine, & pluvia incendenti & lapidibus grandinis, & ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper omnes, qui ſunt cum eo, & in gentes multas cum eo; & magnificabor, & glorificabor, & notus ero oculis multarum gentium, & ſcient, quia ego ſum Dominus*. Hæc porro, quæ de Gog & Rhos prædixerat Ezechiel, non injuria Rohæ, ſeu Rojlæ Schytarum Hunnorumque duci aptavit Proclus.

JESU CHRISTI AN. 426. CÆLESTINI PAPÆ 5.
THEODOSII IMP. 25. ET 29. VALENTINIANI 3. IMP. 2.
COSS. THEODOSIO AUG. XII. ET VALENTINIANO AUG. II.

Siſinnius Epiſc. CP. ordinatur. *Socrat. lib. 7. 26.*

1. Conſtantinopolitanæ ſedi, ob mortem Attici, paſtore viduatæ plurimi inhiabant; nam, ut ait Socrates: *Philippum Presbyterum nonnulli, alii Proculum, qui etiam presbyter fuit, cupiebant. Sed univerſus populus communi conſenſu Siſinnium optabat*, qui quidem presbyter erat in ſuburbano Conſtantinopolos, cui nomen eſt Elæa, in quem locum ex antiqua conſuetudine dies feſtus Aſcenſionis Dominicæ ab univerſo populo celebrabatur. Cum itaque Siſinnium præceteris CP. cives exoptarent, tum quod pietate excelleret, ceteris prælatus, Kal. Martii ordinatus eſt.

De Philippo Sidete, ejuſque hiſtoria. *Socrat. lib. 7. 26, 27.*

2. At Siſinnium ſibi prælatum fuiſſe ægerrime tulit Philippus Presbyter Sidenſis dictus, utpote Side in Pamphilia natus, ac in ea quam conſcripſit hiſtoria chriſtiana, Siſinnium ordinatoreſque ejus mordaciori ſtylo vexavit. Cum enim in ſtudiis litterarum multum operæ laboriſque poſuiſſet, multa opuſcula edidit. Inter cetera Juliani Imperatoris libros confutaverat, Chriſtianamque hiſtoriam libris triginta ſex diſtinctam vulgaverat, in qua variam quidem eruditionem congeſſerat, ita ut Geometriæ, Muſicæ, Aſtrologiæ, Inſularum, arborum, montium mentionem fecerit. At tanta rerum varietas in unum collecta opus doctis pariter & indoctis inſulſum, & inutile reddidit, ut ait Socrates, cui conſentit Photius, qui hiſtoriæ Philippi tres & viginti libros legerat. *Lectum eſt*, inquit, *Philippi Sidetæ opus, cujus titulus, Chriſtiana Hiſtoria, ducto inde initio: In principio creavit Deus cælum & terram, et perſequitur Moſaicæ hiſtoriæ quædam*

JESU CHR. AN. 426. Phot. Cod. 35. pag. 22. *ſuccincte, quædam copioſe, multis ubique verbis uſus .... &c.* Deinde *ſatietatem affert, aut potius moleſtiam, atque oſtentationis plus habet, quam utilitatis*. Ceterum cum vix ullius apud antiquos pretii fuerint Sidetis opera, jamdiu ea periere, aut adhuc in bibliothecis latent.

De Siſinnii CP. Ep. geſtis. Pagius not. 8. ad an. 427. Baluz. collect. concil. p. 374. Phot. Cod. 52. pag. 17. 3. Ob Siſinnii ordinationem ſynodum CPoli congregatam fuiſſe ex Photio ſcimus, qua Meſſalianos etiam damnatos fuiſſe narrat: *Siſinnius item CP., & Theodotus Antiochenus communem epiſtolam ad Berinianum, & Amphilochium, ceteroſque in Pamphylia Epiſcopos ſcripſere, cujus epiſtolæ hæc inſcriptio eſt: Deo cariſſimis ſacrorum collegis Beriniano, & Amphilochio omnibuſque in Pamphylia Epiſcopis, Siſinnius atque Theodotus, & univerſa ſancta ſynodus, quæ Dei gratia in magna urbe CPolitana coacta eſt, conſecrandi gratia Deo amantiſſimi Epiſcopi Siſinnii, juſſu & auctoritate pientiſſimi, & Chriſto cari Imperatoris Theodoſii ſalutem in Domino &c.* quæ deinceps in Meſſalianos, Neone Epiſcopo ſuadente, ſtatuta ſunt addit, ut ſcilicet omnes, etſi Epiſcopali dignitate fulgeant, qui hæreſi favere convicti fuerint, vel ſuſpecti, loco ſuo, & communione Eccleſiæ amoverentur; cumque Siſinnius die ultima Februarii CP. Epiſcopus electus fuerit, labenti anno ſynodum, ejuſdem conſecrandi gratia, congregatam fuiſſe patet.

Proclus Cyzicenus Epiſcop. ordinatur. Socrat. lib. 7. 28. 4. Interea mortuo Cyziceno Epiſcopo, Siſinnius, cui Epiſcopos in Heleſponto ordinandi jus erat, Proclum Cyzicenis Epiſcopum ordinavit; ſed dum ille profectionem parat, Cyziceni Dalmatium quemdam monachum Epiſcopum ſibi conſtituerunt, ſoli Attico id fuiſſe conceſſum ajentes, ut illic Epiſcopos ordinaret; quare Proclus a Cyzicenæ eccleſiæ adminiſtratione excluſus, CPoli manſit, ubi frequenter ad populum verba faciens, maximam gloriam adeptus eſt, ac deinde CPolitanæ eccleſiæ Epiſcopus ordinatus, ut ſuo loco videbimus; Siſinnius vero *vir*, ut ait Socrates, *ob temperantiam quidem, vitæque ſanctitatem, & ob benignitatem* erga pauperes celeberrimus fuit, ſimplex præcipue & affabilis, ac a negotiis alienus, qui nedum expleto biennio, anno ſequenti, Kal. Januarii vivere deſiit.

Auguſtinus Eraclium ſibi coadjutorem eligit. 5. Cum annum ætatis ſeptuageſimum ſecundum, Epiſcopatus vero ſecundum ſupra trigeſimum ageret Auguſtinus, ac paſtoralis officii curis, libriſque ſcribendis euſque intentus

tentus eſſet, ut reſpirare vix poſſet, ſucceſſorem ſibi coadjutoremque in officio Epiſcopali elegit, ut cum eo Epiſcopalis officii ſollicitudines divideret, & lites, quæ in Epiſcoporum ordinatione ſæpe eveniebant, ſe defuncto præcideret. Rei geſtæ diem & annum exhibent acta eccleſiaſtica a notariis excepta, quorum hoc eſt initium: *Glorioſiſſimo Theodoſio duodecies & Valentiniano Aug. iterum Coſſ. ſexto Kal. Octobris, cum Auguſtinus Epiſcopus, una cum Religiano & Martiniano Coepiſcopis ſuis conſediſſet in eccleſia Pacis Hipponenſium Regiorum, præſentibus Saturnino, Leporio, Barnaba, Fortunatiano, Ruſtico, Lazaro, & Eraclio presbyteris, adſtante clero & frequenti populo, Auguſtinus epiſcopus dixit: Quod externo die promiſi caritati veſtræ, propter quod vos volui frequentius convenire, & video frequentius conveniſſe, mora omni poſtpoſita hoc agendum eſt.* His addidit, quod cum homines mortales ſint, dieſque hujus vitæ ultimus omni homini incertus eſſet; cum ſæpe poſt obitum epiſcoporum, per ambitioſos aut contentioſos Eccleſiæ perturbari ſolerent, ne idem poſt obitum ſuum contingeret, Eraclium Presbyterum ſibi ſucceſſorem deſignavit. Cumque populus fauſtis acclamationibus, ſe Auguſtini deſiderio obſecuturum fore promiſiſſet, de Eraclio, quem ſibi ſucceſſorem delegerat: *Non opus me de laudibus ejus aliquid dicere, faveo ſapientiæ, parco verecundiæ, ſufficit, quia noſtis eum, & hoc me velle dico, quod vos velle ſcio, etſi ante neſcirem, hodie probarem &c.* cujus etiam laudes alibi ad populum verba faciens proſequitur. Ut itaque geſta conficerentur eccleſiaſtica, quibus de ejuſdem electione conſtare poſſet, rogavit; populus vero iteratis acclamationibus Auguſtini ſententiam confirmavit: *Te Patrem, Eraclium Epiſcopum dictum eſt ſexies.* Addidit poſthæc Auguſtinus, nolle Eraclium Epiſcopum ſe vivente ordinari, quod in ſe ipſo factum fuerat, cum a Valerio ut ei ſuccederet, deſtinatus fuerat, eo quod Nicæno canone vetitum id eſſet, quod nec ipſe, nec Valerius tunc ſciret: *Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo*; deinde: *Erit Presbyter ut eſt, quando Deus voluerit, futurus Epiſcopus.*

Epiſt. 213.

Auguſt. ſerm. 356. *n.* 7.

Cur otium Auguſtinus exoptaverit.

6. Coadjutorem autem ſibi dari Auguſtinus concupierat, non ut otio, aut quieti vacaret, ſed ut, quod olim deſtinaverat, nec tamen conſequi potuerat, Scripturarum interpretationi, librisque ſcribendis, impenſius vacaret; hinc *Noſtis*, inquit,

Jesu Chr. an. 426.

quit, *ante aliquot annos quid facere voluerim, & non permiſiſtis. Placuit mihi & vobis propter curam Scripturarum, quam mihi fratres & patres mei Coepiſcopi duobus Conciliis Numidiæ & Carthaginis imponere dignati ſunt, ut per quinque dies nemo mihi moleſtus eſſet. Geſta confecta ſunt, placuit, acclamaſtis. Recitatur placitum veſtrum, & acclamationes veſtræ. Parvo tempore ſervatum eſt circa me, & poſtea violenter irruptum eſt & non permittor ad quod volo vacare. Ante meridiem & poſt meridiem occupationibus hominum implicor. Obſecro vos & obſtringo per Chriſtum, ut huic juveni, hoc eſt Eraclio presbytero, quem hodie in nomine Chriſti deſigno epiſcopum ſucceſſorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum*; & poſt aliqua: *Ego tandem aliquando, ſi quantulumcumque ſpatium mihi hujus vitæ donaverit Deus, ipſam meam quantulamcumque vitam non dem ſegnitiei, nec donem inertiæ, ſed in ſanctis Scripturis, quantum ipſe permittit, & largitur, exerceam: hoc & ipſi proderit, & per ipſum etiam vobis. Nemo ergo invideat meo otio, quia meum otium magnum habet negotium*. Deinde ut geſtis ſubſcriberent, qui poterant, rogavit, ac a populo vicies quinquies acclamatum eſt: *fiat fiat &c.*, mox ad Sacrificium offerendum perrexit Auguſtinus, ac populum, ut ſedulo pro Hipponenſi eccleſia, pro ſe atque Eraclio precarentur, rogavit.

Auguſtinus libros de civitate Dei abſolvit.

Auguſt. op. tom. 7. præf. in lib. de civit. Dei.

7. Multa quippe quæ tractanda ſuſceperat, aliis diſtentus curis abſolvere nequiverat Auguſtinus. Excellentiſſimo, inter cetera, de Civitate Dei operi jam ab anno 423. circiter manum admoverat, quod pluribus diſtinctum libris, temporis decurſu auctum, imperfectum hactenus remanſerat, ac labente hoc anno abſolutum fuiſſe indicant libri Retractationum, uno aut altero ab hinc anno abſoluti, ubi libro ſecundo, capite 43. *Hoc autem de Civitate Dei grande opus tandem viginti duobus libris eſt terminatum*. Inſuper ut aliquantulum ab Epiſcopali munere otii adeptus eſt, operibus ſuis hactenus vulgatis recenſendis operam manumque admovit. Jamdiu hanc ſcriptorum ſuorum retractationem meditaverat Auguſtinus, ut ejus ad Marcellinum epiſtola teſtatur: *Si mihi Deus*, inquit, *quod volo, præſtiterit, ut omnium librorum meorum, quæcumque mihi rectiſſime diſplicent, opere aliquo ad hoc ipſum inſtituto colligam atque demonſtrem, tunc videbunt, quod non ſim acceptator perſonæ meæ*. Non is quippe erat Auguſtinus, ut ſi quid

Libros de retractationum edit.

Epiſt. 143.

ſi quid temere dicendo aut ſcribendo excidiſſet, pertinacius defendendum putaret, ut & alios quoque in errorem duceret, quaſi pudor eſſet ſe erraſſe fateri, & non potius obſtinato animo in concepto ſemel errore perſeverare, ut pluribus eadem epiſtola perſequitur; quare cum recentioni operum ſuorum manum admoviſſet, duos de Retractationibus libros hoc & altero anno abſolvit. Unde ad QuoadvultDeum paulo poſt ſcribens, *Duo volumina*, inquit, *jam abſolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum neſciebam, eoſque ducentos triginta duos eſſe cognovi. Reſtabant epiſtolæ & tractatus populares, quos Græci homilias vocant, & plurimas epiſtolarum legeram, ſed adhuc nihil inde dictaveram, cum me iſti Juliani libri occupare cœperant*. Libro primo opuſcula recenſuit, quæ ante Epiſcopatum vulgaverat, ea etiam quæ adhuc Catechumenus ediderat; libro altero quæ Epiſcopus digeſſerat, recenſuit, quos a fratribus rogatus, ut ait Poſſidius in ejus Vita, publici juris fecit, antequam epiſtolas ac ſermones recenſuiſſet. Interea acceptis ab Alypio Juliani libris, ac ut eos confutaret, rogatus, etſi nocturnis diurniſque temporibus in eo opere abſolvendo vacaret, utrumque tamen imperfectum reliquit; duos etenim tantum retractationum libros Poſſidius recenſet. Ceteros tamen Auguſtini libros ab eodem in ſuis retractationibus præteritos recenſuit Poſſidius, eorumque catalogum texuit, addiditque indiculum ſermonum, & epiſtolarum, quorum ſumma ad mille triginta circiter aſcendet.

Epiſt. 224.

Præf. in retract. lib. n. 2. & 3.

Epiſt. 224.

8. Dum operibus ſuis recenſendis vacaret Auguſtinus, atque duos primos Retractationum libros abſolviſſet, a Proſpero & Hilario interpellatus, ut doctrinam de gratia in præcedentibus libris, & præcipue in libro de correptione & gratia traditam dilucidius explicaret, & ab obtrectatoribus tueretur, idem argumentum retractare coactus eſt, & Pelagianis obmuteſcentibus, adverſus Semipelagianos arma convertere, editis in eam rem duobus libris, de Prædeſtinatione Sanctorum, & de dono Perſeverantiæ; quos etſi ultimo fere vitæ ſuæ anno vulgavit, hoc tamen loco eorum commemorationem facimus, quia uno aut altero ab hinc anno a Proſpero & Hilario, ut hæc ſcriberet rogatus fuit, ut idem Auguſtinus his verbis teſtatur: *Denique cum mea cuncta opuſcula retractarem, eamque retractationem ſtilo proſequerer, cujus operis jam duos abſolveram libros, antequam ſcripta veſtra prolixiora ſumpſiſſem &c.* & iterum

Proſperi & Hilarii epiſtolæ ad Auguſtinum.

Auguſt. de Prædeſt. ſanct. cap. 3.
De dono perſev. cap. 21.

Jesu Chr. an. 426. rum libro de dono perſeverantiæ non ſemel Retractationum ſuarum meminit: *Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi &c.*

De Proſpero & Hilario. *De prædeſt. Sanct. cap. 1. Apud Coutan.* *Bar. an 426. n. 20.*

9. Proſper & Hilarius, qui Semipelagianorum querelas ad Auguſtinum detulerant, homines laici erant, quos ideo cariſſimos filios vocat Auguſtinus: *Veſtrum ſtudium fraternamque dilectionem filii cariſſimi Proſper & Hilari &c.* Filios quoque Cæleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ ſcribens, dicit. Quare errarunt ii, qui Epiſcopos fuiſſe tradiderunt: & ſane Hilarium, qui hæc Auguſtino ſcribebat, diverſum omnino ab Hilario Arelatenſi Epiſcopo fuiſſe, vel ipſa Proſperi epiſtola teſtatur, qua inter ceteros, qui cum Caſſiano Maſſilienſibuſque monachis adverſus Auguſtini de gratia Chriſti doctrinam obmurmurabant, Hilarium Arelatenſem Epiſcopum recenſet: *Nam unum eorum*, inquit, *præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat Beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit, jam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre &c.* Quare Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, qui Auguſtini geſta, & opera admirabatur, in iis tantum, quæ de gratia Chriſti ſcripſerat, ab eo diſſidens, diverſus omnino ab Hilario altero erat, qui ad Auguſtinum de Semipelagianorum querelis epiſtolam dedit. Horum vero alter, ideſt Proſper, Auguſtino ignotus omnino erat, ac tantummodo officioſis quibuſdam litteris ad eum per Leontium Diaconum miſſis, & receptis notus; quare: *Ignotus quidem tibi facie*, inquit, *ſed jam aliquatenus ſi reminiſcaris animo ac ſermone compertus: nam per ſanctum fratrem meum Leontium Diaconum miſi epiſtolas, & recepi; nunc quoque beatitudini tuæ ſcribere audeo, non ſolum ſalutationis, ut tunc, ſtudio, ſed etiam fidei, qua eccleſia vivit, affectu &c.* Hilarius vero ſe Auguſtini præſentiæ aliquandiu *uberibuſque ſalubribus* nutritum fuiſſe ajebat: *Sufficiat mihi pœna mea, quod a præſentia tua exulatus, ubi ſalubribus tuis uberibus nutriebar, non ſolum abſentia tua crucior, verumetiam pervicacia quorumdam, qui non tantum manifeſta reſpuunt, ſed etiam non intellecta reprehendunt.* De Proſpero etiam Hilarii in tenenda Auguſtini doctrina commilitoni, hæc in fine epiſtolæ addit Hilarius, *ſciat Sanctitas tua fratrem meum, cujus maxime cauſa hinc diſceſſimus, cum matrona ſua ex conſenſu perfe-*

Auguſt. epiſt. 225. *Epiſt. 225.* *Epiſt. 226.*

perfectam Deo continentiam devoviſſe, unde rogamus ſanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipſum in eis Dominus confirmare, & cuſtodire dignetur; quiſnam fuerit hic Hilarii frater, ſe quidem latere ait Baronius; at cum ibidem de Proſpero, ejuſque epiſtola ad Auguſtinum agat Hilarius, de eodem eadem addidiſſe vero proximum eſt.

10. Inter Auguſtinianæ doctrinæ obtrectatores, cum Maſſilienſibus monachis, viros aliquali ſcientiæ fama, morumque integritate fuiſſe conſtat, inter eos Joannem Caſſianum monachum, & Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, Proſper & Hilarius teſtantur. *Multi ſervorum Chriſti*, ait Proſper, *qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt, in Sanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adverſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & eccleſiaſtico ſenſui .... Quorum tam abrupta diſſenſio primum propter ipſos metuenda eſt, ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat. Deinde ne ſimpliciores quique, apud quos horum magna eſt de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutiſſimum ſibi æſtiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem ſine judicio ſequuntur aſſerere*, quanto igitur major auctoritas erat, tanto magis cavendum erat, ne imperitis fallerent, aut incautos ſeducerent. Non ſolum autem Maſſiliæ has de gratia Chriſti quæſtiones agitatas fuiſſe, ſed alibi quoque in Galliis auctor eſt Hilarius. *Hæc ſunt, quæ Maſſiliæ, vel aliis etiam in locis in Gallia ventilantur.*

Qui eſſent Auguſtinianæ doctrinæ obtrectatores.

Epiſt. 225. n. 2. 226. n. 2.

11. Inter cetera, quæ Auguſtini obtractatores offenderant, ea præcipue erant, quæ nuper in libro de correptione & gratia S. Doctor ſcripſerat, de vocatione ſcilicet Electorum ſecundum Dei propoſitum, aut de præveniente gratia, ejuſque efficacia, tum ea, quæ de gratuita Dei prædeſtinatione ad gloriam ante prævisa merita docuerat in opuſculo de correptione & gratia: *Sicut qui ſanctam atque Apoſtolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea ſequebantur, intelligentiores multo inſtructioreſque ſunt facti; ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores, quam fuerant, receſſerunt*; eademque Hilarius, qui Semipelagianorum placita recenſens, narrat, eos quidem docuiſſe omnes homines Adami peccato a gratia excidiſſe, ac Dei gratia indigere, ut ſalutem conſequerentur; hanc tamen omnibus *ſine exceptione propoſitam* in Chriſto eſſe, ac oblatam addebant, *ut quicumque ad fidem & baptiſmum*

Quæ in Auguſtini doctrina reprehenderent.

Epiſt. 225. n. 2.

Jesu Chr. an. 426. *mum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint*. Gratuitam vero Dei prædeſtinationem ad gloriam, tanquam fatalem neceſſitatem, quæ boni operis ſtudium auferret, angue pejus abhorrebant; ac prædeſtinatis accenſendos eos, quorum opera bona futura Deus præviderat; iiſque conceſſum, ut Evangelii prædicationem audirent, in quibus erant, qui veritati aures faciles præbituri erant; ex parvulis vero etiam eos ad gloriam prædeſtinatos fuiſſe ſomniabant, quorum Deus præviderat opera bona, quæ facturi erant, ſi ad maturiorem ætatem perveniſſent. Gratiæ etiam efficaciam, quam dilucide in libro de correptione & gratia Auguſtinus tradiderat, ejuſque diſtinctionem inter gratiam Adamo innocenti, ac peccatori collatam, omnino rejiciebant, ut dicerent, deſperationem hominibus per eam exhiberi. *Moleſte ferunt*, ait Hilarius, *ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur. Ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret, ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc vero ſanctis in Regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale ut eis ipſa perſeverantia donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verumetiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint &c.* Hæc aliaque plurima in Auguſtino reprehendebant Semipelagiani, ut in epiſtolis Proſperi & Hilarii videre eſt.

Auguſtini libri de Prædeſtinat Sanctorum, & de dono perſeverantiæ.

12. Poſt tot edita adverſus Pelagianos opuſcula, viros doctrinæ ſanctitatiſque fama celebres inveniri, qui in tanta luce cœcutirent, aut in via errarent, non ſine moleſtia tulit Auguſtinus; officio tamen ſuo non defuit, nec impoſitam ſibi a Deo provinciam, ut Dei gratiam defenderet, deſeruit; ac duos, de Prædeſtinatione Sanctorum ſcilicet, & de dono perſeverantiæ libros edidit: *Ego autem*, ajebat, *quamvis me moleſte ferre confitear, quod divinis eloquiis, quibus Dei gratia prædicatur (quæ omnino nulla eſt, ſi ſecundum merita noſtra datur), tum multis manifeſtiſque non ceditur: veſtrum tamen ſtudium, fraternamque* dilectionem, filii cariſſimi Proſper & Hilarii, *qua eos, qui tales, ſunt, ita non vultis errare, ut poſt tot libros de hac re, vel epiſtolas meas, adhuc me deſideretis hinc ſcribere, tantum amo, quantum non poſſum dicere, & tantum me amare, quantum debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce reſcribo vobis, & licet jam non vobiſcum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me ſatis egiſſe credebam &c.*

De prædeſt. ſanct. cap. 1.

12. Proſ-

Quid doceat Auguſtinus in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ. Tom. 10. pag. 819. *Auguſt. vita lib.* 8. *cap.* 10. *pag.* 482.

12. Proſperi itaque & Hilarii litteris excitatus, duos libros ſcripſit Auguſtinus, quos de prædeſtinatione Sanctorum inſcriptos fuiſſe aduotat in præfatione ad librum de dono perſeverantiæ Maurinus editor; nunc vero primus de prædeſtinatione Sanctorum, alter vero de dono perſeverantiæ inſcribitur. In priori docet S. Doctor Semipelagianos in quæſtione de prædeſtinatione Sanctorum non recedere a Pelagii ſententia, cum humani arbitrii viribus initia fidei adſcriberent, incrementum vero Deo tribuerent; qua ratione priores ſibi partes, poſteriores Deo, tribuebant; eamdemque ſententiam, quod initium fidei ex Dei dono eſſet, antiquitus Cyprianum & Ambroſium docuiſſe adnotat. Deinde ſe quoque alias, & in opuſculis a ſe nondum Epiſcopo ſcriptis erraſſe, & in Semipelagianorum opinione fuiſſe, ingenue fatetur; ſed poſtea convictum fuiſſe hoc præcipue teſtimonio: *Quid autem habes quod non accepiſti?* His ſubdit Gratiæ efficacia duritiam cordis auferri, & ad Chriſtum venire omnes, qui a Patre efficaciter vocati ſunt, ac tandem prædeſtinationem ſine meritis, ſeu ante præviſa merita non ſolum aperte ex Pauli Apoſtoli verbis probari, verum etiam ex præclariſſimo gratuitæ prædeſtinationis exemplari, Chriſto Jeſu luce clarius demonſtrari adnotat. Altero autem libro *de Dono perſeverantiæ* docet, perſeverantiam in bono eſſe donum Dei, gratiam aliquibus a Deo dari, quia miſericors eſt, aliis negari, quia juſtus eſt: perſeverandi gratiam non ſecundum accipientium merita, ſed aliis miſericordia dari, aliis judicio non dari: cur vero ex adultis ille potius quam iſte vocetur, quemadmodum & ex duobus parvulis cur iſte aſſumatur, ille relinquatur, inſcrutabile eſſe; inſcrutabilius autem, cur ex duobus hominibus piis huic perſeverare donetur, non illi; id tamen certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe: quam prædeſtinationem adeo certam eſſe voluit Auguſtinus, ut contra eam, *Neminem niſi errando diſputare potuiſſe*, addat.

Auguſtini doctrinam ecclesia Catholica, & Romana probat.

13. Adverſus hanc Auguſtini de Gratia Chriſti, de Prædeſtinatione Sanctorum, & de dono Perſeverantiæ doctrinam, diu quidem reſtiterunt Gallorum plurimi ſcriptores, ac multa in eis imperite calumnioſeque reprehendebant. Poſt Auguſtini obitum, eos non ſemel Proſper confutavit, libro ſcilicet ad capitula Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuenſium, & adverſus Collatorem, ideſt Caſſianum; quibus ita eorum inſcitiam, & calumnias clariſſime coarguit, ut erubeſcere, aut obmuteſcere ſaltem debuiſſent. At illi ma-

majores impoſterum excitarunt turbas, ita ut ad Apoſtolicam & Romanam ſedem cauſa deferretur: quare Cæleſtinus Pontifex re attentius examinata, datis ad Epiſcopos Galliæ litteris, Auguſtini doctrinam commendavit, obtrectatoreſque ejus graviter redarguendos juſſit. Quia tamen libros de correptione & gratia, de prædeſtinatione Sanctorum, ac de dono perſeverantiæ nominatim non expreſſerat S. Pontifex, hinc non eos, ſed priores potius ab Auguſtino editos, a Cæleſtino laudatos fuiſſe adhuc Semipelagiani aſſerebant; ſed tandem Felicis quarti Papæ tempore in Arauſicana ſecunda ſynodo in Galliis habita, lis quodammodo finita eſt, nam catholica & Apoſtolica doctrina canonibus aliquot, ex ipſiſmet Auguſtini verbis expreſſa, confirmata, ac roborata fuit, ut ſuo loco dicturi ſumus, atque ex hiſce poſtremis Auguſtini opuſculis, quid Romana & catholica Eccleſia de libero arbitrio, & gratia Dei profiteatur agnoſcendum eſſe jubet Hormiſdas Papa in epiſtola ad Poſſeſſorem. Unde Africani Epiſcopi pro Fide catholica in Sardinia exules in ſynodica epiſtola: *Præ omnibus*, inquiunt, *ſtudium gerite, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas ſedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio catholicæ laudis inſeruit. De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt catholica ſequatur, & ſervet Eccleſia, licet in variis libris Auguſtini, & maxime ad Proſperum, & Hilarium abunde poſſit agnoſci, tamen & in ſcriniis eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur*. Quare ex libris Auguſtini ad Proſperum & Hilarium catholicam de gratia Chriſti doctrinam hauriendam eſſe merito adnotat Bellarminus libro 2. cap. II. de gratia & libero arbitrio. At de Auguſtinianæ doctrinæ excellentia & auctoritate, præter ea, quæ inferius data occaſione dicturi ſumus, plura apud Noriſium, tum in hiſtoria Pelagiana, cum in vindiciis Auguſtinianis, apud Belelli, & Bertum in apologia ſyſtematis Auguſtiniani videantur. Hi etenim contra veteres, recentioreſque Auguſtinianæ doctrinæ calumniatores, obtrectatoreſque egregie certantes, eam ab omni Manichæiſmi, Calviniſmi, aut Janſeniſmi labe immunem non ſolum eſſe, ſed & ſanctam veriſſimamque demonſtrarunt, de quibus plura addere non vacat.

Auguſt. tom. 10 part. 2. in append.

De Caſſiano & ejus doctrina.

14. Ad Semipelagianos iterum oratio noſtra revocatur, quo-

quorum principem Caſſianum fuiſſe conſtat, cujus geſta illuſtranda ſuſcepit Joannes Gueſnay in opuſculo, cui nomen dedit: *Joannes Caſſianus illuſtratus*, Lugduni anno 1652 edito. Fabulas tamen non hiſtoriam ſcripſit, ac Xenophontis Cyropediam imitatus, Caſſianum non qualis reipſa fuit, ſed qualem ſibi finxit, lectoribus exhibuit, ut pluribus adnotat Noriſius. Caſſiani itaque patria incerta eſt, quem Schytam fuiſſe ſcribit Gennadius. Photius vero Romanum dixit: *Lectus libellus*, inquit, quo *Caſſiani monachi, patria Romani, libri duo continebantur*. In Galliis lucem vidiſſe eruditi viri tradidere, quod & conjecturis aliquot confirmant. A prima vero ætate monaſticam vitam amplexus, Palæſtinæ Ægyptique deſerta, & Aſceteria luſtravit, qua in peregrinatione, Germano monacho comite, ſeptennium inſumpſit, ut idem teſtatur; *Expleto*, inquit, *ſeptem annorum numero ſponſionem noſtram gratanter implevimus*. Ad Scythicæ deinde ſolitudinis deſerta rediens, poſt annum 398 Chryſoſtomi fama excitatus, una cum Germano CPolim perrexit, ab eoque Caſſianus Diaconus eſt ordinatus, Germanus vero Presbyter. Poſt Chryſoſtomi exilium, CPolitani cleri litteras Romam ad Innocentium Papam Caſſianus detulit, ac Presbyter ab Innocentio ordinatus, Maſſiliam petiit, ubi duobus monaſteriis extructis, virorum uno, mulierum altero, monaſticam ibidem vitam ad exitum uſque inter viros egit, non ſolum pietatis, ſed etiam doctrinæ fama celebris; illuſtrior tamen fuiſſet, niſi Semipelagianorum erroribus ſcripta ſua aſperſiſſet, alioſque auctoritate ſua in eoſdem ſcopulos impuliſſet.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 1.
Dupin. bibliothec. ſec. 5. tom. 3 pag. 33.
Phot. Cod. 197. pag. 198.
Noriſ. ut ſup.
Holſt. præf. in regulas monach. cap. 3.
Nat. Alex ſecul. 5. cap. 3. ſſ. 4.
Caſſianus coll. 17. cap. 31.

15. Interea a Caſtore Aptentium Antiſtite rogatus, duodecim de inſtitutione monachorum libros ſcripſit, quos eidem circa annum 418 nuncupavit, cui etiam collationes ſuas inſcribere deſtinaverat; at eo paulo poſt e vivis erepto, fratri ejus, Leontio ſcilicet Epiſcopo, decem priores Collationes dicavit, quem in præfatione ſic alloquitur: *Debitum, quod Beatiſſimo Papæ Caſtori, &c. Nunc autem quia derelinquens nos Pontifex ſupradictus migravit ad Chriſtum, hos interim decem Collationes ſummorum Patrum ideſt Anachoretarum, quos ille incomparabili ſtudio ſanctitatis ſimili ſibi juſſerat ſermone conſcribi, vobis potiſſimum, o Beatiſſime Papa Leontii, & Sancte Frater Helladii, credidi conſecrandas. Alter ſiquidem veſtrum, memorato viro & germanitatis affectu, & Sacerdotii dignitate, & quod his majus eſt ſancti ſtudii fervore conjunctus, hæreditario*

Caſſianus libros de inſtitutione monachorum edidit.

Jesu Chr. an. 426.

tario fraternum debitum jure depoſcit. His decem alias quatuordecim poſtea addidit, quarum priores ſeptem S. Honorato, & Eucherio Sirinenſibus monachis, ceteræ vero, ideſt ſeptem poſteriores Joviniano Minervio, Leontio, & Theodoro monachis in Stœchadibus dicatæ ſunt. Stœchades vero inſulæ ſunt in ora Provinciæ contra Olbiam, cujus monaſterii nullum hoc tempore veſtigium ſupereſt.

Caſſianus in Galliis Semipelagianiſmi auctor.

16. In utroque autem opere Semipelagianiſmo faviſſe Caſſianum, atque in Galliis auctorem Semipelagianiſmi, propagatoremque fuiſſe, vel ipſa opuſcula teſtantur, in quibus etſi Pelagianæ hæreſis præcipua capita ſe averſari teſtetur, eam tamen in concilianda cum libero arbitrio gratia Chriſti œconomiam adhibet, ut fidei, ceterorumque bonorum operum initia, libero magis hominis arbitrio, quam gratiæ tribueret. Hinc in libro de monachorum inſtitutione ſcribebat: *Ut enim dicimus conatus humanos apprehendere eam per ſe ipſos ſine adjutorio Dei non poſſe, ita pronuntiamus laborantibus tamen ac deſudantibus miſericordiam Dei, gratiamque conferri, & ut verbis Apoſtoli loquar, volentibus & currentibus, impartiri*. Ne tamen gratiam Dei ſecundum merita dari putaretur, quæ purum putumque Pelagianiſmum erat, ſubjunxit: *Dicimus ſecundum Salvatoris ſententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & a quærentibus inveniri, ſed petitionem & inquiſitionem, & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei, id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulſamus, vel illud quod quærimus fecerit invenire. Præſto eſt namque occaſione ſibi tantummodo a nobis bonæ volontatis oblata, ad hæc omnia conferenda*. In poſterioribus vero Collationum libris, liberius adhuc de gratia & libero arbitrio locutus eſt. Etſi enim in Collatione tertia a capite undecimo ad 22. divinæ gratiæ neceſſitatem adſtruat, non tamen adeo confidenter locutus eſt, ut poſtea in Collatione decimatertia ad Lerinenſes monachos fecit, in qua non ambigue, ut ſupra, ſed aperte liberi arbitrii vires plus juſto contra Dei gratiam evexit. Nam ſine Dei gratia docuit poſſe nos habere ſcientiam boni, & gratiam quandoque prævenire liberum arbitrium, quandoque ab illo præveniri tradit: Deum ſalvatorem dici cum prævenit, ſuſceptorem cum prævenitur cap. XVII. addidit; homines poſſe ſuis viribus habere fidem cap. XIV. docuit, ac deſiderium boni operis; orare inſuper, & tentationes etiam gra-

Lib. 12. cap. 14.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. 1.

graviſſimas, quales Job paſſus eſt, ſine gratia poſſe ſuperari. Ne tamen Pelagianam hæreſim docere putaretur, opera bona a libero arbitrio inchoari tantum, ac gratia Dei perfici ajebat; unde cap. VIII.: *Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim, atque confortat, & incitat ad ſalutem incrementum tribuens ei, quam vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe*; & cap. IX. in fine: *Ut autem evidentius clareat etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen niſi a Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſunt, Apoſtolus teſtis eſt dicens*: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum *non invenio*; capite vero undecimo: *Sin vero gratia Dei*, inquit, *ſemper inſpirare bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachei fide? quid de illius in Cruce latronis pietate dicimus, qui deſiderio ſuo vim quamdam Regnis cæleſtibus inferentes, ſpecialis vocationis monita prævenerunt*. Hæc aliaque Caſſianus, quibus fidei aliorumque bonorum operum initia viribus humanis tribuit; quem ideo inter Auguſtinianæ doctrinæ obtrectatores præcipuum fuiſſe ſcimus, quem etiam ſuis vellicat ſcriptis, dum ad Pelagianos revincendos, Monachorum Ægypti exempla potiora eſſe ſcribit, quam ſcripta eorum, qui *verborum jactantia, vaniloqua diſputatione, aut ſyllogiſmis dialecticis vel Tulliana facundia*, quibus ſane Auguſtinum deſignavit, qui divinam gratiam tot libris, ac diſputationibus contra hæreticos defenſaverat.

17. Ut cetera, quæ Caſſianum ſpectant, perſequamur, addimus hoc loco felicius contra Neſtorianam hæreſim, quam contra Pelagianam eum certaſſe, cujus ſeptem extant libri de Incarnatione, quos a Leone Rom. eccleſiæ diacono rogatus ſcripſit, in quibus Neſtorianam hæreſim fortiter, accurateque profligavit, quam ex Pelagiana etiam prodiiſſe, aut cum ea affinitate conjunctam fuiſſe addit. Eadem tandem ſanctitatis doctrinæque fama, qua vixit, circa annum 440. obiit, hinc Gregorius Papa Magnus ad *Reſpectam* Abbatiſſam Maſſiliæ ſcribens, monaſterium, quod in honorem Sancti Caſſiani conſecratum erat, commemorat; cujus memoria ſolemni ritu Maſſiliæ die 23. Julii recolitur, ut a Natali Alexandro obſervatur; & ſane ejuſdem de monachorum inſtitutione libri, ejuſque Collationes Patrum, non ſolum a Photio, ſed & a ceteris, qui

Caſſiani libri contra Neſtorii hæreſim.

Greg. epiſt. lib. 6. epiſt. 12.

Jesu Chr. an. 426. qui de vitæ monaſticæ inſtitutione ſcripſerunt, quam maxime ſunt commendati, dummodo cum debita cautione legantur. Eidem Semipelagianiſmi luto cum Caſſiano, & poſt Caſſianum hæſerunt Fauſtus Rejenſis, Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, Vincentius Lirinenſis, Severus Sulpicius, Gennadius, Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus, Salvianus, aliique de quibus ſingulis infra ſermo fiet.

De Maſſilienſibus, & Lirinenſibus monachis.

18. Præcipui vero Caſſiani diſcipuli Maſſilienſes, & Lirinenſes monachi fuerunt. Maſſilienſis monaſterii fundator idem Caſſianus fuerat, ut diximus; Lirinenſis autem Honoratus fuit, vir ſanguinis nobilitate, utpote conſularis, & doctrina ac pietate illuſtris, qui poſt Patrocli necem, Arelatenſium Epiſcopus hoc anno eſt ordinatus; quare cum Maſſilienſes æque ac Lerinenſes Caſſianum tanquam Patrem venerarentur, mirum non eſt Caſſiani libros avide perlegiſſe; cujus Collationes Honorato Lirinenſium Abbati, & Eucherio inſcriptas fuiſſe ſupra diximus. Sed de Monachatus origine & progreſſu in Galliis, deque Maſſilienſium, & Lirinenſium doctrina & moribus, Noriſium, aut Mabillonium lector conſulat.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 2.
Mabill. Annal. Bened. lib. 1.

Patroclus Arelatenſis Epiſc. occiditur, cui Honoratus ſuccedit.

19. Hoc eodem anno, *Patroclus Arelatenſis Epiſcopus a Tribuno quodam barbaro vulneribus laniatus occiditur, quod facinus ad occultam juſſionem Felicis Magiſtri militum referebatur; cujus impulſu refertur etiam Titus Diaconus vir ſanctus Romæ pecunias diſtribuens, interfectus*, ait Proſper in chronico. Utrinſque autem ſicuti diverſa fuit vivendi ratio, ita & diſpar fuit exitus, aut necis cauſa; nam Titi utpote viri Sancti pro pietate occiſi inter Sanctos Martyrologio Rom. die 15. Auguſti memoria recolitur, Patroclus vero peccatorum ſuorum pœnas dedit, quippe qui ut ſupra adnotavimus, Herotis ſedem eo vivente invaſerat, quique, ſi Proſpero Tironi fides, *infami mercatu Sacerdotia venditare auſus*. Patroclo ſucceſſit Honoratus Lirinenſis cænobii abbas, & fundator, quem multis laudibus viri Sancti exornarunt, Hilarius præcipue ejuſdem in Arelatenſi ſede ſucceſſor, & Eucherius in epiſtola ad Salonium, Sidonius etiam Apollinaris in carmine ad Fauſtum Rejenſem Epiſcopum; in cujus laudem extat adhuc Hilarii ſermo, in die obitus ejus habitus, quo præcipua vitæ geſta commemorat. Breviſſimus porro fuit Honorati Pontificatus, e vita etenim die 16. Januarii anni 429. exceſſit, qua die ejuſdem memoria recenſetur Martyrologio Romano.

Apud Bolland. die 16. Januarii.

20. Fe-

20. Felix autem magiſter militum, auctor necis Patrocli, & Titi non multo poſt ſceleris pœnas dedit, nam ut idem Proſper narrat, triennio poſt, una cum uxore ab Aetio magiſtro militum occiſus eſt. Ut Idololatriæ reliquias extingueret Theodoſius, die 19. Kal. Decemb. ſub capitali pœna ſacrificia Idolis offerri prohibuit, cunctaque Gentilium *Fana*, *Templa*, *delubra*, *ſi qua etiamnunc reſtant integra*, *præcepto magiſtratuum deſtrui*, eademque loca in uſum chriſtianæ Religionis converti præcepit. Valentinianus etiam chriſtianæ Religionis amplificandæ cauſa, ne Judæi chriſtianæ Religionis prætextu filios exhæredarent, aut legitimam negarent, lege lata cautum voluit, *ut hoc ſaltem*, inquit, *in honorem religionis electæ meruiſſe videantur*. Lege vero altera, pœnas in chriſtianæ Religionis Apoſtatas latas, in eos etiam ſtatuit, qui ad Judæos, aut Manichæos ex chriſtiana religione tranſiiſſent.

JESU CHR. AN. 426. Felix dat pœnas ſceleris. Theodoſii lex adverſus Idololatras. *Cod. Theod. lege ult. de Paganis.*

Aliæ Valentiniani leges. *Cod. Theod. l. 28. de Judæis. Leg. 7. de Apoſtatis.*

JESU CHRISTI AN. 427. CÆLESTINI PAPÆ 6.
THEODOSII JUN. 26. ET 20. VALENTINIANI IMP. 3.
COSS. HIERIO ET ARDABURIO.

1. Hujus ſeculi initio Gothos, Alanos, Vandalos, aliaſque barbaras gentes ex Germania in Gallias primum, deinde in Hiſpanias tranſiiſſe, ac direptionibus cædibuſque vaſtaſſe ſuo loco adnotavimus; hoc autem anno Vandali cum Alanis in Africam admiſſi, Africanis provinciis, æque ac eccleſiis eam vaſtitatem, luctumque attulere, ut major fingi, aut excogitari vix poſſit, ut pluribus auctor coævus Victor Vitenſis, in hiſtoria perſecutionis Vandalicæ narrat. Summa prudentia, fortitudine, ac pietate Africam hactenus Bonifacius Comes adminiſtraverat, ac a Barbarorum incurſionibus immunem ſervaverat, multis etiam ob præclaras animi dotes ab Auguſtino laudibus exornatus. At paulo poſt in vitia decidens, in eas fœditates inciderat, ut uxore defuncta, aliam, eamque Arianam duceret, ac concubinas ſimul haberet, ut eidem exprobrat Auguſtinus, & quod deterius eſt, commiſſam ſibi Provinciam adeo vexabat, ut eum inde abire, ac in Italiam redire juſſerit Placidia Auguſta. At ne invitus ex Africa excedere cogeretur, ex Hiſpania Vandalos in Africam vocavit, ut ad hunc annum narrat Proſper in chronicho anno, vero ſequenti 428. Chronicon Alex., ſequenti adhuc 429 Idacius in Faſtis, de quibus

Bonifacius Comes Vandalos in Africam vocat.

Auguſt. epiſt. 185. & 189. 220.

Jesu Chr. an. 427. bus tamen audiendus eſt Procopius, qui accuratius rem his verbis narrat; *Duces erant Romani duo, Aetius & Bonifacius fortiſſimi &c. Cum Bonifacium univerſæ Comitem Africæ Placidia declaraſſet, ægre id quidem Aetius, obſcure tamen ac diſſimulanter ferebat. Nondum enim eorum ſimultates eruperant, ſed vultu uterque mentito odium occultabat. Poſtea vero quam diſceſſit Bonifacius, ad Placidiam Aetius detulit. Africam omnem ipſi & Imperatori ab illo jam tyranno ereptam, ſubjecit; verum deprehendi facile poſſe: nunquam enim venturum Bonifacium, ſi Romam acciretur. His auditis, probavit conſilium fæmina & explevit. Præmiſerat jam Aetius arcanas ad Bonifacium litteras, per quas ſignificabat inſidiari ipſi Imperatoris matrem, & eripere vitam velle: præmonebat magnum machinationis indicium allatum iri: fore enim propediem ut indicta cauſa revocaretur.* Quamob cauſam Bonifacius in Italiam a Placidia revocatus parere abnuit, ac ut ſaluti ſuæ conſuleret, cum ſe viribus imparem ad reſiſtendum eſſe ſciret, miſſis in Hiſpaniam legatis cum Godigiſeli filiis, Gunthari ſcilicet, & Genſerico fœdus iniit, ut cuique ipſorum tertia pars Africæ cederet, atque hoc pacto Vandali fretum Gadenſe tranſvecti in Africam Genſerico duce tranſiere, quod etiam Idacius, & Iſidorus in Chronico, & auctor Miſcellæ ſeu Paulus Diaconus confirmant. Guntharis in Hiſpania periit, Genſerici fratris perfidia, ut ait Procopius, aut Deo vindice, ut narrat Idacius; nam cum Hiſpanenſi urbe capta, ſacrilegas in eccleſiam manus injeciſſet, *Dei judicio a Dæmone correptus interiit*. Vandalorum numerus, qui in Africam tranſiere, octogintamillia fuit, omnis ætatis, ſexus, & conditionis, ut ait Victor Vitenſis, quia cum eo animo in Africam transfretaverint, ut ſedem in ea figerent, univerſam penitus, vel in ipſo ingreſſu depopulati ſunt, nec ſexui aut ætati parcentes; hæcque gens illa Vandalorum, latronumque cohors, quæ Africam ſanguine, Eccleſiam erroribus inundavit, urbes, agros, populoſque delevit, ut infra viſuri ſumus.

Procop. de bello Vandal. lib. 1. cap. 3.

Procop. ut ſup.

Victor Vitenſ. hiſt. perſec. Vandal. lib. 1. cap. 1.

Afrorum mores corrupti a Deo puniti.

Salviani de provid. lib. 7.

2. Corruptiſſimos Afrorum mores eam præmeruiſſe cladem, ut meritas ſcelerum pænas darent, narrat Salvianus: *Exceptis enim pauciſſimis Dei ſervis, quid fuit totum Africæ territorium, quam domus una vitiorum*, ita ut etſi catholicam fidem retinerent, Gothis tamen Arianis, moribus ſceleſtiores erant, nam ut idem Salvianus adnotat, Gothorum gens perfidia

da, ſed pudica erat, Alanorum impudica, ſed minus perfida. Franci mendaces, ſed hoſpitales, Saxones crudelitate inſignes, ſed caſtitate mirandi; omnes denique gentes habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona: *In Afris pene omnibus neſcio quid non malum. Si accuſanda eſt inhumanitas, inhumani ſunt, ſi ebrietas, ebrioſi, ſi falſitas, fallaciſſimi, ſi dolus, fraudulentiſſimi, ſi cupiditas, cupidiſſimi, ſi perfidia, perfidiſſimi*; ac multa de Afrorum vitiis ibidem legenda ſubdit, ac addit: *Quod Vandali ad Africam tranſierunt, non eſt divinæ ſeveritati, ſed Afrorum ſceleri deputandum*.

3. Interea Siſinnius cum in Epiſcopatu nondum biennium expleviſſet, ex hac vita migravit, *Hierio & Ardaburio Coſſ. die nono Kal. Januarii*, ait Socrates. Siſinnio ſucceſſit anno proximo Neſtorius, de quo ibidem agendum. His etiam Conſulibus, ne ſalutare Crucis ſignum undique cum chriſtianæ Religionis dedecore pingeretur, aut ſculperetur a Theodoſio & Valentiniano hac lege cautum eſt: *Cum ſit nobis cura diligens per omnia ſuperni Numinis religionem tueri: Signum Salvatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere, ſed quodcumque reperitur, tolli graviſſima pœna mulctando, qui contrarium ſtatutis noſtris tentaverint ſpecialiter, imperamus. dat. XII. Kal. Jun. Hierio & Ardaburio Coſſ.* Hanc legem, non ſine ſalutaris Signi contemptu, in oblivionem iviſſe dolemus, dum in Magnatorum ſepulchris, una cum eorumdem ſtemmate, Crux inſculpta incedentium pedibus conculcanda frequenter occurrit.

Siſinnii CP. Epiſcopi obitus. *Socrat. lib. 7. 28.*

4. Inter celeberrimos ſanctitate & doctrina viros, qui hoc tempore Eccleſiam illuſtrarunt, Iſidorus Peluſiota recenſetur: *Qui carnem ſic maceravit laboribus*, ut ait Evagrius, *ſicque animam arcanis, & divinis doctrinis ſaginavit, ut vitam angelicam in terris traduceret*. Is patria Alexandrinus fuit, ut in epiſtola ad Zenobium Scholaſtium ait S. Ephrem, & Photius his verbis: *Hoc quidem capite & Iſidori monachi clari Alexandrini domo, &c.* Peluſiota vero dictus eſt, quia Monacorum Peluſii montis in Ægypto Abbas fuit, ubi etiam ſacerdotalem honorem obtinuit, quo nomine a Facundo Hermianenſi celebratur. *Vir ſanctiſſimus*, inquit, *& magnæ in eccleſia Chriſti gloriæ Iſidorus Preſbyter Ægyptius Peluſiota*. Is ſancti Joannis Chryſoſtomi adeo ſtudioſus fuit, ut ejus libros ſedulo pervolveret, ac famam tueretur, ita ut ejuſdem obtrectatores

Iſidori Peluſiotæ vitæ compendium deque ejus operibus. *Evagr. lib. 1. 15.*

Cod. 228. p. 288.

Facund. Her. lib. 2.

 & ad-

JESU CHR. AN. 427.

& adverſarios, etſi potentia aut dignitate pollerent, liberrime argueret. Quo zelo adverſus Theophilum pro Chryſoſtomi memoria certaverit, teſtis eſt ejuſdem ad Symmachum epiſtola, qua habet: *Petis a me, ut divini viri Joannis tragœdiam tibi exponam, at eam explicare nequeo; mentem enim res iſta ſuperat. Siquidem inſano lapillorum amore flagrantem, atque aurum pro nomine habentem Theophilum, quatuor ſociis, immo Coapoſtatis ſeptum ac munitum, in medium proferens, pium virum, ac divinarum rerum doctrina præditum expugnavit*. Eodemque ſtylo Cyrillum Theophili nepotem, & in Epiſcopatu ſucceſſorem exagitavit, ad quem reſcribens, eo quod eum patrem Cyrillus dixiſſet: *Sive pater ſum*, inquit, *condemnationem Heli pertimeſco, propterea quod peccantes filios non caſtigavit*; quia tamen ſe filium potius eſſe ſciebat, utpote Presbyter ad Epiſcopum ſcribens: *Angorem mihi ac ſollicitudinem affert Jonathæ pœna, quia Patrem Pythoniſſam quærentem minime prohibuerat... Quamobrem ne & ego condemner, & tu divinum judicium ſubeas, ſimultates ac diſſidia comprime, nec privatæ ac domeſticæ contumeliæ ultionem, qua tamquam ære quodam alieno a mortalibus obſtrictus es, in viventem eccleſiam deriva*. Eadem libertate Cyrillum admonuit, ut Martinianum quemdam, qui ſimulata primum ſub monachi habitu pietate, Presbyter ab Euſebio Peluſii Epiſcopo ordinatus fuerat, quique direptis eccleſiæ bonis Alexandriam perrexerat, ut Epiſcopatum aucuparetur, Cyrillum inquam admonuit Iſidorus, ut eam peſtem a ſua eccleſia ejiceret, ac ut ea quæ furatus fuerat, reddere compelleret, hortatur. Ingenti epiſtolarum numero nomen ſuum poſteritati commendavit Iſidorus, quarum duo millia commemorat Facundus, harum numerum auget Suidas, atque ad decem millia eum ſcripſiſſe teſtatur Nicephorus; harum duo millia centum circiter adhuc ſuperſunt quinque libris diſtributæ, ſententiarum gravitate, arguendique libertate ſancto viro dignæ, qua Imperatores etiam non ſemel admonuit. Eum Theodoſii junioris Imp. & Cyrilli Alex Epiſcopi ætate floruiſſe tradit Evagrius, quem tamen uſque ad Epheſinam ſynodum ſuperſtitem permanſiſſe, ejuſdem ad Cyrillum epiſtola teſtatur: *Multi ex iis*, inquit, *qui Epheſi coacti ſunt, te traducunt, ut tuas inimicitias perſequentem & ulciſcentem, ac non ea quæ Jeſu Chriſti ſunt orthodoxe quærentem: Theophili, inquiunt, ex ſorore nepos eſt, illiuſque*

Iſid. lib. 1. epiſt. 152.

Lib. 1. epiſt. 370.

Lib. 2. epiſt. 127.

Facun. lib. 2. cap. 4.
Niceph. lib. 14. 52.

Lib. 1. epiſt. 35.

uſque mentem ac ſententiam imitatur; ut ſicut ille Chryſoſtomum perſecutus fuerat, ſic quoque Cyrillus Neſtorium. Latum tamen inter utrumque diſcrimen fuiſſe, idem Iſidorus teſtatur, qui contra Neſtorium cum eodem Cyrillo pugnavit, ac Imperatorem etiam epiſtola altera rogavit, ut quos ipſe deſtinaverat, ut Epheſino concilio adeſſent, prohiberet, ne ſe in dogmatum damnatione miſcerent. Quoto autem poſt Epheſinam ſynodum anno occubuerit, in obſcuro eſt, ejus tamen memoria luce clarior perſeverat, ac ſingulis annis, die quarta Februarii, Martyrologio Rom: recolitur.

Lib. 1. epiſt. 310

Epiſt. 311. *lib.* 1.

JESU CHRISTI AN. 428. CÆLESTINI PAPÆ 7.
THEODOSII IMP. 27. ET 21.
VALENTINIANI III. IMP. 4.
COSS. FELICE ET TAURO.

Bonifacius Valentiniano reconciliatur.

1. Cum Romæ vulgatum eſt Bonifacium Comitem perduellem Rom. Imperio factum, cum Vandalis iniiſſe ſocietatem, eoſque in Africam admiſiſſe, ſubitam tanti viri perfidiam admirantes ejus amici, Carthaginem juſſu Placidiæ perrexerunt, ac in ejus colloquium admiſſi, Aetii fraudibus ad id impulſum fuiſſe cognoverunt. Quare inUrbem reverſi, cuncta ut geſta fuerant, Placidiæ nunciarunt, ipſa vero rei novitate perculſa, Aetii perfidiam tunc diſſimulavit; at data fide, Bonifacii amicos rogavit, ut eum quoquo modo Rom. Imperio reconciliarent. Bonifacius vero, his acceptis, facti ſui pœnituit, ac Vandalos ut ex Africa demigrarent, & precibus & promiſſis ampliſſimis inducere conatus eſt, ait Procopius, cum quibus etiam acie certavit; at victus: *Hipponem Regium ſe recepit; Numidiæ munitam ac maritimam urbem, quam Barbari caſtris poſitis obſederunt duce Gizerico*, ut infra dicturi ſumus.

Procop. de bello Vandal. lib. 1. 3.

Auguſtini ad Honoratum epiſt. de Paſtorum fuga.

2. *Interea reticendum minime eſt, cum memorati impenderent hoſtes*, ideſt Vandali, ait Poſſidius, *cunctaque cædibus, vaſtationibuſque implerent; a Sancto viro quoque noſtro Coepiſcopo Thiabenſis Eccleſiæ Honorato litteris fuiſſe conſultum, utrumnam illis adventantibus, ex Eccleſiis, Epiſcopis, vel clericis recedendum eſſet, nec ne?* His reſpondens Auguſtinus, quam ea de re ad Quoadvultdeum epiſtolam antea dederat, ad Honoratum miſit, fuſiorem tamen eo de argumento tractationem addidit, atque de epiſtola ad Quoadvultdeum hæc præfa-

Poſſid. Auguſt. vita cap. 30.

Auguſt. epiſt. 228.

JESU CHR. AN. 428.

præfatur : *Charitati tuæ miſſo exemplo epiſtolæ , quam fratri Quodvultdeo noſtro coepiſcopo ſcripſi , putabam me hoc onere caruiſſe , quod mihi impoſuiſti , quærendo conſilium quid in his periculis , quæ tempora noſtra invenerunt , facere debeatis . Quamvis enim epiſtolam illam breviter ſcripſerim , nihil me tamen prætermiſiſſe arbitror, quod & reſpondenti dicere , & quærenti audire ſufficeret , quandoquidem dixi , nec eos eſſe prohibendos , qui ad loca , ſi poſſunt , munita migrare deſiderant , & miniſterii noſtri vincula, quibus nos Chriſti charitas alligavit , ne deſeramus Eccleſias , quibus ſervire debemus , non eſſe rumpenda ; iſta quippe verba ſunt , quæ in illa epiſtola poſui .* Fuſius vero idem retractans argumentum , totus in eo eſt , ut probet , tunc licitam eſſe Epiſcopis & Presbyteris fugam , cum Eccleſiis miniſterium non deeſt , aut inutilis miniſtrorum præſentia redditur . Qui autem fugiens efficit , ut gregi Chriſti ea,quibus ſpiritualiter vivit , alimenta ſubtrahantur , ac plebi deeſt qui aut baptiſmi , aut pœnitentiæ ſacramenta morientibus adminiſtret , aut opem & conſolationem præſtet , is mercenarius eſt , qui propinquante lupo fugit , quoniam ei cura non eſt de Chriſti grege ; quod etiam Hiſpanorum Epiſcoporum exemplo confirmat , qui , iiſdem Vandalis Hiſpaniam vaſtantibus , gregum ſuorum curam non deſeruerant .

Cæleſtini epiſtola ad EpiſcoposGalliæ. *Cantan. pag. 1066.*

3. Turbatum fuiſſe Eccleſiæ Gallicanæ ſtatum teſtantur epiſtolæ Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis , & Narbonenſis ſeptimo Kal. Auguſt. datæ *Flavio Felice , & Tauro Coſſ.* , ideſt hoc anno . Multa quippe ab Eccleſiæ diſciplina , & canonum auctoritate aliena , iis in Eccleſiis irrepſiſſe narrat , & ut corrigerentur , hortatur . Atque inprimis eam conſuetudinem improbat , qua clericorum nonnulli , præcinctis renibus , palliati in Eccleſiis inſerviebant , ut illud evangelii obſervarent , *ſint lumbi veſtri præcincti &c*, quæ ſane ſpiritualiter intelligenda eſſe pluribus docet; alioquin , ſubdit , *cur non fiunt pariter , quæ ſequuntur , ut lucernæ in manibus ardentes , una cum baculo teneantur ?* quare uſitatum antiquitus clericorum habitum retinendum eſſe monet . Eos etiam redarguit , qui pœnitentiam morituris denegabant , tum eos qui contra Patrum decreta , ſacroſque canones , nullis Eccleſiaſticis ordinibus initiatos , ad Epiſcopatum promoverent , & quod deterius erat , non ſolum laicos , ſed & criminoſos , quod Danielis cujuſdam exemplo confirmat . Is apud Apoſtolicam ſedem , miſſa

De clericorum habitu Luc. 12.

Pœnitentia morituris non eſt neganda .

De Daniele Epiſcopo Cæleſtini querela .

miſſa ex Orientalibus partibus relatione, accuſatus fuerat, & ab omni virginum monaſterio, cui præerat, nefariis objectionibus fuerat infamatus, *ſacrarum* ſcilicet *virginum pollutus inceſtis*. Quare per Fortunatum ſubdiaconum datis epiſtolis ad Arelatenſem Epiſcopum, ad cauſam dicendam Romam vocatus fuerat Daniel. At nefarius homo, Cæleſtini judicium declinans, Epiſcopum ſe ſe ordinandum curavit, quod intolerandum fuiſſe merito adnotat Cæleſtinus. Quare *facilius eſt*, ait, *ut hanc dignitatem tali dando ipſe amiſerit ordinator, quam eam obtineat ordinatus, cui convicto ſociabitur, qui eum ſibi credidit, largiendo Pontificium, ſociandum &c.* Quare eos hortatur, ut in unum congregati perperam geſta revocent. Maſſilienſem etiam Epiſcopum, ob fratris ſui necem, ideſt Patrocli Arelatenſis Epiſcopi anno proximo occiſi, Epiſcoporum judicio puniendum committit: *Et veſtro eum audiendum collegio delegamus &c.* Ejuſdem fere argumenti eſt epiſtola altera, anno ſequenti duodecimo Kal. Auguſti Flavio Florentio, & Dionyſio Coſſ. ad Epiſcopos Apuliæ, & Calabriæ data, qua: *Nulli Sacerdotum*, ait, *ſuos licet canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare &c.* Deinde ne laici continuo Epiſcopi ordinentur, atque ut populus a clero doceatur, admonet, utque ab omnibus hæc epiſtola legeretur, jubet.

Epiſtola Cæleſtini ad Epiſc. Apuliæ & Calabriæ.

4. Anno proximo deſinenti, die nona Kal. Januarii Siſinnius CP. Epiſcopus obierat, cumque Clerus populuſque CPolitanus in ſucceſſoris electione diſſideret, dum alii Philippum, alii Proclum ea ſede dignum judicarent, Theodoſius Imp. ut litem componeret, ex Antiochena Eccleſia Presbyterum Neſtorium CPolim vocavit, ac ut Regiæ urbis Epiſcopus ordinaretur, effecit. Cum etenim alias egregium ſanctitate, doctrinaque virum olim accepiſſet CP. Eccleſia, ideſt Joannem Chryſoſtomum, ſimilem quoque futurum Neſtorium augurabatur, ait Caſſianus. At quantum cœlo diſtat terra, aut lux a tenebris, ita diſſimilis fuit a Joanne Neſtorius, vir quidem, ut ait Socrates, ex Germanicia in Euphrateſia ortus, ſonoræ vocis, & expeditæ facundiæ, atque ad docendum populum aptus; quibus autem moribus, quove ingenio prædītus eſſet, exitus comprobavit. Is Theodori Mopſueſteni diſcipulus fuerat; unde Theodori filius, & Pauli Samoſateni nepos dictus eſt a Theodoro Raithuenſi Presbytero in libro de Incarnatione, cujus

Neſtorius Epiſcopus CP. ordinatur, ejus origo & mores.
Socrat. lib. 7. 28. 29.

JESU CHR. AN. 428.

jus verba Suidas in lexico recitat, atque inde ex Pauli Samoſateni ſtirpe prognatum fuiſſe Neſtorium, Baronius ſcribit, quæ tamen de cognatione doctrinæ, non ſanguinis accipienda eſſe compertum eſt, alioquin & Theodori Mopſueſteni filius quoque dicendus eſſet. Monaſticam vitam in monaſterio Sancti Euprepii prope Antiochiam aliquando profeſſus fuerat Neſtorius, ac quadriennio ibidem permanſerat, ubi Ioannes Antiochenus poſtea Patriarcha, & Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus morabantur, cum quibus ita amicitia conjunctus fuit, ut ejus tutelam defenſionemque ſuſceperint, ut infra videbimus.

Bar. n. 20.

Evag. hiſt. lib. 1. cap. 7.

De pellendis hœreticis Neſtorii ſententia

5. Epiſcopus itaque die quarto idus Aprilis ordinatus, ut ait Socrates, ſeu potius Kal. Aprilis, quæ in Dominicam incidebat, ut ſcribit Liberatus in breviario capite 4. Epiſcopatus ſui initio, adverſus omnes hæreſes pugnare inſtituit. Similem ſane dixerim Heliogabalo Imperatori, qui omnia Imperii Romani Idola deſtruere conatus eſt, ut Deum ſuum Heliogabalum ubique erigeret, ſic iſte cunctis hæreſibus bellum indixit, *ut uni ſuæ aditum patefaceret*, ait Lirinenſis in Commonitorio; quare cum primum ad populum, coram Imperatore ſermonem habuit, hæc inter cetera dixit: *Mihi, o Imperator, terram ab hæreticis purgatam tribue, & ego tibi Cælum retribuam; mecum hæreticos debella, ego Perſas tecum debellabo*, qua ſententia & inanis gloriæ, levioris violentique ingenii indicia præbuiſſe, adnotat Socrates. Nec verbis ſolum aut minis adverſus hæreticos zelum ſuum Neſtorius exercuit, ſed re ipſa, & opere, nam quinto ab ordinationis ſuæ die *Arianorum* eccleſiam, in qua occulte preces faciebant, ſubvertere aggreſſus, eos ad deſperationem coegit. Nam cum Eccleſiam ſubverti ſuam cernerent, ipſi injecto igne eam conbuſſerunt. Hinc factum, ut ignis ulterius ſerpens, contiguas etiam domos abſumpſerit, unde tumultus in urbe excitati ſunt. Jamque Ariani ad vindictam ſe parabant, niſi Principes utriuſque partis impetus compreſſiſſent. Neque hic ejus adverſus hæreſes fervor, ſeu furor ſtetit, nam & alios, ut idem gererent, impulit. Ex his Antonius quidam, Germæ in Helleſponto Epiſcopus, Macedonianos acerbe vexare cœpit, mandatum Patriarchæ Neſtorii defenſionis loco prætexens. Perſecutionem aliquandiu tulere Macedoniani, cum vehementius urgerentur, ſpe ſalutis abjecta, ſceleratis quibuſdam ſubmiſſis Antonium interfe-

Socrat. 7. 29. & 30.

terfecerunt; Neſtorius vero inde occaſionem captans Imperatori ſuaſit, ut eccleſias ſubverteret; & ſane ad annum proximum narrat Marcellinus, Macedonianorum eccleſias ubique ſubverſas fuiſſe. Hinc accidit, ut plurimi Conſubſtantialis fidem amplexi, ad Eccleſiam catholicam redirent, ait Socrates. Jesu Chr. an. 428.

Theodoſii lex adverſus omnes hæreſes.

6. Ad inſectandos quoque hæreticos Theodoſium Imperatorem impuliſſe, idem ipſe Neſtorius teſtatur capite ſexto ſynodici adverſus tragœdiam Irenæi, ubi fragmentum inſerit ejus epiſtolæ poſt biennium ſcriptæ, ac poſt acceptas Sancti Cæleſtini epiſtolas, quibus jubebat, ut Palinodiam caneret; *Legem*, inquit Neſtorius, *inter ipſamet ordinationis initia contra eos, qui Chriſtum purum hominem dicunt, & contra reliquas hæreſes obtinui*; eam Imperator ad Florentium Præfectum Prætorii tertio Kal. Junii Felice & Tauro Coſſ. dedit, qua inter cetera jubet, ut hæreticorum eccleſiæ orthodoxis traderentur, & ut quicumque hæreticorum ſacerdotem aut clericum ordinare præſumpſiſſet, decem librarum auri mulctaretur, tam ordinans, quam ordinatus; quod ſi paupertatem prætenderent, eadem auri ſumma de communi clericorum ejuſdem ſuperſtitionis corpore, vel etiam ex donariis eccleſiæ ſumpta, inferenda erat ærario. Ac Arianis quidem, Macedonianis, Apollinariſtis intra civitates eccleſias retinere vetat. Novatianis autem & Sabbatianis omnis innovationis licentia eripitur. Eunomianis vero, Valentinianis, Montaniſtis, ſeu Priſcillianiſtis *Phrygibus*, *Marcioniſtis*, Borbonianis, Maſſalianis, Euchitis, ſive Enthuſiaſtis, Donatiſtis, Audianis, Hydroparaſtatis, Aſcodrogitis, Photinianis, Paulianis, Marcellianis, & Manichæis, nullibi in Romano ſolo conveniendi, orandique facultas tributa eſt, quos etiam e civitatibus pellendos eſſe jubet, iiſque præter cohortalinam in provinciis, & caſtrenſem militiam, dignitatibus, aut honoribus omnis aditus prohibetur, ac donandi aut teſtamenti faciendi facultas negatur, ſub pœna decem librarum auri, & exilii ingenuis, verberum & metalli damnatione iis, qui ſervilis conditionis fuiſſent.

Cur Theodoſius Pelagianos inter hæreticos non recenſuerit.

7. Cur vero in hæreticorum catalogo Pelagianorum nomen Theodoſius præterierit, etſi ſub Attico Siſinnii deceſſore CPoli damnati fuiſſent, Neſtorio adſcribi debet, qui eorum patrocinium ſuſceperat, ut ejuſdem epiſtolæ hoc & ſequenti anno ad Cæleſtinum Pontificem datæ teſtantur. Ob quam cauſam his verbis Caſſianus Neſtorium arguit: *Quod inter-*

Jesu Chr. an. 428.

Caſſian. de incarn. lib. 1. cap. 3. Apud Coutan. pag. 1075. & 1079.

intercesſionibus ſuis Pelagianiſtarum querelas fovet, & ſcriptis ſuis cauſas illorum adjuvat; & ſane in utraque epiſtola, ab iis ſe, atque Imperatorem ſæpiſſime interpellatos fuiſſe narrat, dicentes ſe Occidentalium partium Epiſcopos eſſe, qui perſecutionem patiebantur, *ſæpe eadem & apud nos lamentantes, ac ſæpe rejecti, eadem facere non deſierunt, ſed inſiſtunt per dies ſingulos, implentes aures vocibus lacrymoſis*; quare Cæleſtinum rogat, ut quæ eorum culpa vel hæreſis eſſet, quidve cum iis agere deberet, edoceat. Scire tamen poterat Neſtorius, eos toto Orbe, & CPoli etiam ſub Attico anteceſſore ſuo damnatos fuiſſe; quare Cæleſtinus in epiſtola ad Neſtorium anno 430. quod Pelagianos recepiſſet, iiſque patrocinatus fuerit, graviſſimis hiſce verbis expoſtulat: *Poſt nefandum & ſæpe damnatum dogma Pelagii, atque Cæleſtii catholicam fidem quies habuit, quando eos cum ſuæ diſputationis ſequacibus telo unitæ ſententiæ Oriens, Occidenſque percuſſit. Denique ſanctæ recordationis Atticus catholicæ magiſter fidei, & vere B. Joannis etiam ad iſta ſucceſſor, eos ita perſecutus eſt pro Rege communi, ut iis ne ſtandi quidem illic copia præſtaretur*; cujus zelum Siſinnium imitatum fuiſſe ſubdit. Quam agendi rationem, cur non tenuerit Neſtorius, ſe mirari ait: *Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum, quæ geſta ſunt, neſcius, conſulere voluiſti, ſedibus ſuis injuſta dicentes, expulit juſta damnatio, quos illic inveniſſe requiem, non putamus eſſe mirandum, invenerunt enim impiam prædicationem*, Neſtorii ſcilicet, *cujus comparatione ſe exiſtiment innocentes*; deinde poſt plurima: *Cur tamen ea, quæ in hos tunc acta quæruntur, cum certum ſit, illinc ad nos a catholico tunc Antiſtite Attico geſta directa? cur non ſanctæ memoriæ Siſinnius iſta quæſivit? quia utique ſub deceſſore ſuo probaverat eos jure damnatos. Defleant infelices ſpe ſe hominum fuiſſe deceptos, quibus jam potuit propter communionem ſola pœnitentia ſubvenire. Ecce ſcire de his incipis, ſi qua ante neſciſti*. Hactenus ad Neſtorium Cæleſtinus Papa de Pelagianorum geſtis, & condemnatione tertio idus Auguſti Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ., ideſt anno 430.

Neſtorius Pelagianorum fautor. Coutan. pag. 1114.

Neſtoriani in pluribus cum Pelagian. conveniunt.

8. In omnibus tamen cum Pelagianis nequaquam conſenſiſſe Neſtorium, quin capitalem illorum errorem, quo peccatum originale negabant, eum confutaſſe, teſtes ſunt ejuſdem Neſtorii ſermones, quod etiam Cæleſtini epiſtola confirmat,

mat, qua ait: *Legimus quam bene teneas originale peccatum, qualiter ipſam naturam aſſeris debitricem, & eum debitum merito reddere, qui deſcenderit de genere debitoris: quid tecum faciunt, qui ſunt hæc negando damnati? Numquam ſine ſuſpicione, ea, quæ ſibi ſunt adverſa, conveniunt. Ejicerentur denique, ſi tibi quoque ſimiliter diſplicerent*. At quæcumque fuerit Neſtorii de Pelagianorum dogmatibus conſenſio, aut diſſenſus; id certum eſt, Neſtorianos Pelagianum dogma docuiſſe, de quibus *aſſerunt*, inquit Photius, *quandoquidem noſtræ Chriſtus naturæ ſit particeps factus, & Deus omnes homines ſimiliter ſalvos fieri velit, unum quemlibet etiam per arbitrii ſui libertatem proprium peccatum corrigere, & Deo dignum ſe facere; idcirco non genitum eſſe Verbum, ſed eum qui ex Maria natus eſt, ob naturalis voluntatis dignitatem habuiſſe Verbum concomitans cum ſola iſta nobilitate, & eadem appellatione communicare cum ratione filiationis*; quæ verba Photius ex actis Occidentalium Epiſcoporum adverſus Neſtorianam hæreſim ſe exſcripſiſſe narrat; ac Neſtorianam & Pelagianam hæreſim in eadem dogmata conſpiraſſe, tum ex Occidentalium Epiſcoporum ſcriptis, cum ex Cyrilli Alex. Epiſcopi epiſtola ad Theodoſium Imp. adnotat.

JESU CHR. AN. 428.

Phot. Cod. 54. pag. 19.

9. Neſtorius interea CPolitanam ſedem adeptus, errores ſuos ſpargere, & docere cœpit, ut teſtes ſunt ejuſdem epiſtolæ, hoc & ſequenti anno ad Cæleſtinum Pontificem datæ, quibus aperte humanam a divina in Chriſto Perſona, diſtinguendam eſſe contendit, ac Virginem Mariam Chriſtiparam vocandam eſſe, non Deiparam, impuro ore blaſphemat: *Ut in compendio dicam*, ait inter cetera, *& Deitatem Unigeniti, & ad originem conjunctæ carnis referunt, & commodificant carni; carnem vero conjunctam Deitati ad Deitatem tranſiiſſe blaſphemant, ipſo verbo Deificationis, quod nihil eſt aliud niſi utramque corrumpere. Sed & Virginem Chriſtotocon auſi ſunt cum modo quodam Theotocon dicere. Hanc enim Theotocon vocantes non perhorreſcunt &c.* quod vocabulum, *etſi ferri poteſt propter inſeparabile Templum Dei ex ipſa*, non tamen *quia ipſa* ſit Mater *Verbi Dei, nemo enim antiquiorem ſe parit*. Antequam vero ſe Neſtorius in ſcenam proderet, aliena perſona fidelium aures tentavit, ac Anaſtaſium Presbyterum, quem Antiochia CPolim ſecum duxerat in medium protulit. Is vero quadam die populum docens dixit: *Nemo Mariam*

Neſtorius errores ſuos ſpargit.

Coutan. pag. 1077.

Socrat. lib. 7. 32.

Jesu Chr. An. 428. *vocet Deiparam. Maria enim homo fuit, ex homine autem Deus naſci non poteſt.* Quod ubi auditum eſt, quamplurimi ex populo ſcandalizati, atque turbati ſunt; eodemque tempore cum Dorotheus Marcianopolitanus Epiſcopus CPoli eſſet, eademque cum Neſtorio ſentiret, *vir*, ut ait Cyrillus in epiſtola ad Acacium Boroœnſem, *quæſtus cauſa adulationi deditus, linguaque ad temeritatem promptus. Hic, dum frequens eſſet in eccleſia populus, Neſtorio de cathedra CP. eccleſiæ ſedente, ſurrexit, & magna voce* inclamare auſus eſt: Si quis Mariam Deiparam eſſe dixerit, anathema ſit. *Mox ingens populi clamor & diſceſſio conſecuta eſt*, ait Socrates; deinde *Neſtorius ſententiam Anaſtaſii confirmare ſtudens, nam eum, quem tanti faciebat, non ut blaſphemiam in Chriſtum jacientem coargui voluit, deque eadem pugnaciter quæſtiones poſuit, & vocem Deiparam omnino rejecit.* Poſt Anaſtaſium, Dorotheumque impia coram ſe locutos, conceptum diu virulentum ſermonem aperte Neſtorius propinavit, ac coram frequentiſſimo populo eum ſermonem, qui de Incarnatione inſcribitur, habuit, in quo totum Neſtorianæ impietatis venenum evomuit; inter

Apud Garnerium tom. 2. pag. 5.

alia: *Habet matrem Deus*, inquit, *ergo excuſabilis gentilitas matrem Diis ſubintroducens. Non vir optime Maria peperit Deum; peperit hominem Deitatis inſtrumentum.* Hunc ſermonem e Græco in Latinum tranſtulit Marius Mercator, quem Proclus Cizicenus Epiſcopus in oratione panegyrica de laudi-

Ut ſup. p. 19.

bus Deiparæ Virginis, Cyrillus pluribus in locis, & Caſſianus libris ſeptem de Incarnatione, cum nondum Neſtorius damnatus eſſet; nec publico judicio de hæreſi poſtulatus, ſuppreſſo nomine confutarunt. Ad tantam tamen blaſphemiam tanta fuit auditorum indignatio, ut cum eum de Incarnatione ſermonem habuiſſet Neſtorius, Monachus quidam ſtatim in medium Eccleſiæ progreſſus, cum Synaxis celebraretur, impietatis præconem, quod hæreticus eſſet, ab ingreſſu prohibere conatus eſt. At Neſtorius eum Præſidibus tradidit, flagriſque publice cæſum in exilium ejecit. Neque his finibus tragœdia conſtitit, quin initium habuit, nam vix poſt Neſtorii impiam concionem in ipſa eccleſia a cœdibus vix temperatum eſt; & exinde CPolitanæ plebis pars maxima, una cum monachis, & Archimandritis, ne detrimentum Fidei facerent, a Neſtorii ejuſque ſociis impoſterum ſe abſtinuerunt, ut ex geſtis concilii Epheſini part. 1. cap. 14. & 30. conſtat.

10. Ne-

10. Neſtorius itaque teſte Mario Mercatore, & ſi circa Verbum Dei non quidem ut Paulus Somoſatenus ſentiret, *qui non ſubſtantivum, ſed prolatitium potentiæ Dei efficax verbum eſſe definit*, ideſt non in propria ſubſtantia, ſeu hypoſtaſi filium ſubſiſtere effutiebat; Neſtorius vero *non confitetur ex verbo ſubſtantivo ipſum Filium Dei naturaliter eſſe, ſed dicit argute quidem, quia non expreſſe, ab æternitate filium non eſſe, ſed verbum tantum, quod in ſubſtantia Patris manens Deus ſit conſubſtantialis, ſeu Omeuſion, Filium vero illum eſſe, & dici debere aſſerit, qui ex Maria ſit natus. Atque ita dividit æternum a temporali, illi quidem Deo, & Dei verbo, quæ majeſtatis ſunt, huic vero alteri, quæ humanæ infirmitatis ſunt, deputans, propter individuam autem atque inſeparabilem connexionem, dignum fuiſſe habitum noncupatione Filii Dei, quippe qui hoc ipſum pro meritis, & ex adoptione habeat, non ex natura*. Itaque Neſtorius Divinitatem quidem Filii Dei fatebatur, eamque humanam naturam aſſumpſiſſe teſtabatur; at in una perſona Deum & hominem hypoſtatice ſubſtitiſſe negabat, ac moraliter tantum, ac tanquam in Templo Divinitatem cum humanitate inhabitaſſe; quare Verbum Dei a Filio diſtinguendum eſſe prædicabat, ac Verbum Dei ad Divinitatem, Filium vero ad Chriſtum hominem, ſeu ad humanitatem aſſumptam referendum eſſe cenſebat, proindeque Filium Dei in utero Virginis, operante Spiritu Sancto conceptum, natum ex Virgine, & crucifixum dicere recuſabat, ſed tantum hominem Deificum, in quo ſcilicet Dei Filius, ſeu Verbum perfectiori modo, quam in ceteris hominibus, tanquam in templo ſuo inhabitaverat; hinc ſequebatur, ut Virginem Mariam Teotocon dicere angue pejus abhorreret, ac Chriſtiparam diceret, quo unico errore tota chriſtianæ Religionis æconomia corruit, nam ſi alia eſt Verbi perſona, alia Chriſti hominis, Deum eccleſiam ſuam ſanguine ſuo redemiſſe, aut Gloriæ Dominum a Judæis crucifixum fuiſſe, falſum omnino eſſet, multaque inde ſequerentur abſurda, quæ perſequi longum eſſet. Qui plura de Neſtorii hæreſi videre cupit, Garnerium, aut Petavium adeat, qui præceteris magna cum diligentia & eruditione eo in argumento verſati ſunt.

> Quæ eſſet Neſtorii hæreſis.
> *Marii Mer. epiſt. apud Garner. to 2. pag. 17.*
> *Garner. in op. Mercat. tom. 2. diſſert. 1. de hæreſi Neſt. Petav. Theol. dogm. tom. 4. lib. 1.*

11. Non defuerunt tamen ex veteribus, & recenſioribus plurimi, qui parum, aut nihil in iis peccaſſe Neſtorium traderent. Quam pugnaciter pro eo certaverit Theodoretus in-

> An Neſtorius excuſari poſſit.

JESU CHR. AN. 428.

ſra ſuo loco videbimus. Ex inſcitia & ſuperbia ad eam opinionem tuendam incitatum fuiſſe Neſtorium, ut Deiparae vocem tanquam larvam reformidaret, etſi a catholicis vix in re ipſa diſſideret, inepte admodum ſcripſit Socrates; ac ambo tanquam in nocturna pugna temere dimicantes, modo hæc, modo illa dicebant, idem affirmantes pariter ac negantes, *Ego vero cum libros a Neſtorio editos legiſſem, hominem imperitum eſſe deprehendi*; ac a Pauli Somoſateni, & Photini, qui purum hominem Chriſtum dicebant, ſententia abhorruiſſe Neſtorium adnotat: quod etiam admitti poteſt, unde ſubdit; *Arrogantia elatus ob dicendi facultatem, non ſatis accurate vetuſtioribus legendis operam dabat, ſed ſeipſum reliquis omnibus præſtare arbitrabatur*. Plura deinde Scripturæ loca, aut Sanctorum Patrum teſtimonia addit, quibus tum Neſtorii inſcitiam arguit, cum catholicum Eccleſiæ dogma, de hypoſtatica unione Verbi Dei cum humanitate perfecta confirmat, ac temere Deiparæ vocem Neſtorium repudiaſſe probat, quare *ſtulta illa Neſtorii garrulitas Orbem terrarum non mediocriter perturbavit*, ait Socrates.

Socrat. lib. 7. 32.

Baſnagii in excuſando Neſtorio temeritas arguitur.

Baſnag. præf. in annal. prope finem.

12. Socrate audacior adhuc ac impudentior fuit Baſnagius, dum catholicorum cum Neſtorio de fide quæſtiones, puram putamque logomachiam, ſeu verborum contentionem, fuiſſe ſcribit, uti vel in ipſa Annalium ſuorum præfatione jam tum novitatis impatiens præmiſerat. *Cum porro certa nobis ſtet ſententia, non ex fama quidem, quæ tam ficti tenax, quam nuncia veri, ſed ex auctorum ipſorum verbis certum exploratumque de eorum fide judicium eſſe pronunciandum, ab errore, qui Neſtorio adſcribitur, ejus innocentiam liberamus &c.* Socratis verba referens, ut promiſſa in præfatione impleret: *Aliam*, inquit, *quidem ſententiam Socrates adſcribit Neſtorio, quæ magnam de fide quæſtionem ad Logomachiam deducit*, quæ porro in hiſtoriæ decurſu pro Neſtorii defenſione adferat, longum ac inutile eſſet exſcribere; id adnotare ſufficiet, totam fere diſſidii cauſam, in unum fere Cyrillum Alex. Epiſcopum, ejuſque imprudentiam, & arrogantiam transferre, ac tandem pluribus in eam rem adnotatis, ſubdit: *His accurate perpenſis, vana deprehendentur omnia, quibus Nat. Alexander, aliique complures Neſtorium hæreſeos coarguunt. Itaque quin vel ex præjudicio, vel ex male intellecta, vel ex afficta ſane doctrina, Neſtorius damnatus fuerit, nulli dubitamus*. Fruſtra tamen Neſtorii

Baſnag. an. 428. 9.

An. 429. n. 11. 12. 13. 430. n. 8. ad 22.

ſtorii Apologiſtam egiſſe, ac oleum operamque in æthiope lavando perdidiſſe Baſnagium, non eſt dubitandum, nec fruſtra totum fere orbem in condemnatione Neſtorii, & ejus doctrina Epheſum conveniſſe, ex dicendis patebit; nam ſi duorum triumve teſtium verum eſt teſtimonium, ac omni fide dignum, quis tot tantiſque Epiſcopis, qui uno conſenſu, unoque ore Neſtorii perſonam, & doctrinam condemnarunt, anathemateque dignam judicarunt, fidem negabit: quis teſtimonio Orbis Baſnagii auctoritatem, aut judicium anteferret? Nec quidquam eum juvabit, quod aliquoties Neſtorius unam in Chriſto perſonam fateri, ac dicere viſus ſit, hæreticis etenim id ſemper commune, & proprium fuit, latebras erroribus ſuis captare, ac multiplices ſubinde formas induere, ut vel ignorantes, vel incautos deciperent; qua ratione vel Arianos & Pelagianos ab hæreſis labe purgabit facile Baſnagius, nam Chriſtum Filium Dei, non ſemel Ariani confeſſi ſunt, ac Chriſti gratiam in ore facile Pelagiani habebant; quia tamen Ariani Chriſtum Dei filium non natura, nec Patri Conſubſtantialem fatebantur, ſed vel creatione, vel adoptione, aut Patre minorem dicebant; & Pelagiani Chriſti gratiam in naturæ donis vel lege, non vero in interna dilectionis inſpiratione, & voluntatis motione, ut in ſcholis dicitur, fatebantur, tanquam hæretici judicati ac damnati ſunt; ita etiam Neſtorium jure meritoque damnatum fuiſſe videbimus, etſi aliquando unam in Chriſto perſonam prædicare viſus fuerit, aut ſaltem ſimulaverit. Plura in eam rem non ſolum apud Nat. Alexandrum, qui ſyllogiſmis utens, ut ait Baſnagius, idem confirmat; ſed apud Garnerium in præfatione ad tomum ſecundum operum Marii Mercatoris, & diſſertatione prima de hæreſi & libris Neſtorii, qui ſane non ſcholaſticorum ſyllogiſmis, ſed ex hiſtoriæ monumentis, invictiſque argumentis confirmat.

De Theodoro Mopſueſteno ejuſque erroribus.

13. A Neſtorio ad Magiſtrum ejus, Theodorum ſcilicet Mopſueſtenum Epiſcopum tranſimus; de cujus primordiis nonnulla jam ſupra adnotavimus, ac eum Pelagianam hæreſim foviſſe probavimus. Hunc porro Neſtorii præceptorem fuiſſe, non ſolum Evagrius, ſynodus Quinta, Juſtinianus Imperator in ſanctione contra Theodorum vulgata, cujus initium eſt: *Scientes quod nihil &c.* ſed etiam Gregorius Papa epiſtola ad Eulogium Alex. Epiſcopum, Marius Mercator, Liberatus, & Leontius Scholaſtichus aperte teſtantur. Hinc fruſtra ex anti-

Evag. lib. 1. 2. ſynod. Quin. act. 4. & alibi tom. 4. concil. Mar. Mercat. commonit. Liberat. brev. cap. 4.

Leont. lib. 2. adverſ. hæreſim Eutych. & Neſt.

Baſnag. an. 428.

antiquis Theodoretus, & Facundus, ex recentioribus vero Baſnagius Theodori famam vindicare conati ſunt, ut ſequentium temporum hiſtoria docebit. Evagrius interea audiatur: *Neſtorius apud Mopſueſtiam congreſſus cum Theodoro, audita illius doctrina, a recta pietate deflexit, ſicut in epiſtola quadam de his rebus agens ſcribit Theodulus*. Photius vero, qui operum ejus ſæpe meminit, hæc etiam inter plurima adnotat: *Quin & Neſtorii ſententiam, quamvis illo prior fuerit, tacite vomit. Hic eſt Theodorus ille Mopſueſtiæ*; & iterum: *Neſtorii hæreſim maxime libro tertio confirmans, citat &c.* Innumeros pene libros eum conſcripſiſſe veteres tradunt; ac decem mille adverſus hæreſes vulgaſſe ſcribit Joannes Antiochenus in epiſtola ad Proclum CP. Epiſcopum, extantium catalogum exhibent Dupinius, & Cavius. Theodori geſta & ſcripta non ſine elogio commemorat Theodoretus: *Interea Sacratiſſimo Theodoto Antiochenſem eccleſiam gubernante, Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ, totius Eccleſiæ doctor, & qui adverſus omnes hæreticorum catervas ſtrenue decertaverat, vivendi finem fecit. Hic præſtantiſſimi quidem Diodori auditor, divini autem Joannis ſocius atque adjutor fuerat*. Annis porro ſex, & triginta epiſcopatum geſſit, cujus frater Polycronius Apamenſem Eccleſiam adminiſtravit. Theodori autem ſtylum, neque illuſtrem, neque perſpicuum fuiſſe adnotat Photius, quia cum eadem ſæpe repetat, *ingratus atque faſtidioſus legenti accidit*. Ad hæc porro tempora vivendi finem feciſſe Theodorum Mopſueſtenum indicat caput ultimum hiſtoriæ Theodoreti, quo ſe in obitu præſtantiſſimorum virorum Theodori, & Theodoti Mopſueſteni ſcilicet, & Antiocheni, ſcribendi finem feciſſe teſtatur; Theodotum vero ſuperſtitem Theodoro fuiſſe eodem capite addit, quare cum Theodotus Antiochenus uno aut altero ab hinc anno obierit, nam anno 431., quo Epheſinum concilium celebratum eſt, Antiochenam eccleſiam Joannes adminiſtrabat; hinc ſequitur, hoc vel ſequenti anno Theodorum occubuiſſe, cui ſucceſſit Meletius. De Theodori Mopſueſteni geſtis, ſcriptis, & hæreſibus, qui plura cupit, Noriſium, aut Garnerium adeat.

Evag. lib. 1. 3. Phot. Cod. 38.

Cod. 4. 38. 81. & 177.

Dupin. ſec. 5. tom. 1. pag. 290.

Quo tempore Theodorus obierit.

Theodor. lib. 5. 40.

Cod. 38.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 9. de ſynod. 5. cap. 5.

Garn. in Mar. Merc. diſſert. 1. in primam & 2. partem.

De Theodoto Antiocheno Epiſcopo.

14. Etſi Theodotus Antiochenus Epiſcopus aliquandiu Theodoro Mopſueſteno ſuperſtes fuerit, ut diximus; in utriuſque tamen obitu hiſtoriæ ſuæ finem impoſuit Theodoretus anno circiter 430. Theodotum porro anno 429. occubuiſſe

Marii

Marii Mercatoris verba teſtantur in commonitorio ſub illius anni conſulibus Theodoſio Imp. oblato, quo Theodotus Antiochenus Epiſcopus *ſanctæ memoriæ dicitur* capite primo & tertio; hinc anno 430. ad Cyrillum ſcribebat Acacius Beroeænſis, Joannem in ejus locum non multo ante eidem ſucceſſiſſe. *Nam licet recens admodum ad Epiſcopatum venerit, eadem tamen vult & ſentit*. Hic ille Theodotus in hiſtoria hujus temporis ſatis laudatus, qui teſte Theodoreto: *Fuit Gemma caſtitatis, vir ſingulari manſuetudine, & exacta vivendi ratione conſpicuus. Hic Apollinaris ſectatores reliquo gregi adjunxit, rogatus ut illos Eccleſiæ corpori aggregaret*. Illud præceteris Theodoti gloriam auxit, quod primus inter Orientales Joannis Chryſoſtomi nomen dypticis Antiochenæ eccleſiæ inſcripſerit. Annos decem circiter Antiochenam eccleſiam ſanctiſſime adminiſtravit, cui ſucceſſit Joannes Neſtorii amiciſſimus, de cujus geſtis infra.

Theodor. lib. 5. 38.

Diodorus Tarſenſis Epiſc. Neſtorianiſmi ſuſpectus.

15. Inter Neſtorianæ hæreſis progenitores, cum Theodoro Mopſueſteno, Diodorus quoque Tarſenſis olim Epiſcopus recenſetur, qui Mopſueſteni præceptor fuit; unde Theodori parens, Neſtorii vero avus dictus eſt, vir ſane dum vixit, omnium ore laudatus, ut alibi de eodem agentes, adnotavimus. At poſt exortam Neſtorii hæreſim, a Cyrillo Alex., Proclo CP. Epiſcopo, & a ſynodo quinta, uti Neſtorianiſmi fons dictus, tanquam ex eo venena Theodorus Mopſueſtenus derivaverit, quæ poſtea in Neſtorium effunderet; De Theodoro etenim Mopſueſteno loquens Theodoretus, *Diodori auditor*, ait, *divini autem Joannis*, Chryſoſtomi ſcilicet, *ſocius atque adjutor fuerat. Ambo quoque ex ſpiritualibus Diodori fontibus ſimul hauſerant*. Ex eo tamen, quod Mopſueſtenus Diodori Tarſenſis auditor fuerit, Neſtorianam luem ex eo didiciſſe inferri non poteſt, alioquin & Chryſoſtomus Neſtorianis accenſendus eſſet Theodori ſocius; nec eſt prætereundum pro Diodori fama a Neſtorianiſmo vindicanda, pro aris & focis acerrime decertaſſe Theodoretum, dum contra Cyrillum ſcripſit, & Facundum contra ſynodum Quintam; quibus conſentit Photius hæc de Diodoro adnotans in libris de fato: *Pius quidem eſt hic ſcriptor, neque in eam ſectam de Dei Filio, quem impia Neſtorii rabies diſſecuit, oberrando deflexit*. At ut diximus, alia de Diodoro opinio fuit Cyrilli Alex. Epiſcopi, Marii Mercatoris, Leontii, & quod præcipuum eſt Synodi Quintæ, ut apud Garnerium præceteris videre eſt. JE-

Anno 381. n. 20.

Theodor. lib. 5. 40.

Phot. Cod. 223. p. 247.

Garn. diſſert. 1. in ſecund. part. Marii Merc. p. 317.

Jesu Chr. an. 429.

JESU CHRISTI an. 429. Cælestini Papæ 8.
Theodosii jun. Imp. 28 et 22.
Valentiniani III. Imp. 5.
Coss. Florentio, et Dionysio.

Romani a Vandalis in Africa victi. *Procop. de bello Vandal. lib. 1. 3.*

1. Cum Vandalis perſuadere non potuerit Bonifacius, ut ſponte Africa excederent; ut ab urbe auxilia accepit, vi eos abigere conatus eſt, initoque certamine, *Victi ad unum omnes, alio fugam arripuere* Romani, ait Procopius. Quare Bonifacius Hippone Regio anno ſequenti obſeſſus, paulo poſt periit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Cæleſtinus Papa Pelagianos Britannia exturbandos curat.

2. Feliciori exitu Pelagianis in Britannia latitantibus bellum hoc anno Cæleſtinus Papa indixit, cujus epocham ſub Florentii, & Dionyſii conſulatu, ad hunc annum alligavit Proſper in Chronico: *Agricola Pelagianus Severiani Epiſcopi Pelagiani filius, eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſimulatione corrupit, ſed actione Palladii diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Antiſſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, ut deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem dirigat*; & iterum de Cæleſtini ſollicitudine in extirpanda undique Pelagiana hæreſi, idem Proſper adverſus collatorem, ideſt Caſſianum, ſcribens, poſtquam adnotavit ſanctum Pontificem Cæleſtium iterum audiri poſtulantes rejeciſſe, ac Italiæ finibus exterminaſſe, de geſtis in Britannia ſubdit: *Nec ſegniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes* (Pelagius etenim Britannus erat, ac ex Britannia plures ſibi diſcipulos adlegerat) *etiam ab illo ſecreti excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare catholicam, fecit etiam barbaram chriſtianam*, Scotorum converſionem ad fidem chriſtianam hoc tempore accidiſſe inſinuans; nam etſi dubitari non poſſit, chriſtianitatis ſemina in Britanniæ, Scotiæ, & Hiberniæ inſulis, aut ab Apoſtolica ætate, aut Eleutherii Pontificis, & Lucii Britanniarum Regis, fuiſſe illata, ut in antiquitatibus Britannicis pluribus perſequitur Uſſerius; unde Britannus erat Pelagius, Scotus Cæleſtius; nihilhominus uſque ad hæc tempora Britannicarum inſularum partem maximam ethnicorum adhuc erroribus inſerviiſſe, certum eſt. Unde ante aliquot annos ſcribebat Hieronymus: *Audiant ethnici*

Proſp. in chro. Proſp. adverſ. in fine.

hnici meſſes Eccleſiæ, de quibus quotidie horrea noſtra complentur: aut catechumeni, qui ſunt fidei candidati, ne uxores ducant ante baptiſma, ne honeſta jungant matrimonia, ſed Scotorum & Aſoſtorum ritu, ac de Republica Platonis promiſcuas uxores, communes liberos habeant. Hæc & alia Hyeronimus. Idemque adverſus Jovinianum: *Quid*, inquit, *loquar de cæteris nationibus, cum ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim, Scotos gentem Britannicam humanis veſci carnibus, & cum per ſilvas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiant, paſtorum nates & feminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet &c.* Hic porro Palladius ad Pelagianos debellandos a Cæleſtino Papa in Britanniam miſſus, in Scotiam iterum paulo poſt miſſus eſt, ejus gentis Epiſcopus deſtinatus, Scotorum etiam Apoſtolus dictus, diverſus omnino ab altero Palladio Helenopolis Epiſcopo, qui Chryſoſtomi res geſtas in ſuo cum Theodoro dialogo conſcripſit. De Palladio Scotorum Apoſtolo, plura apud Uſſerium capite 16. antiquitatum Britannicarum, vel apud Bedam videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 429.

Hieronym. ad Oceanum epiſtol. & adverſ. Jovinian. lib. 2.

Beda hiſt. Angl. lib. 1. cap. 14. & ſeq.

S. Germanus Antiſſiodor: & Lupus Trecenſis Epiſc. in Britanniam tranſierunt.

3. Palladio Diacono in extirpanda e Britannicis inſulis Pelagiana hæreſi ſocii fuerunt ſanctus Germanus Antiſſiodorenſis in Gallia Epiſcopus, & S. Lupus Trecenſis, quos Palladii actione, ſeu inſtinctu, in Britanniam miſiſſe idem Proſper teſtatur: *Actione Palladii diaconi*, ait, *Papa Cæleſtinus Germanum Antiſſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit*. Cum Germano autem Lupum in ea legatione ſocium fuiſſe, auctor eſt Conſtantius in vita Germani, & auctor anonymus vitæ S. Lupi; hic etenim *exacto*, inquit, *biennii ſpatio* (ab Epiſcopatu ſcilicet) *cum ſancto Germano contra hæreſim Pelagianam, quæ ſanam oppugnabat fidem in Britanniam profectus eſt*. Hos vero a Britannis etiam vocatos fuiſſe, atque a Gallicana ſynodo ob eam rem habita deſtinatos, auctor eſt Beda. Cum etenim Pelagiana lues Britannias graſſaretur: *Inveniunt ſalubre conſilium* (Britanni) *ut a Gallicanis Antiſtitibus auxilium belli ſpiritualis inquirant; quam ob cauſam indicta magna ſynodo* (Trecis ut creditur in Gallia) *quærebatur in commune, qui illuc ad ſuccurrendum fidei mitti deberent, atque omnium judicio eligebantur Apoſtolici Sacerdotes Germanus Antiſſiodorenſis, & Lupus Tricaſſinæ civitatis Epiſcopi*. Bedæ conſentit Conſtantius in vita Germani lib. 1. cap.

Apud ſurium, aut Bolland. 30. Julii vita S. Lupi die 29. Junii.

Beda hiſt. Angl. lib. 1. 17.

Jesu Chr. an. 429.

cap. 19. *Ex Britannis directa legatio Gallicanis Epiſcopis nunciavit, Pelagianam perverſitatem in locis ſuis populos occupaſſe. Ob quam cauſam ſynodus numeroſa collecta eſt, omniumque judicio, duo præclara religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur Germanus & Lupus.* Hanc Gallicanam ſynodum autumno hujus anni ineunte celebratam fuiſſe, indicat auctor vitæ S. Lupi, dum narrat eos, *terribiles Oceani fluctus temporibus hybernis mari ſe committentes, orationum gubernaculis* mitigaſſe, quos etiam ſtatim poſt ſynodum laborioſum ſuſcepiſſe iter addit Conſtantius in vita Germani, *& quoniam neceſſitas laborioſior apparebat, tanto eam promptius heroes devotiſſimi ſuſceperunt, celeritatem negotii fidei ſtimulis maturantes.* Quare inſtante hyeme hanc ſynodum celebratam fuiſſe conſtat, eoſque a ſynodo deſtinatos, atque a Cæleſtino Papa miſſos fuiſſe, ut ait Proſper.

Quid in Britannia Germanus egerit.

4. De Germani profectione, deque illuſtri legatione ſuſcepta, multa quidem in ejus vita narrat Conſtantius, multaque ex eo exſcribit Baronius; nos paucis contenti erimus. Itaque cum oratione ſua irruentes fluctus repreſſiſſet Germanus, ac in Britanniam appuliſſet cum Lupo, ad eum undique ex tota inſula multitudo confluebat; cumque *quotidie irruente frequentia ſtiparentur, divinus ſermo non ſolum in eccleſiis, verum etiam per trivia, & per devia fundebatur, ut paſſim & fide catholici firmarentur, & depravati viam correctionis agnoſcerent.* Pelagiani interea latentes publicæ diſputationis aleam inire reformidabant; at cum ſuorum quotidie jacturam facerent, atque ex timore & ſilentio ſectam ſuam minui cernerent, pleriſque ad catholicorum partes tranſeuntibus, tandem in publicum erumpere, & diſputationem inire coacti ſunt. Procedunt itaque *conſpicui divitiis, veſte fulgenti circumdati aſſentatione multorum, contentioniſque ſubire aleam maluerunt.* Aderat populus & quidem ingens cum conjugibus & liberis, ſpectator futurus & judex, quos facile Germanus & Lupus non ſolum rationibus, ſed etiam miraculo confutarunt, nam finita diſputatione, Tribunus quidam adſtitit cum conjuge ſua, qui filiam decennem cæcam ſanctis viris curandam obtulit; Germanus vero Trinitate invocata, cum reliquias, quas ſecum deferebat, puellæ oculis proximaſſet, ſtatim ſanata eſt; quare *exultant parentes, populus contremiſcit, poſt quam diem, ita ex animis hominum perſuaſio iniqua deleta eſt, ut ſu-*

Germani & Lupi diſputatio cum Pelagianis.

ut ſacerdotum doctrinam ſitientibus deſideriis ſectarentur. Poſt hæc Germanus ad Beati Albani ſepulchrum perrexit, ibique reliquias Apoſtolorum, ſanctorumque Martyrum, quas ſecum habebat, recondidit; ſecumque maſſam terræ ubi Albanus ſanguinem fuderat reliquiarum loco aſportavit, ut in ejus vita narrat Conſtantius.

Jesu Chr. an. 429.

De Faſtidio Brittone An Pelagianus fuerit.

5. Nec mirum in Britannia, viciniſque inſulis, Pelagianam hæreſim ſectatores plurimos, propagatoreſque habuiſſe, nam Britannus, ut diximus erat Pelagius, Scotus vero Cæleſtius. His vero addendi ſunt Agricola, ejuſque pater Severianus Epiſcopus, quibus etiam accenſendus eſt Faſtidius quidam, cujus adhuc extat de vita chriſtiana liber ad Fatalem quemdam dicatus, Auguſtino olim tributus; ab Holſtenio vero, & Maurinis editoribus auctori ſuo reſtitutus, non ſolum Codicum mſſ. auctoritate, ſed etiam Gennadii teſtimonio, qui in catalogo de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 56. adnotat: *Faſtidius Britto ſcripſit ad Fatalem de vita chriſtiana librum, & alium de viduitate ſervanda, ſana & digna doctrina*. Fatalem, cui de vita chriſtiana librum Faſtidius inſcripſit, ex muliere in virum mutavit Gennadius, cum muliere tamen eum loqui, liber ipſe indicat, quam & ſororem appellat: *Ita & tu dilectiſſima ſoror &c.* Faſtidium vero non ſolum Epiſcopum, ſed & Londinenſem Archiepiſcopum, & Britanniarum Primatem dixerunt ex Anglis ſcriptoribus plurimi; at Epiſcopi titulum in melioribus codicibus deſiderari, adnotant Maurini editores, aliique. Inſuper etſi negari non poſſit, auctorem libri de vita chriſtiana Auguſtino olim inſcripti, Pelagianis accenſendum eſſe, ut Noriſius, & Auguſtini editores demonſtrant, liberque ipſe confirmat; ex Gennadii tamen auctoritate, qui ſanam, dignamque doctrinam docuiſſe Faſtidium in ſuo de vita chriſtiana libro tradit, alium omnino fuiſſe Faſtidii librum contendit Pagius ab eo, qui in appendice Auguſtini legitur, huncque injuria Faſtidio Britanno inſcriptum fuiſſe contendit. At cum Faſtidii nomen Codices fere omnes retineant, fruſtra pro Faſtidii orthodoxia vindicanda laboraſſe Pagium dubitari vix poteſt; nec mirum videri debet Gennadium, qui Semipelagianis favebat, in libro de vita chriſtiana virus Pelagianum non advertiſſe, ac proinde Faſtidii doctrinam laudaſſe, ut apud Maurinos Auguſtini editores videre eſt ad dictum Faſtidii librum.

Auguſt. op. tom. 6. in append. p. 183.

Uſſer. antiq. Britann. pag. 317.

Pag. not. 29. ad an. 420.

 6. Orien-

Jesu Chr. an. 429.

Neſtorius hæreſim propagare pergit.

ApudGarner. in Mar. tom. 2. pag. 8.

6. Orientales nunc res, Neſtorii temeritate turbatæ, nos revocant. Neſtorius itaque ira fremens, ac aulæ potentia fretus, hujus anni initio, tamquam adverſus Apollinariſtas, ad populum verba faciens, de inconfuſis in Chriſto naturis multa exageravit, & tanquam Apollinariſtas argueret, venenum hæreſis ſuæ, qua Chriſtum dividebat in duas perſonas, propinavit. Cujus ſermonis hoc eſt initium: *Non clamoribus probo erga me ſtudium, ſed laudo circa dogmata deſiderium*. Paulo poſt ſermone altero ad populum habito Arianos quidem, ac Macedonianos inſectatus eſt; ita tamen, ut etſi Verbi, ac Spiritus ſancti Divinitatem adſtrueret; adverſus catholicos tamen, qui veram in Chriſto naturarum in una Perſona unionem docebant, pugnaret; & Nicæni ſymboli auctoritate abutens, multa in ſuæ hæreſis confirmationem addidit.

Vt ſup. p. 12.

Euſebii conteſtatio adverſus Neſtorium.

7. Cum hæc aliaque impune hactenus vulgaſſet Neſtorius, quamplurimi rei indignitate commoti, & verbo, & ſcriptis eum confutare cœperunt; & quod mirum eſt, a laicis pugna incepta, ad monachos deducta eſt, ac ad Presbyteros, & tandem ad Epiſcopos. Omnium primus Neſtorio reſtitit Euſebius cauſarum tunc patronus, deinde ob ſingularem doctrinam, pietatemque Dorilei Epiſcopus ordinatus; hic itaque divino Spiritu incenſus, obteſtationem adverſus Neſtorium publice propoſuit, atque ad Fidei cauſam tuendam Epiſcopos excitavit. Obteſtationis hoc erat initium: *Conjuro accipientem hanc chartam per ſanctam Trinitatem, ut eam palam faciat Epiſcopis, presbyteris, diaconibus, lectoribus, laicis habitantibus CPolim. Inſuper etiam exemplar ejus præbeat ad increpationem Neſtorii, quia ſimilia ſapit anathematizato Paulo Samoſateno ante annos* 160. *ab orthodoxis Epiſcopis; ſunt autem quæ ab utroque dicta ſunt hæc*. His quinque ſubtexuit capitula, in quibus Neſtorius cum Paulo Samoſateno conſentiebat; ac tandem concludit: *Si quis igitur præſumpſerit dicere alium eſſe Filium ante ſecula Unigenitum, qui de Patre natus eſt, & alium ex Maria Virgine natum, non eumdem unum Dominum Jeſum Chriſtum anathema ſit*. Antequam hanc adverſus Neſtorium conteſtationem publice proferret, viva voce in ipſa eccleſia, eumdem impia adverſus Chriſtum loquentem redarguerat: *Cum enim* Neſtorius *in media eccleſia profanis uteretur vocum novitatibus, vir quidam ſane probus, qui adhuc inter laicos erat*, ideſt Euſebius, *ſed tamen admirabilem*

ApudGarner. tom. 2. p. 18.

Cyrill. contradict. adverſ. Neſt. lib. 1. pag. 20. tom. 6.

lem ſibi collegerat eruditionem, ferventi, & religioſo zelo permotus, & contentiori voce inclamitans; ipſum inquit ante ſecula Verbum etiam ſecundam ſubiiſſe generationem, ideſt illam ſecundum carnem, & ex muliere, ait Cyrillus; Euſebii obteſtationem voce primum deinde ſcriptis editam præteriit Baronius, nec ejuſdem in Neſtorianæ hæreſis hiſtoria meminit. Euſebio Marium Mercatorem jungimus, qui etſi laicus eſſet, cum CPoli moraretur adverſus Neſtorium inter primos claſſicum cecinit, cujus extat epiſtola de diſcrimine inter hæreſim Neſtorii, & Pauli Samoſateni, Ebionis, Photini, atque Marcelli, cujus hoc eſt initium: *Samoſateni Pauli, atque Neſtorii eſt iſta non minus impia, quam vana doctrina*.

ApudGarner. pag. 17.

8. Interea laicorum exemplo incitati Presbyteri nonnulli, in eccleſia, quæ *Irene Maritima* dicebatur, pravum Neſtorii dogma inſectati ſunt, quos cum Neſtorius prohibere vellet, ac ſilere juſſiſſet; exaſperata plebs exclamavit: *Imperatorem habemus, Epiſcopum non habemus*; multaque alia adverſus Neſtorium ſubdidit, in mare etiam ſubmerſionem Paſtori in lupum verſo minitans; & fortaſſe perfeciſſet, niſi Magiſtratuum auctoritas, quæ Neſtorio favebat, obſtitiſſet, ut narrat Baſilius diaconus in ſupplicatione Patribus Epheſo congregatis oblata.

Populus CP. in Neſtorium commovetur. *Concil. Epheſ. p. 1. cap. 30. in ſupplic. Baſilii.*

9. Dumque cuncta odiis ferverent, Proclus Cizicenus Epiſcopus, CPoli coram frequentiſſimo populo, ipſoque Neſtorio præſente, in laudem Virginis orationem habuit, qua Neſtorii hæreſim aperte confutavit, inter cetera, Deum ex muliere natum dixit, quæ cum maximo auditorum plauſu excepta ſunt. In die feſto eam orationem habuiſſe Proclum, vel ipſa exordii verba teſtantur, ait enim: *Virginalis hodie ſolemnitas linguam noſtram, fratres, in præconium vocat &c.* Hunc ſermonem aut die 6. Januarii in feſto Theophaniæ, aut die 25. Martii, in feſto Annunciationis habitum fuiſſe ſuſpicatur Garnerius. Quantolibet autem plauſu exceptus eſſet Procli ſermo, Neſtorius tamen, qui extemporaneos ad populum ſermones habere conſueverat, continuo præcipua orationis Procli capita auſus eſt confutare, ac blaſphemiæ arguere, cujus orationis hoc eſt initium *Amatores Chriſti populos &c.*, neque extemporanea oratione contentus, tribus deinde aliis orationibus tres præcipuas Procli ſententias impugnavit; quod ſcilicet Deus ſit paſſus & mortuus; quod Deus ſit

Proclus contra Neſtorium orationem habet.

ApudGarner. pag. 19.

Neſtorius Proclum refellit. *ApudGarner. pag. 26.*

Jesu Chr. An. 429. ApudGarner. pag. 24.

ſit noſter Pontifex; & quod Virgo Theotocon dixerit. In uno præceteris, ſicuti apertius blaſphemavit, ita & adverſariorum ſuorum tela ſe ſpernere apertius dixit: *Contumelias quidem in me hæreticorum arbitror tanquam delirantium machinas, & horum in mare comminatas ſubmerſiones, perturbationum quoque deſideria, & perſecutionum nova, quæ intenduntur molimina, & indigentium negligentiam, quam nobis objiciunt, & aliorum in nos garrulitatis deliramenta, tanquam ranarum ego ſtrepitus rideo &c.* Quo ſermone ſicuti in ceteris, etſi Procli nomini pepercerit; multis tamen eum injuriis, ſuppreſſo nomine, affecit, ac bilem adverſus obtrectatores ſuos omnem evomuit, ut ibidem videre eſt.

Cyrillus Neſtorii ſermones confutat.

10. Inter domeſticos quodammodo parietes incluſa hactenus remanſerat Neſtoriana lues, non tamen diu hiſce ſe limitibus continere potuit; Neſtorius etenim non ſolum tractatum de Incarnatione, ſed homilias hactenus habitas pervulgari curaverat, quæ facile per Orientem, & Ægyptum, quin & Romam uſque delatæ, turbationem æque ac ſcandalum pepererunt, quibus ut obviam iret Cyrillus, ad monachos Ægypti epiſtolam dedit, qua eoſdem, ut a Neſtorii erroribus caverent, admonuit. *Audio*, ajebat inter cetera, *exitiales quoſdam rumores inter vos proſeminatos, & nonnullos oberrare, qui ſinceram veſtram fidem demoliri ſtudeant, & inanium vocularum turbas eructantes, utrum Deiparam appellare liceat Sanctam Virginem in controverſiam vocare audeant.* Ab iis ergo quæſtionibus ut caverent, & ut acceptam a patribus fidem ſervarent, hortatur, ac Mariam Virginem Deiparam appellandam eſſe pluribus probat, ceteroſque Neſtorii errores confutat; in epiſtola vero ad Cæleſtinum Papam, cur ad Monachos ſcribere coactus fuerit, hanc reddit rationem: *Homiliis Neſtorii in Ægyptum perlatis, leves quoſdam homines in errorem abductos, rectene ille ſentiret, & loqueretur, an ſecus, anxie inter ſe diſquirere cognoveram, metuens ne forte morbi contagium in ſimpliciorum mentibus altiores radices paulatim ageret, ad Ægypti monaſteria generalem epiſtolam ſcripſi, nutanteſque in recta fide confirmavi.*

Cyrill. epiſt. 1. tom. 5. p. 1. concil. Epheſ. part. 1. cap. 2.

Cyrill. epiſt. 9. concil. Epheſ. p. 1. cap. 14.

Neſtorius adverſus Cyrillum ſcribit.

11. Cumque exemplaria aliquot epiſtolæ Cyrilli in Regiam urbem delata eſſent, ibique vulgata & lecta, *tanto adjumento fuerunt*, ut ait ad Cæleſtinum Cyrillus, *ut plurimi e Magiſtratu ejus rei cauſa per litteras Cyrillo gratias egerint.*

Epiſt. 9.

Ve-

Verum hoc ipſum Neſtorio quoddam iræ contra Cyrillum ſuſceptæ fomentum ſubminiſtravit; quin immenſum adverſus eum ſuſcepit odium, apertaſque inimicitias, ac Photium quemdam Cyrillo reſpondere juſſit, ipſe vero omnem adverſus eum lapidem movere cœpit, ut aliquo crimine eum infamaret. Cumque in urbe Regia Ægyptii quidam eſſent, propter vitæ infamiam, a Cyrillo excommunicati, eos Neſtorius ad calumniam Cyrillo faciendam impulit, & ut libellos ſibi, & Imperatori darent, hortatus eſt, quibus Cyrillum accuſarent, quaſi res eccleſiæ male adminiſtraſſet, ac contra Imperium, & Magiſtratus ſeditiones foveret, ut videre eſt parte 1. concil. Epheſi cap. 12. & epiſt. 2. Cyrilli ad Neſtorium, & in Apologia Cyrilli ad Theodoſium Imp. De ſcriptis autem eo tempore a Neſtorio adverſus Cyrillum, hæc idem Cyrillus narrat. *Ad Bupham Martyrium diaconum, qui eccleſiaſticorum negotiorum adminiſtrationi præfectus eſt, duas chartulas miſerunt, alteram a Photio, aut alio ejus farinæ nomine contra commentarium, ſeu epiſtolam, quam ad monachos conſcripſeram; alteram forma quaternionis, cum nova plane & abſurda inſcriptione, ad hunc modum: Adverſus eos, qui propter unionem, aut Unigeniti Deitatem imminuunt, aut humanitatem deificant.* Hæc adverſus Cyrilli epiſtolam oppoſuerat Neſtorius; quæ tanquam ad bellum, quod inter eos exarſit, velitationes fuere.

Concil. Eph. part. 1. c. 12.

12. Cum accepiſſet etenim Cyrillus a clericis, qui CPoli ad negotia eccleſiarum Ægypti peragenda morabantur, Neſtorium eouſque infenſo animo eſſe, ob vulgatam ab eo epiſtolam ad monachos datam, ut perdendi eum occaſionem quæreret; ad eum litteras dedit, quibus & objecta purgaret, & motuum cauſas in ipſum refunderet, quin cum Neſtorii ſermones Romam uſque delati fuiſſent, Romani quoque Pontificis querelas ad ſe miſſas expoſuit, atque ut ſcripta ſua corrigeret, hortatus eſt. His vero reſcripſit Neſtorius per Lamponem Presbyterum perbreves quidem epiſtolas, quibus Cyrillum, quod intemperantius adverſum ſe antea ſcripſiſſet, accuſavit. Hinc factum, ut inter duos majorum ſedium Antiſtites, Alexandrinum ſcilicet, & CPolitanum, ea diſſenſio exurgeret, quæ Orbem univerſum commovit, atque in duas fere partes diviſit. Nonnullis etenim Cyrillus ſuſpectus erat, ne eamdem agendi rationem cum Neſtorio iniret, quam avunculus ejus, cujus ipſe ſucceſſor fuerat, cum Chryſoſtomo tenue-

Cyrilli epiſtolæ ad Neſtorium & Neſtonii ad Cyrill.

Cyrill. epiſt. 2. ApudGarner. pag. 42. Pap. 44.

Jesu Chr. an. 429.

nuerat, quem per fraudem & calumniam ſua ſede exturbaverat, quare difficile aliquandiu fuit Orientalibus Epiſcopis, & Theodoſio Imperatori, ceteriſque aulicis ſuadere, zelo fidei eum adverſus Neſtorium pugnare.

Rom. ſynodus in cauſa Neſtorii.

13. Cum Romam uſque (neſcio quo fato) Neſtorii ſermones delati eſſent, atque ad Cæleſtini Papæ manus adveniſſent, ſimulque graviſſimas in Oriente turbas ea de cauſa agitari accepiſſet S. Pontifex, congregata Romæ ſynodo, initoque cum Epiſcopis conſilio, ut de his certior fieret, Cyrillum interpellandum cenſuit. Hujuſce quidem ſynodi Romanæ acta perierunt; at ejuſdem diſerte in ſua prima ad Neſtorium epiſtola meminit Cyrillus his verbis: *Tuam hic namque pietatem appellare compellor, quandoquidem* Cæleſtino *religioſiſſimo Rom. eccleſiæ Epiſcopo jubente ceteriſque piiſſimis, qui ipſi adfuere, ita poſtulantibus, inveſtigare cogor, chartulæ ne illæ, & exegeſes, quæ illuc ad ſe neſcio quomodo perlatæ ſunt, a tua pietate, an vero ab alio quoquam perlatæ ſint.* Ex his itaque patet Cæleſtinum, congregatoſque cum eo Epiſcopos, Cyrillum interrogaſſe, num chartulæ Neſtorii nomine Romæ vulgatæ ejuſdem eſſent. Neſtorius vero, ut Cæleſtini animum, quem in ſe offenſum ex Cyrillo didicerat, ſibi promereretur, ex Pelagianis Epiſcopis CPoli commorantibus accepta occaſione, litteras ad eum dedit; verbis quidem in Cæleſtinum perhonorificis, reipſa vero ad ſollicitandum Pontificem, ſuaſque in partes trahendum accomodatis. Epiſtolæ autem hoc eſt initium: *Fraternas nobis invicem debemus collocutiones*; qua præcipue, quæ exulum Epiſcoporum ſeu Pelagianorum hæreſis, aut culpa eſſet, quave cum iis ratione agendum ſibi eſſet, interrogavit; cumque nullum hactenus accepiſſet reſponſum, alteras eodem de argumento litteras addidit, quarum hoc erat initium: *Sæpe ſcripſi beatitudini tuæ &c.* quibus, ut ſibi, quid agendum eſſet cum Pelagianis Epiſcopis CPoli commorantibus, indicare dignetur, rogat: *Doceri autem volumus, quam de his ſententiam teneamus*; ac per Valerium cubicularium has ſecundas litteras miſit; utramque autem epiſtolam Neſtoriano veneno aſperſerat; quin ut in epiſtola ad Neſtorium data narrat Cæleſtinus, per Antiochum illuſtrem virum libros quoſdam ſeu tractatus ad Cæleſtinum Neſtorius miſerat, tractatum ſcilicet de Incarnatione, & ſermones aliquot contra Arianos, Macedonianos, & Apollina-

Neſtorii epiſt. ad Cæleſtinum Papam.

lin ariſtas, revera tamen contra catholicos, quibus aperte hæreſim ſuam docebat; quare: *Legimus*, ajebat Cæleſtinus, *epiſtolarum tenorem, & eos libros, quos illuſtri viro filio meo Antiocho reddente ſuſcepimus. In his quidem nobis veſtigatus, deprehenſus, & tentatus quodam multiloquio labebaris, dum vera involvis obſcuris, rurſus utraque confundens vel confiteris negata, vel niteris negare confeſſa. Sed in epiſtolis tuis apertam non tam de fide noſtra, quam de te tuliſti ſententiam, volens de Dei Verbo aliter, quam fides habet omnium, diſputare.*

Cæleſtinus Neſtorii libros Caſſiano confutandos mittit. *Caſſian. præf. ad lib. de Incarnat.*

14. His Neſtorii epiſtolis, & libris acceptis Cæleſtinus, re cum Diacono ſuo Leone communicata, ad Caſſianum Leonis amicum Neſtorii ſcripta, non tam ex Græco in Latinum vertenda, quam confutanda miſit; Caſſianus vero opus ſtatim aggreſſus, ſeptem de Incarnatione libros edidit, quibus Neſtorii hæreſim egregie confutavit, ac plurimas Neſtorii ſententias, tum ex epiſtolis ad Cæleſtinum, cum ex tractatibus, ſeu ſermonibus de Incarnatione, & contra Arianos & Macedonianos refert; nomini tamen Neſtorii pepercit, utpote qui adhuc CPolitanam teneret ſedem. Abſolutum vero opus Romam tunc miſit Caſſianus, cum Poſſidonius Alex: eccleſiæ Diaconus, litteras Cyrilli ad Cæleſtinum detulerat; quibus de obſtinata Neſtorii in tuenda hæreſi perfidia certior reddebatur.

Cyrilli ſecunda epiſtola ad Neſtorium, & ad alios.

15. Interim cum a ſuis CP. degentibus, & præſertim a Bupha Martyrio diacono accepiſſet Cyrillus tum exemplar confutationis epiſtolæ ſuæ ad monachos, cum quartum ſermonem adverſus Proclum a Neſtorio habitum, ex ſynodo Alex., quæ ſingulis annis ante Quadrageſimam habebatur, ſecundam ad Neſtorium dedit epiſtolam, quæ inter Cyrillianas quarta eſt, ac his verbis incipit: *Garriunt ſicut audio*, vel alia verſione: *Intelligo quoſdam &c.* eademque epiſtola ſe injuriam ab ejus adulatoribus pati cum Neſtorio queritur, ſermonem vero Neſtorii in Proclum, quaſi aliud agendo confutat. Quia vero audiverat a nonnullis Neſtorii fautoribus de pace tractatum, ac de ineunda inter Antiſtites concordia, haberi, ad Apocriſarios ſuos eodem tempore commonitorium miſit, ut eos doceret, qua ratione cum Neſtorianis pax & concordia ineunda eſſet; quid interrogare, quid interrogati de fide reſpondere

Apud Garner. pag. 45. Cyrill. epiſt. 4. tom. 5.

Jeſu Chr. an 429. ApudGarner. pag. 49. Cyrill. epiſt. 6. & 7.

deberent. Commonitorii hoc eſt initium: *Legi litteras a vobis, quibus didici &c.* eodemque tempore ad alios, qui eum uti diſcordiarum auctorem habebant, litteras dedit, quibus ſe non litigandi libidine ductum cum Neſtorio diſſentire teſtatur, ſed Fidei catholicæ tuendæ cauſa, pro qua uſque ad ultimum ſpiritum ſe certaturum eſſe ſpondet. Ad Clerum etiam CPolitanum, mutuis inter ſe diſſenſionibus prælian tem, alteras dedit epiſtolas, quibus eum admonet maximi momenti quæſtionem eſſe, quam nonnulli leviſſimam putabant, tanquam de una voce Theotocon, atque ut Neſtorii venena caverent, hortatus eſt.

Epiſt. 8.

Cæleſtini epiſt. ad Neſtorium. Coutan. pag. 1115.

16. Ad Neſtorium quoque reſcribens Cæleſtinus anno ſequenti: *Dudum*, inquit, *ſumpſimus epiſtolas tuas, quibus in anguſto nihil potuimus dare reſponſi, erat enim in latinum ſermo vertendus. Quod cum licet ſero facimus, ſancti fratris & coepiſcopi mei Cyrilli probatiſſimi Sacerdotis, per filium meum Poſſidonium Diaconum, talia de te ſcripta ſuſcepimus, quibus his, qui de tua ordinatione retulerant, periiſſe ſuum teſtimonium doleremus &c.* dum ſcilicet catholicæ fidei zelatorem Neſtoſtorium fuiſſe teſtati fuerant, quem nunc hæreticum deprehenderat; quare ut ad ſaniora conſilia rediret etiam, atque etiam hortatur; poſt hanc vero ſuam admonitionem, niſi impia ſcripta retractaverit, ab eccleſiæ ſe communione, omnique gradu dejiciendum, pronunciat: *Itaque*, ſubdit, *quamvis, & jam frater Cyrillus, ſecundis te epiſtolis ſuis aſſerat eſſe conventum, intelligas volo poſt primam & ſecundam illius, & hanc correptionem noſtram, quam conſtat eſſe jam tertiam, ab univerſitate collegii, & conventu chriſtianorum te prorſus eſſe ſejunctum, niſi mox quæ male dicta ſunt corrigantur, &c.* ac poſt aliqua, ſe ulterius ea nequaquam diſſimulaturum fore teſtatur. Mirari deinde ſe ait, quod de Pelagianorum Epiſcoporum depoſitione ſe interrogaverit, quos juſte damnatos, ejuſdem prædeceſſores Atticus & Siſinnius non ignoraverant, ac mirari ſe ſubdit, quod cum originale peccatum ſe credere profiteretur, eos tamen foveret, qui originale peccatum negabant, quos illuc patrocinium inveniſſe noverat: *Invenerunt enim*, inquit, *impiam prædicationem, cujus comparatione ſe exiſtiment innocentes*; tandem has litteras ſe Cyrillo direxiſſe admonet, ut per eum ei traderentur, quibus iterum denun-

nunciat, quod niſi infra decem dies, errores retractaverit, CPolitana ſede, & communione Eccleſiæ deiiciendus eſſet: *Aperte hanc noſtram ſcias ſententiam, ut niſi de Deo Chriſto noſtro ea prædices, quæ & Romana & Alexandrina & univerſalis Eccleſia catholica tenet, ſicut & ſacroſancta Conſtantinopolitanæ urbis eccleſia ad te uſque optime tenuit, & hanc perfidam novitatem, quæ hoc, quod venerabilis Scriptura conjungit, nititur ſeparare, intra decimum diem a primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandum, aperta & ſcripta confeſſione damnaveris, ab univerſalis te Eccleſiæ catholicæ communione dejectum. Quam formam ad te noſtri judicii per memoratum filium meum Poſſidonium diaconum cum omnibus chartis ad ſanctum conſacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ urbis Antiſtitem, qui ad nos ſuper hoc ipſo plenius retulit, deſtinavimus, ut agat vice noſtra, quatenus ſtatutum noſtrum vel tibi vel univerſis fratribus innoteſcat: quia omnes debent noſſe quod agitur, quoties omnium cauſa tractatur. Et alia manu, Deus te cuſtodiat incolumem, Frater cariſſime. Data III. Idus Auguſti Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Auguſtis conſ. Aug. Coſſ.* ideſt anno ſequenti. Alteram eodem tempore ad Clerum & populum CPolitanum epiſtolam dedit, qua ut in doctrina a majoribus ſibi tradita perſeverarent, & ut a Neſtorii impietate caverent, hortatur, ac vices ſuas Cyrillo ſe commiſiſſe, ac in Neſtorium, niſi reſipiſceret, ſe ſententiam jam pronunciaſſe admonet; inſcripta vero eſt presbyteris, diaconibus, clericis, Dei ſervis, & catholico populo CPoli degentibus, ut apud Coutantium videre eſt, quarum quis fuerit exitus, anno ſequenti dicendum erit.

Jesu Chr. an. 429. *Coutan. pag.* 1130.

17. Hoc etiam intermedio tempore, quo Cyrillum inter & Neſtorium datæ acceptæque hæc epiſtolæ fuerunt, timens Cyrillus, ne blandis ſermonibus, & litteris ſuis Neſtoſtorius Cæleſtino illuderet, ut tanto periculo obviam iret, datis ad S. Pontificem epiſtolis, de geſtis hactenus cum Neſtorio certiorem reddidit, atque ſe ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine hujuſmodi quæſtiones ad Romanam ſedem deferendi excitatum fuiſſe, teſtatur. Deinde quæ fuerint Neſtorii primordia, quive in impietate progreſſus, pluribus exponit, ac quæ hactenus cum eo, aut adverſus eum egerat, narrat. Cæleſtinus vero iis acceptis, & ſupra recenſitas ad Neſtorium de-

Cyrilli epiſt. ad Cæleſtinum Papam.

Cyrill. epiſt. 9.

Cæleſtini epiſt. ad Cyrillum.

Jesu Chr. An. 429.

dedit, & ad Cyrillum reſcribens, non ſolum de integra Cyrilli fide, deque ejuſdem ſervandæ zelo gratulatur, ſed etiam quid cum Neſtorio agere deberet, admonet; atque ut vices ſuas cum eo ageret, quem niſi intra dies decem, ex quo hæc eidem intimata fuerint, reſipuerit, ac errorem ſuum retractaverit, excommunicandum, omnique dignitate, & honore privandum eſſe denunciet. Eademque ſe Joanni Antiocheno, Ruffo Theſſalonicenſi, Juvenali Hieroſolymitano, aliiſque Epiſcopis ſignificaſſe narrat; tertio autem idus Auguſti Theodoſio 13. & Valentiniano 3. Coſſ. datæ ſunt anno 430.

Cyrilli libri de recta fide ad Theodoſium Imp. & ad Pulcheriam. *Cyril. op. tom. 5. part. 1.*

18. Eadem ratione, cum Neſtorium in maxima adhuc æſtimatione apud Imperatorem, aulæque Principes eſſe sciret Cyrillus, ne diutius ſub ovina pelle cum maximo catholicæ Fidei detrimento lupus, & ſycophanta incautos falleret, duos de recta fide libros edidit, quorum primum Theodoſio Imp., alterum Pulcheriæ Auguſtæ inſcripſit, in quibus quæ catholicæ Eccleſiæ de Verbi incarnatione eſſet doctrina dilucide exponit, ac ſanctorum Patrum auctoritate confirmat, ut ibidem videre eſt. Dum hæ quæſtiones Cyrillum inter & Neſtorium ferverent, atque adhuc varia eſſet tum cleri cum populi CPolitani de Neſtorio ſententia, ac verbo tantum a Cyrillo diſſentire plerique autumarent; dum hæc inquam CP. agitarentur, Marius Mercator Commonitorium adverſus Julianum, & Cæleſtium, ceteroſque Pelagianos, Theodoſio Imp. obtulit, eodemque tempore ceteris ſive de clero, curia & aula commune fecit, in quo hujuſcemodi hominum cauſam ita expoſuit, ut quos amicitia ſua Neſtorius foveret, cunctis innoteſcerent. Eo in Commonitorio totam Pelagianorum hiſtoriam retractans Mercator effecit, ut Julianus & Cæleſtius tanquam impiæ hæreſis ubique in Occidente damnatæ fautores, ex urbe Regia Imperiali edicto expellerentur, & ut in Epheſina quoque ſynodo jam cogniti condemnarentur, ut ſuo loco adnotaturi ſumus.

Marius Mercator commonitorium Theodoſio offert adverſus Pelagianos.

Theodoſii lex de tributo Judæorum Patriarchis ſublato. *Cod. Theod. leg. 29. de Judæis.*

19. Hoc etiam anno Kal. Junii legem 29. de Judæis Theodoſius vulgavit, qua aurum a Judæis toto orbe diſperſis, ipſorum Patriarchis, ſeu Primatibus præſtari ſolitum, ærario ſuo ſeu fiſco ſolvendum eſſe impoſterum juſſit; ac una cum tributo Patriarcharum, & Primatuum dignitas, eodem Theodoſio

doſio Imperante, deſiit, ut pluribus ad dictam Theodoſii legem a Gothofredo adnotatum eſt, ubi de eodem tributo, deque Patriarchali, aut Primatiali apud Judæos dignitate, plura, ſi lubet, videri poſſunt.

JESU CHR. AN. 430.

JESU CHRISTI AN. 430. CÆLESTINI PAPÆ 9.
THEODOSII JUN. IMP. 29. ET 23.
VALENTINIANI III. IMP. 6.
COSS. THEODOSIO AUG. XIII. ET VALENTINIANO AUG. III.

Vandali Hipponem iterum obſident.

1. Cum Africanas provincias direptionibus, cœdibuſque a Vandalis vaſtari, ac Hipponem ab iis iterum obſideri cerneret Auguſtinus, eique excidium inſtare prævideret, non tam annis, aut laboribus fractus, quam mœrore confectus, hoc anno obiit, videbat quippe, ut narrat Poſſidius, civitates cum ædificiis exciſas, habitatores hoſtili manu necatos, aut diſperſos, eccleſias Sacerdotibus ac miniſtris deſtitutas, Virgines ſacras, aut gladio peremptas, aut perdita integritate ſub duro Vandalorum jugo deſervire; eccleſias etiam undique, aut deſtructas, aut igne abſumptas, ita ut ſacramenta divina vix peragerentur, aut ſupereſſet qui adminiſtraret. Hæc, inquam, non ſine maximo animi mœrore cernens Auguſtinus, factum eſt, ut Hipponem Vandali undique obſiderent: *Quare urbem*, ut narrat Poſſidius, *ferme quatuordecim menſibus concluſam obſiderunt, nam & littus illi marinum intercluſione abſtulerunt. Quo etiam ipſi nos de vicino cum aliis noſtris Coepiſcopis confugeramus, in eademque omni ejus obſidionis tempore fuimus*, ait Poſſidius.

Procop. de bello Vandal. lib. 1. cap. 3.

Auguſtini obitus.

2. Tantam Africæ vaſtitatem cernens Auguſtinus, diu noctuque flebat, Deumque precabatur, ut in tanta tribulatione poſitos ſublevaret. In quam rem, cum ad menſam quadam die cum Poſſidio eſſet, ei dixit: *Noveritis me hoc tempore noſtræ calamitatis id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hoſtibus circumdatam liberare dignetur, aut ſi aliud ei videtur, ſuos ſervos ad perferendam ſuam voluntatem fortes faciat, aut certe ut me de hoc ſeculo ad ſe accipiat*. Votis ejus Deus adfuit, nam tertio obſidionis menſe febre correptus, poſt dies aliquot obiit quinto Kal. Septemb. ut narrat Proſper in chronico, atque ita: *Illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes*

Jesu Chr. an. 430. *Victor. hiſt. perſecut. Vandal. lib. 1. n. 3. Poſſid. cap. 31.*

nes campos eccleſiæ decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen; ait victor Vitenſis, cum vixiſſet annos 76. quorum quadraginta in clericatu, ſeu Epiſcopatu tranſegerat; cujus ſanctitatem miraculis etiam Deus teſtatam voluit, nam ut Poſſidius adnotat: *Novi quoque, eumdem & Presbyterum, & Epiſcopum pro quibuſdam energumenis patientibus ut oraret rogatum, eumque in orationem lacrymas fundentem Deum rogaſſe, & dæmones ab hominibus receſſiſſe. Itemque ad ægrotantem, & lecto vacantem quemdam cum ſuo ægroto veniſſe, & rogaviſſe ut eidem manum imponeret, quo ſanus eſſe poſſet: eumque reſpondiſſe, ſi aliquid in his poſſet, ſibi hoc utique primitus præſtitiſſet: & illum dixiſſe viſitatum ſe fuiſſe, ſibique per ſomnium dictum eſſe: Vade ad Auguſtinum epiſcopum, ut eidem manum imponat, & ſalvus erit. Quod dum comperiſſet, facere non diſtulit, & illum infirmum continuo Dominus ſanum ab eodem diſcedere fecit.*

Sanitates Auguſtini precibus factæ. *Cap. 29. tom. 10. part. 2. pag. 279.*

Qualiter ad obitum ſe Auguſtinus præparaverit.

3. Quibus autem pietatis officiis ſe ſe Auguſtinus eo tempore exercuerit, longa oratione Poſſidius exponit. Cum autem dicere ſoleret, etiam laudabilis vitæ chriſtianos, aut Sacerdotes abſque digna & competenti pænitentia exire de corpore neminem debere, in ultima, qua defunctus eſt, infirmitate Pſalmos davidicos, qui ſunt de pœnitentia, ſcribi juſſerat; eoſque jacens in lecto contra parietem poſitos diebus ſuæ infirmitatis legebat, & jugiter ac ubertim flebat. *Et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, a nobis poſtulavit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi iis tantum horis quibus medici ad eum inſpiciendum intrarent, vel cum ejus inferretur refectio. Et ita obſervatum, factumque eſt*, uſque dum obdormiret in Domino. *Et nobis coram poſitis, pro ejus commendanda corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt.* Vides Eccleſiæ morem, pro defunctorum requie & pace obtinenda incruentam offerri hoſtiam. Ejus memoria eodem, quo obiit, die quinto Kal. Septemb. Martyrologio Rom. recolitur.

Auguſtinus nullum teſtamentum fecit.

4. Quod teſtamentum non fecerit Auguſtinus, hanc rationem reddidit Poſſidius: *Quia unde faceret, pauper Chriſti non habuit, præter bibliothecam.* Quidquid vero poſſidebat eccleſia, fidelis presbyter, qui ſub eodem tecto vivebat, adminiſtrabat; conſanguineis vero ſuis ea tantum, quæ ad victum

ctum neceſſaria erant, præſtitit, ait Poſſidius, individuus per annos quadraginta ferme vitæ ejus ſocius, & teſtis, qui etiam Auguſtini opuſculorum indiculum texuit. Ac miraculo plane factum videtur, ut in tanta vaſtitate, cum anno ſequenti Hipponenſis civitas a furentibus Vandalis, iiſdemque Arianis concremata eſt, Auguſtini bibliotheca illæſa permanſerit. Quis enim conſiderans ferociſſimos Barbaros longa præpeditos obſidione redditos ſæviores, reputanſque ſecum, eoſdem perfidos fuiſſe Arianos, non miraculo ducet, quod Vandali pepercerint Auguſtini ſcriptis, quorum plurimis Arianorum hæreſim confutaverat?

Auguſtinus ad Epheſinam ſynodum a Theodoſio invitatus.

5. Ad Auguſtinum revertimur, cujus obitum anno 429. conſignavit Marcellinus in chronico; Proſperi tamen teſtimonium præferendum eſſe, atque labenti anno ſanctum virum obiiſſe, inde etiam probari poteſt, quod cum Theodoſius junior, ad Neſtorianam ſopiendam hæreſim, œcumenicam ſynodum congregari juſſiſſet, atque ea de cauſa ad omnes Metropolitanos epiſtolas dediſſet, ut Epheſum anno ſequenti conveniret: *Scripſit & Beato Auguſtino per Ebagnium Magiſtrianum, ut ipſi concilio præſtaret ſuam præſentiam*. At Ebagnius veniens Carthaginem, a Capreolo urbis ipſius Antiſtite, Auguſtinum ex hac vita migraſſe didicit. Imperatoris epiſtolæ ad Metropolitanos datæ 13. Kal. Decemb. labentis anni 430. ſignatæ ſunt, cum nondum CPoli Auguſtini ad Deum tranſitus nunciatus eſſet; quod ſane non accidiſſet, ſi quinto Kal. Septemb. anni 429. ſanctus vir occubuiſſet. Illud etiam in Auguſtini laudem cedit, quod in Imperatorum litteris per Joannem ſacrorum comitem ad ſynodum miſſis, anno ſequenti datis, Auguſtini nomen ante Metropolitanos plurimos recenſeatur; ac poſt Cæleſtinum Papam, & Rufum Theſſalonicenſem epiſcopum inſcribatur hoc ordine; *Cæleſtino, Rufo, Auguſtino &c.* Exemplar epiſtolæ ad Auguſtinum tunc datæ proferunt Auguſtiniani ſcriptores, datæ IV. idus Aug. Baſſo & Antiocho Coſſ. anno ſequenti; eam tamen apocrypham eſſe, Noriſius multis probat argumentis, ut ibidem videre eſt.

Liberat. brev. cap. 5. pag.

Concil. Epheſ. part. 1. cap. 32. Labb. to. 3. pag. 240.

Apud Labb. tom. 3. p. 530.

Pag. 722. Tom. 2. op. ad pag. 1483. edit. veron.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 9.

Auguſtini epitaphium ex Sancto Proſpero.

6. Quæ & quanta ſcripſerit Auguſtinus Poſſidii indiculus exhibet. Hoc unum hoc loco adnotare juvabit, iiſdem armis, quibus Manichæos, Donatiſtas, Arianos, Pelagianos ceteraſque hæreticorum phalanges confixit, iiſdem inquimus, & ſe-

quen-

Jesu Chr. an. 430.

quentium ſeculorum hæreticos profligavit, ut non immerito de eodem S. Proſper Carmine de ingratis hæc cecinerit, quæ epitaphii loco exſcribuntur:

Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia cornu
Uberiore rigans, noſtro lumen dedit ævo,
Accenſum vero de lumine. Nam cibus illi,
Et vita, & requies Deus eſt, omniſque voluptas
Unus amor Chriſti eſt: unus Chriſti eſt honor illi.
Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in ſancto regnat ſapientia templo:
Iſtius ergo inter cunctos, qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria major,
Majus opus, totum præſtantius imbuit Orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hoſtis
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occurſu eſt præventus, mille viarum
Inſidiis aditum non reperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum excluſa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere poſſet,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Iſtius ore viri fecit Deus: iſtius ore
Flumina librorum Mundum effluxere per omnem,
Quo mites humileſque bibant, campiſque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Auguſtini memoria poſt obitum celeberrima.

7. Tantus autem ob Auguſtini obitum Hippone luctus fuit, ut quæ tunc a Vandalis obſeſſa tenebatur, jam tunc capta direptaque videretur, quam S. Præſulis precibus munitam hactenus invictam ſtetiſſe cenſebant; ejuſque nomen una cum Reſtituto Carthaginenſi Epiſcopo die 29. inſertum fuit in vetuſtiſſimo Africanæ eccleſiæ Calendario hoc eodem deſinente ſeculo, vel ſexti initio vulgato, quem etiam uti Sanctum interpellat Villemus Abbas in Miſſæ canone, ut quem *omni honore & gloria in conſpectu tuo mirifice ſublimatum* fuiſſe ſciebat, magis glorificaretur, optabat, & exorabat. Ad Auguſtini quoque gloriam declarandam ſpectant translationes ejus corporis primo in Sardiniam, deinde Ticinum. In Sardiniam inſulam ſacra *lypſama* una ſecum detuliſſe Africanos Epi-

Epiſcopos, cum illuc a Traſamundo Vandalorum Rege anno 506. in exilium miſſi ſunt, dubitari vix poteſt. Inde vero poſt annum 712., vel circa annum 721. Luitprandi Longobardorum Regis opera, Ticinum translatæ ſunt tanti Viri reliquiæ, ut auctor eſt Valfridus in hiſtoria Longobardorum lib. 6. cap. 48. *Luitprandus audiens, quod Seraceni, depopulata Sardinia, etiam loca illa, ubi oſſa Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem Barbarorum olim translata, & honorifice fuerant condita, fœdarent, miſit eo, & dato magno pretio accepit, & transtulit ea in urbem Ticinenſem, ibique cum debito tanto Patri honore condidit*, in eccleſia s. Petri, quæ ad Cœlum aureum dicebatur, recunditæ. At quo loco nunc extent curioſius inquirere, aut hiſce quæſtionibus diutius immorari inſtituti noſtri ratio non patitur; ab antiquis etenim temporibus inter Canonicos Regulares, & Auguſtinienſes Eremitas, quibus S. Petri eccleſia Ticinenſis communis eſt, diu acriterque diſputatur, quis eorum tam ingenti theſauro potiatur; quare ad eos, & ad ſcriptores rerum Ticinenſium lectores curioſos delegamus: nobis hæc die ejus nomini ſacra ſcribentibus ſat erit humillimis precibus Sanctum Doctorem rogare, ut interceſſione ſua a Deo Patre luminum nobis charitatis incrementum impetret; qua illuminati & inflammati, Deum ſuper omnia diligentes, nos noſtraque in ejus gloriam, proximorumque ſalutem referamus, ut tandem cum ipſo æternæ gloriæ participes fieri mereamur.

Bar. not. in Martyr. Ro. die 28. Aug. Mabill. Itin. Ital. pag. 221. & ſecul. 3. Bened. p. 1. pag. 437. Montfoc. Diarial. pag. 26.

Mabill. Itin. Ital. pag. 221. Burnard. Scaccus hiſt. Ticin. lib. 10. Fontanini de corpore S. Auguſt., & iterum Italice: Raggioni per identita del corpo di S. Agoſt. Romæ 1728.

De Alypii Tagaſtenſis obitu.

8. Non diu poſt Auguſtinum ſuperſtites fuerunt, tum Alypius individuus vitæ Auguſtini comes, Epiſcopus Tagaſtenſis, cum Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, totius Africæ Primas; annus tamen quo obierunt in obſcuro eſt, cum omnia poſt Auguſtini tranſitum vaſtaverint in Africa Vandali. Quæ fuerit Auguſtinum inter & Alypium a teneris unguiculis uſque ad obitum amicitia, libri Confeſſionum Auguſtini, totiuſque ejuſdem vitæ ſeries teſtantur, ita ut non ſolum concivis & condiſcipulus Auguſtino fuerit, ſed cum Auguſtino Manichæis adhærens cum ipſo erraverit, cum ipſo Mediolano reſipuerit, ſacriſque undis lotus ſit, ac cum eodem in Africam rediens, Tagaſte primum, deinde Hippone monachus vixerit, & Epiſcopus ordinatus laborum omnium ſocius Auguſtino fuit: non ſolum frequentibus legationibus ad Rom. Pontificem, ad Honorium Imperatorem pro Eccleſia ſuſceptis cla-

Auguſt. Confeſſ. lib. 6. 8. 9. 8. 8.

JESU CHR. AN. 430.

rus, ſed ſanctiſſimis viris Hieronymo, Paulino, Innocentio, Sixto Pontificibus, ceteriſque Auguſtini amicis cariſſimus, de quo Martyrologium Romanum die 15. Auguſti hæc habet: *Tagaſte in Africa S. Alypii Epiſcopi, qui B. Auguſtini olim diſcipulus, poſtea in converſione ſocius, in munere paſtorali collega, & in certaminibus adverſus hæreticos commilito ſtrenuus, ac demum in cæleſti gloria ſocius fuit.*

Aurelii Carthag. Epiſc. obitus. *Labb. tom. 3. pag. 530.*

9. Alypio Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, totiuſque Africæ Primatem addimus, quem annum proximum non exceſſiſſe ſcimus, ex epiſtola Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi, & Aurelii ſucceſſoris ad Epheſinam ſynodum, qua narrat, Ebagnium a Theodoſio Imp. in Africam ad Auguſtinum miſſum ſe in ejus locum jam ordinatum inveniſſe. Quanti autem Aurelius Auguſtinum coluerit, & viciſſim quanti Aurelium Auguſtinus haberet, tractatus ad eum inſcripti indicant; cum vero accepiſſet Auguſtinum Tagaſte & Hippone monaſteria ædificaſſe, Auguſtini diſcipulos Carthaginem deduxit, eoſque ut monaſterium ædificarent rogavit, quibus agrum donavit; unde Auguſtinus: *Agrum, fratribus datum proviſione, & liberalitate tua dicimus*. Præcipue vero ob Pelagianam hæreſim duabus ſynodis Carthagine habitis confutatam & damnatam, inclaruit Aurelius, de quo Proſper Carmine ſuo de ingratis:

Auguſt. epiſt. 22.

Annalium in finem potuit procedere ſanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Auguſtinus erat &c.

Is annis quadraginta fere Carthaginenſi eccleſiæ præfuit, ac multis ſynodis habitis, debellatis Donatiſtis, Pelagianis, Ethnicorum vero templis in chriſtianæ Religionis uſum converſis, doctrina ac ſanctitate celebris, eodem anno, quo Auguſtinus obiit, & ipſe vivere deſiit.

Neſtorius catholicos Manichæiſmi inſimulat, ac damnat.

10. Cum preſſius tum Cæleſtini Papæ auctoritate, cum Cyrilli epiſtolis Neſtorius premeretur, ut vicem Cæleſtino, & Cyrillo redderet, coacto CPoli concilio, (Pelagianis ut par eſt credere impellentibus) catholicos, qui adverſus Pelagianos hactenus certaverant, tanquam Manichæorum labe infectos condemnavit, ac anathemate perculſit, ut in epiſtola ad Cyrillum ſecunda his verbis teſtatur: *Interim a clericis, qui ejuſdem tecum ſunt ſententiæ, quique hoc loco, quod Mani-*

nichæorum hæreſi infecti eſſent, a ſacra ſynodo exauctorati fuerunt, deluſum te ſcias; cujus verba ita interpretatus eſt Marius Mercator: *Scito autem ſeductum te ab iis, qui a ſancto concilio depoſiti ſunt, propterea quod morbo Manichæorum eſſent repleti, aut quod potiſſimum eſt a clericis affectionis tuæ*, ideſt partium tuarum. Ex his porro hoc unum conſtat, Neſtorium ſub prætextu impietatis Manichæorum, Cyrillum, ceteroſque, qui Pelagianis adverſati hactenus fuerant, exauctoraſſe, ac anathemati perculiſſe: qua ſententia Cæleſtinum etiam Pontificem, ceteroſque occidentales Epiſcopos, qui ſententiæ adverſus Pelagianos ſubſcripſerant, comprehendiſſe non eſt dubitandum. Nec novum videri debet, Manichæiſmi labe a Pelagianis inſimulatos fuiſſe Catholicos, nam id familiare fuiſſe tota Pelagianorum hiſtoria, & Juliani opera demonſtrant. Hæc in Pelagianorum gratiam in Pſeudo-Epheſina Orientalium ſynodo ſtatuta fuiſſe, poſt Baronium eruditorum plurimi tradiderunt, & ſane id ſancti Gregorii verba ſuadent, dum ait: *Illa enim ſynodus, quæ ſub primum Epheſinæ imagine facta eſt, quædam in ſe oblata capitula aſſerit approbata, quæ ſunt Cæleſtii atque Pelagii prædicamenta.* Pelagianum vero canonem hunc probatum tunc fuiſſe, idem Gregorius ad Eulogium ſcribens, teſtatur: *De Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur, etſi quis hoc dixiſſet, anathema eſſet*; quæ purum putumque Pelagianorum dogma erat. At falſo hæc, quæ Neſtorius in privata ſua ſynodo hoc anno CPoli geſſit, Orientalium ſynodo adſcribi, Noriſius & Garnerius probant, atque a Pelagianorum placitis longe alienos fuiſſe Orientales, certum eſt, quod etiam Gregorii verba, ſi attentius perpendantur, ſuadere videntur: cum etenim eum canonem, tanquam Epheſinæ ſynodi primæ, ſeu a Joanne Antiocheno habitæ, in Pelagianorum gratiam editum recitaſſet, hæc in citata Epheſina ſynodo ſe nequaquam invenire potuiſſe teſtatur; etſi Ravennatenſem antiquiſſimum codicem ea de cauſa conſulendum cenſuiſſet, de quibus iterum anno ſequenti, cum de Epheſina ſynodo ſermo fiet.

Jesu Chr. an. 430.

Bar. an. 431 n. 78.

Gregor. lib. 7 epiſt. 47.

Lib. 6. epiſt 31.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 9.

Garner. Præf. in Mar. pag. 15.

Lib. 6. epiſt. 31.

11. Ut Cyrilli, & Neſtorii epiſtolas accepit Cæleſtinus Pontifex, vices ſuas Cyrillo delegaverat, ut adverſus Neſtorium ageret, ſententiamque depoſitionis intimaret, niſi intra decem dies, revocato errore, confeſſioni fidei ſubſcriberet; eo-

Synodus Ro: adverſus Neſtorium.

Jesu Chr. An. 430.

demque tempore, perque eumdem Poſſidonium Diaconum, & Cyrilli legatum, alias ad clerum CP. ad Joannem Antiochenum, ad Ruffum Theſſalonicenſem, ad Juvenalem Hieroſolymitanum, & ad Flavianum Philippenſem Epiſcopum, epiſtolas dederat Cæleſtinus, eoſdem admonens, ſe Cyrillo vices ſuas commiſiſſe, ut eadem cum eo ſentirent, atque adverſus Neſtorium pugnarent, etiam enixeque hortatur; hæc autem in Romana ſynodo Cæleſtinum geſſiſſe, ejuſdem Rom. ſynodi fragmentum abunde probat. Nam in ſynodo contra Neſtorium hoc anno habita hæc inter cetera Cæleſtinus Papa dixit adverſus Neſtorium: *Recordor Beatæ memoriæ Ambroſium in die Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti omnem populum feciſſe una voce Deo canere: Veni Redemptor gentium, oſtende partum Virginis: miretur omne ſeculum: talis decet partus Deum*: Numquid: dixit *Talis partus decet hominem?* Ergo ſenſus fratris noſtri Cyrilli in hoc, quod dicit *Teotocon* Mariam, valde concordat: *Talis decet partus Deum*; Deum *partu ſuo virgo effudit ipſo potente, qui omnipotentia plenus eſt*; idemque Hilarii Pictavienſis auctoritate confirmavit, dum in epiſtola ad Conſtantium Imperatorem diſerte, nec ſemel Dei Filium hominem factum fuiſſe teſtatus eſt. Demum præceſſor *meus Damaſus*, ſubdidit Cæleſtinus, *ſcribens ad Paulinum Antiochenum ac eccleſiæ Epiſcopum, inter cetera* ait: *Anathematizamus eos, qui duos filios Dei aſſerunt, alterum qui ex Patre ante ſecula eſt genitus, & alterum, qui ex aſſumptione carnis natus eſt ex Virgine*; & iterum ex eodem Damaſo ad eumdem Paulinum: *Anathematizamus eos, qui duos in Salvatore filios confitentur, alium ante Incarnationem, & alium poſt aſſumptionem carnis ex Virgine, & non eumdem Dei filium & ante & poſtea ipſum eſſe Chriſtum Dominum Dei filium, qui natus eſt ex virgine, confitentur*. Ad hunc Cæleſtini locum reſpexit Arnobius, dum hæc libro ſecundo de conflictu cum Serapione præfatur: *Sanctus Cæleſtinus ita* encomiaſtes ejus, ideſt Cyrilli, *extitit, ut in Neſtorii damnatione dictaſſet ſententiam, laudem vero Cyrilli & in conſpectu Dei & omnium prædicaſſet, aſſerens ſenſum ejus præclarorum noſtræ provinciæ Epiſcoporum prædicatione roborari, & Damaſi, Ambroſii, Hilarii* hunc fuiſſe ſermonem, ait enim in *ipſo concilio* (Cæleſtinus) *Recordor &c.* ut ſupra.

Coutan. pag. 1097.

Biblioth. PP. tom. 8. pag. 222.

Synodus Alex. adverſus Neſtorium.

12. Cæleſtini epiſtolæ per Poſſidonium Alex. Diaconum in

in Orientem delatæ ad Cyrillum, & ad reliquos præcipuarum ſedium Epiſcopos, magnos ibidem tumultus excitarunt; cum in varias adhuc de Neſtorii ſententia opiniones diviſi eſſent Orientales Epiſcopi, quorum plurimi infenſo in Cyrillum animo erant, quaſi abſque cauſa tantum adverſus Neſtorium bellum ſuſcepiſſet. Cyrillus interim, ut muneri ſuo ſatisfaceret, ex univerſa Ægypto ſynodum Alex. congregavit, ex qua ſynodicam Neſtorio miſit, una cum fidei confeſſione, duodecim anathematiſmis, & denunciatione ſententiæ in eum a Cæleſtino Pontifice lata, cujus hoc eſt initium: *Dicente Salvatore noſtro &c.* Epiſcopi autem quatuor, ideſt Theopemptus Cabaſorum, Daniel Darnienſium, Potamion, & Macarius, a ſynodo miſſi ſunt, ut ſynodicam unacum Cæleſtini epiſtola ad Neſtorium ferrent, atque una cum ſynodica epiſtola duæ aliæ a Cyrillo datæ ſunt, ad Clerum nempe CP., & ad Archimandritas, quibus eos de hactenus geſtis monebat, atque ad tuendam fidem excitabat.

Concil. Epheſ. part. 1. cap. 36.
Garnerius diſſert. 2. de ſynod. in cauſa Neſtorii habitis pag. 338.

13. Eodemque fere tempore ad Joannem Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymorum, & Acacium Berœnſem Epiſcopum, quem impenſe Neſtorio favere ſciebat, litteras Cyrillus dederat, quibus eos de Neſtorii obſtinatione in tuenda hæreſi certiores fecit, eoſque ut ab ejuſdem blaſphemiis, fraudibuſque caverent, admonuit. Joannes vero Antiochenus, acceptis Cyrilli, & Cæleſtini epiſtolis, rem cum Epiſcopis ſex qui tunc Antiochiæ erant communicavit, ac ad Neſtorium miſit, ſimulque hortatus eſt, ut impendentem capiti ſuo tempeſtatem, eccleſiæque offenſionem averteret, & ut Virginem Mariam Theotocon fateretur hortatus eſt. Quid hiſce monitis reſponderit Neſtorius, ignoratur; in perfidia tamen eum perſtitiſſe exitus demonſtravit. Acacius vero Cyrilli epiſtolis ita reſpondit, ut etſi Cyrilli in tuenda fide zelum laudare videretur, Neſtorium tamen excuſaverit, quaſi imprudenti verbum excidiſſet, cujus cauſa vehementius, quam ratio poſtularet, rem Cyrillus urgeret; quare utroſque, quaſi de inani quæſtione & vocula diſputarent, reprehendit, atque in Neſtorii partem magis ſe inclinare non diſſimulavit.

Cyrilli epiſtolæ ad Joannem Antioch. & ad Juvenalem Hieroſolym. Epiſc. & ad alios.

Concil. Epheſ. part. 1. cap. 25.

14. Neſtorius interea, antequam CPolim pervenirent ſynodi Alexandrinæ legati, a Joanne Antiocheno acceptis Cæleſtini, & Cyrilli epiſtolis, ut impendentem capiti ſuo excommunicationis ſententiam a Cæleſtino latam averteret, aut ſuſpen-

Neſtorius ſynodum œcumenicam celebrari poſtulat.

Jesu Chr. an. 430.

ſuſpenderet, vocatis in conſilium amicis, aut adulatoribus, adverſus Cyrillum excitatam in Eccleſia tempeſtatem convertere conatus eſt, eumque apud Theodoſium Imp. tum impietatis in Deum, cum perduellionis, ac turbatæ Eccleſiæ reum accuſavit; quare ut generale concilium congregaretur, poſtulavit, in quo de diſſidiis in Eccleſia a Cyrillo excitatis, deque ejuſdem geſtis ageretur; hac etenim ratione ſperabat, Comitum potentia, & Epiſcoporum, qui cum Joanne Antiocheno conſentiebant, multitudine, ſe Cyrillum cum Epiſcopis Ægyptiis ſuperare poſſe, atque Apoſtolicæ excommunicationis in ſe latam ſententiam ſuſpendere aut declinare: *Cognoſcens itaque Neſtorius, quod Cyrillus non pateretur Eccleſiam ſic eſſe in perturbationibus, & populos in ſcandalo, ſubripuit pio Principi Theodoſio, ut ſacram ad eum dirigeret, & a ſua eum perſecutione compeſceret*, ait Liberatus; ſynodum tamen Cyrillum æque ac ceteros Epiſcopos ab Imperatore Theodoſio poſtulaſſe Evagrius, aliique narrant, quod etiam libellus a Baſilio Diacono & Archimandrita a Thalaſſio lectore, monachiſque plurimis Principi oblatus innuit, quo de injuriis, deque catenis, carceribus, plagiſque Neſtorii juſſu acceptis conqueruntur, ac ut in dicta ſynodo fidei integritati conſulere velit, etiam atque etiam rogant: *Veſtra proinde majeſtas efficiet, ut ſacra & œcumenica ſynodus primo quoque tempore hac coeat. Illud etiam petimus, ne quidquam deinceps in quemquam illi*, ideſt Neſtorio, *liceat, niſi primum orthodoxa fides enucleetur*.

Liberat. breviar. cap. 4.

Evagr. lib. 1. cap. 3.

Concil. Eph. part. 1. c. 30.

Synodus a Theodoſio indicitur.

15. Theodoſius itaque, ut turbatis Eccleſiæ rebus remedium afferret, concilium generale indixit, atque ad præcipuarum ſedium Antiſtites litteras dedit, quibus eos ad diem Pentecoſtes ſequentis anni Epheſum vocavit. Imperiale reſcriptum Cæleſtino Rom. Pontifici, Ruſo Theſſalonicenſi, Cyrillo Alex., Joanni Antiocheno, Juvenali Hieroſolymitano, & Capreolo Carthaginenſi inſcriptum erat, quin Auguſtini fama motus, miſſo in Africam Ebagnio Magiſtriano, eum quoque ad ſynodum datis epiſtolis invitaverat; at antequam illuc Ebagnius appuliſſet, ultimum obierat diem Auguſtinus; ſed nec Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus, totiuſque Africæ Primas ſynodo adeſſe potuit, propter Vandalorum incurſiones, ac Beſſalam diaconum ſuum legatum Epheſum miſit, ut ait Liberatus. Imperialia autem reſcripta decimotertio Kal. Decembris

Liberati breviar. cap. 5.

bris data ſunt, Theodoſio XIII. & Valentiniano III. AA. Coſſ. ideſt hoc anno. Inter cetera autem ad Epiſcopos hæc piiſſimus Imperator habet: *Pendet a religione qua Deus colitur noſtræ Reipublicæ ſtatus, multaque inter hunc & illam cognatio ac familiaritas intercedit &c. Quamobrem ne illa, quæ ad præſentem rerum tantopere utilium inquiſitionem ſpectant, ſi negligentius curentur, in pejus incrementa ſumant (id quod a temporum noſtrorum pietate alienum eſt) tua pietas, Deo bene propitio, operam dabit, ut ſacroſancto proximo Paſchate elapſo, ad ipſum ſacræ Pentecoſtes diem ad Epheſiorum Aſiæ civitatem accurrat, nonnulloſque, quos nimirum idoneos judicabit, ſanctiſſimos provinciæ tuæ epiſcopos ſimul eodem ſecum adducat, ita ut neque qui ſatis ſint ſanctiſſimis ejuſdem provinciæ Eccleſiis, deſint, neque ii rurſum, qui ad rem apti cenſebuntur, in ſacro ſynodo deſiderentur*; ſicuti autem ſingulos Metropolitanos ſine excuſatione aut mora adeſſe juſſit, ita ne ante coactam ſynodum quidquam a quocumque privatim innovaretur, prohibuit.

Concil. Epheſ. part. 1. cap. 32.

Tom. 3. concil. pag. 437.

Theodoſii privata ad Cyril. epiſtola.

16. Præter generale reſcriptum Metropolitanis datum, privatas etiam epiſtolas Cyrillo Alex. dedit, quibus eum uti Eccleſiæ perturbatorem, totiuſque diſſidii in eccleſia excitati auctorem inſimulat, ac quaſi Imperialis familiæ concordiam violare tentaverit, ob tractatus de fide ad ſe ipſum, & ad Pulcheriam miſſos accuſat; aliaque non minus gravia objicit, iram etiam Principis comminatus, ſi turbas ciere perſeveraſſet; quare poſt plurima: *Nunc igitur tua pietas exponat, quid ita nobis, quibus religionem tantopere curæ eſſe non ignorabas, ſacerdotibuſque quotquot circumquaque degunt (quos utique in unum locum congregatos, natam de religione controverſiam diſcutere dirimereque par erat) deſpectis, haſce turbas diſcordiaſque inter Eccleſias, quantum in te eſt, concitaris*; & iterum paulo poſt: *Curæ nobis erit eccleſiæ tranquillitas. Scito interim magnam abs te rerum perturbationem excitatam eſſe: Neque mirum eſt ſane eum, qui modum exceſſit iis conatus ſuos non definiviſſe, quae ad Eccleſias, & Sacerdotes ſpectantur, ſed de nobis ipſis quoque quiddam pietate noſtra indignum credidiſſe. Nam niſi aliquod inter nos diſſidium eſſe putaſſes, aut certe aliquid ejuſmodi ex litteris tuis oriturum ſperaſſes, cur obſecro, alia privatim ad nos, & ad Eudociam religioſiſſimam conjugem meam, alia vero ad Pulcheriam ſororem*

Concil. Epheſ. part. 1. cap. 31. pag. 433.

Jesu Chr. an. 430.

rorem meam Auguſtam, eamdemque pietatis ſtudioſiſſimam perſcripſiſſes? Quod profecto diſſidium, ſi inter nos forte natum fuiſſet, noſque ad eum modum affectos eſſe contigiſſet, omnino tamen vituperationem effugere non poteſt, eum, qui tanto locorum intervallo a nobis disjungitur, curioſius in res noſtras inquirere: ſi id autem inter nos non exiſtit, conari ut exiſtat, cujuſvis potius, quam Sacerdotis fuerit. Ejuſdem porro eſt animi ejuſdemque ſtudii, eccleſiaſtica & regia omnia velle confundere, ac a ſe invicem divellere. Quaſi vero alia omnis deſiit occaſio, ex qua laudem & gloriam aucuperis; tandem poſt multa, qua ratione ſuam iterum gratiam promerere poſſit his verbis indicat. *Quamobrem & tuam quoque reverentiam ad tempus, quod aliis litteris ad univerſos metropolitanos epiſcopos miſſis ſignificatur, præſto adeſſe opertebit: neque prius noſtram amicitiam te recuperaturum confidas, quam omni turbatione & animorum ægritudine ſedata, ad propoſitarum quæſtionum diſcuſſionem ultro accurreris &c.* Hactenus Theodoſii ad Cyrillum aculeatæ epiſtolæ, quas Neſtorio impellente, aut aulicis, qui Neſtorio favebant, ſuadentibus, ſcripſiſſe non eſt dubitandum. In his autem etſi nimia fortaſſe credulitas in Theodoſio culpanda ſit, excuſanda tamen eſt recta Imperatoris mens, ait Baronius, dum pro catholicæ fidei integritate, Eccleſiæque pace ac unitate ſervanda non minimam geſſit ſollicitudinem. Cyrillus autem ab objectis criminibus, nonniſi poſt abſolutam ſynodum, ſe apud Theodoſium purgandum cenſuit, ne ſi præpoſtere id feciſſet, aut veniam deprecari, aut judicium ſynodi declinare videretur, aut ſaltem ſe ipſum excuſando, iram Principis exaſperaret, quare id opportuniori tempori reſervavit Apoſtolicum ſequens conſilium: *Date locum iræ*.

Bar. an. 430. n. 73.

Neſtorii epiſtola ad Cæleſtinum. *Coutan. pag. 1147.*

17. Inter hæc cum parum eſſet Neſtorio Theodoſii Imp. animum adverſus Cyrillum tanquam turbarum auctorem, novandique cupidum exacerbaſſe, datis etiam ad Cæleſtinum Pontificem litteris, eumdem Cyrillum tergiverſationis, ac inconſtantiæ inſimulavit, quod vocem Theotocon modo admitteret, modo rejiceret, ac ſuæ cauſæ diffidens, indictam generalem ſynodum declinaret: *Didici*, inquit, *honeſtiſſimum Cyrillum Alex. urbis Epiſcopum, propter libellos contra eum nobis oblatos exterritum, ac ſibi venantem latebras, ad evitandam ſacram ſynodum, propter hos ipſos libros futuram, quaſdam alias*

alias cogitationes excogitare verborum, & amplecti verbum quod eſt Theotocos, & Chriſtotocos, quorum alterum admittit, alterum vero modo quidem de Evangeliis eximit, modo vero rurſus admittit, hoc eſt Chriſtotocos ſecundum quamdam credo prudentiæ nimietatem. Ego autem ad hanc quidem vocem, quæ eſt Theotocos niſi ſecundum Appollinaris & Arii furorem ad confuſionem naturarum proferatur, volentibus dicere non reſiſto, nec tamen ambigo, quin illi voci cedat, quæ eſt Chriſtocos, tanquam prolatæ ab Angelis, & Evangeliis, & niſi hæc ad venerationem tuam ſcientem dicerem, opus mihi foret longo multoque de hac ipſa cauſa ſermone. Quare Cæleſtinum rogat, ut ad tollenda diſſidia, quæ ob vocem Theotocos exorta fuerant, ea abrogata, Chriſtotocos vocem uſurpandam eſſe juberet, ac ita blaſphemia Samoſateni, ac Arii, & Apollinaris malitia excluderetur; deinde hæc ſe Cyrillo ſcripſiſſe addit, ac de indicta œcumenica ſynodo Cæleſtinum certiorem fecit. Fruſtra tamen hiſce epiſtolis adlaboraſſe Neſtorium, ut Cæleſtinum Cyrillo infenſiorem redderet, aut ut in ſuam opinionem traheret, Epheſini concilii hiſtoria monſtrabit.

18. Interea Conſtantinopolim advenere Alex. ſynodi legati, cum epiſtolis Cæleſtini Papæ, & ſynodicis Cyrilli, eaſque in maxima cleri, populique frequentia die Dominico Neſtorio tradiderunt, ut Epheſinis Patribus narravit Theopemptus: *Die Dominico cum ſynaxis ageretur ad Epiſcopale Palatium aſcendimus, ibidemque toto præſente clero cunctiſque fere illuſtribus adſtantibus, litteras de quibus hic ſermo eſt tradidimus*, ideſt Cæleſtini, & Cyrilli; eademque Daniel Darnienſium Epiſcopus confirmavit. Interrogati iterum an Neſtorius datis epiſtolis ſatisfecerit, Daniel ſubdidit: *Tunc nobis reſpondit, ut poſtero die veniremus, & privatim illum conveniremus. Porro nobis redeuntibus aditum intercluſit, & reſponſum nobis dare non eſt dignatus.* Theopemptus vero legatorum alter addidit: *Poſtero die reverſos non admiſit, neque etiam ſatisfecit litteris, ſed publice pro concione, eadem quæ ante, & his quoque deteriora propoſuit, neque vero ſolum ante redditas litteras hæc docebat, ſed multo pejora poſtquam accepit, docuit, & uſque hodie docere non deſinit.* Dies Dominica, qua Alex. ſynodi legati Neſtorio litteras tradiderunt, cum die ſeptimo idus Decemb. hujuſce anni, Coſſ. Theodo-

Quid egerit Neſtor poſt acceptas Cæleſtini epiſt.

Concil. Epheſ. part. 1. pag. 504. tom. 3.

Jesu Chr. an. 430.

ſio XIII., & Valentiniano III. Aug. concurriſſe teſtatur Marius Mercator in titulo, quem ſermoni duodecimo Neſtorii præfixit, quem die ſabbati ſequentis decima tertia Decembris coram frequentiſſimo populo habuit, cum jam presbyter quidam de charitate ſervanda ſermonem ad populum habuiſſet. Quare hiſce verbis præfatus eſt Neſtorius: *Dulcem nobis præcedens ductor menſam Charitatis appoſuit*; cumque de charitate ſervanda nonnulla adnotaverit, ſeque longe a Samoſateni opinionibus abeſſe teſtatus eſſet, in Cyrillum ſuppreſſo nomine nonnulla addidit, ac in Alexandrinos Epiſcopos, qui olim etiam CPolitanos Epiſcopos vexaverant; in Cyrillum deinde ſermonem convertens: *Quid ſermonem in calumniam vocas? quid me latenter ſagittis aureis jacularis? quid in me ſagittas aureas abſconditus mittis? &c.* deinde poſt plurima; *Nec beatum quondam Flavianum terruiſti, cum tyrannico ſpiritu epiſtolas mitteres; nec eum, qui ante hunc inter Sanctos numeratur, Meletium perturbaſti. Tu quæ habes & donas, (bonus homo de bono theſauro profert bona) & beato Nectario talium munerum tuorum guſtum dediſti. Taceo de Joanne, cujus nunc cineres adorandæ veneraris invitus*, cum Cyrillus Theophili nepos eſſet, qui perſecutionis in Joannem auctor præcipuus fuerat. In quibus autem a Cyrillo diſſideret, dilucide exponit: *Non dicit, inquiunt, Theotocon, ideſt genitricem Dei, & hoc eſt totum, quod noſtris ſenſibus ab illis opponitur*, quam vocem ſe quidem repudiare, eo quod Apollinaris, Eunomii, Ariique hæreſibus faveret, ſubdit; nihilominus ſe ab ejuſdem vocis uſu non omnino abhorrere fatetur. Unde damna eos, qui dicunt ſecundum Arii & Apollinaris ſenſum Dei genitricem, & ego unatecum clamo *Theotocon*, ſed & *Theotocon dico & addo hominis* genitricem, hoc eſt *Antrotocon*; & iterum: *Igitur ut eorum conciones etiam elegantes & ſapidulas ſuperemus, dicamus Theotocon &c.* Si ingenue & ex corde hæc dixiſſet Neſtorius, lis pene finita fuiſſet, at cum tanta verborum varietate, & inconſtantia uſum fuiſſe ad ſimpliciores fallendos adnotavit Marius Mercator in hunc ipſum ſermonem, in diſſertatione ad duodecimum Neſtorii anathematiſmum.

Apud Garner. part. 2. pag. 84.

Concil. Labb. tom. 3. pag. 85.

Apud Garner. part. 2. pag. 229. 128.

Neſtorii ſermo alter.

19. Die autem ſequenti, quæ Dominica erat, alterum ſermonem habuit, verbis quidem brevioribus, ſed ſententiis iiſdem, cujus hoc eſt initium: *Aliis in terris ſita eſt aliarum*

rum utilitas rerum, ita cum varia ſint hominum officia, pietatem tamen cunctis convenire adnotat, ac de pietate verba facturus, ut a frequenti populo rogatus fuerat, compendio rem ſe executurum promittit, utpote qui feſſus ab heſterni diei ſermone adhuc eſſet: *Quid eſt autem ſcientia pietatis*, inquit, *ſi quis velit compendio dicere: parco enim, & mihi qui feſſus ſum, & vobis qui conſtipatione laboratis. Si quis ergo, ut dicebam, velit compendio dicere, ſcientia pietatis eſt, de conſubſtantivæ Trinitatis Divinitate rectam inire rationem, & fateri divinam naturam corporatam hominem aſſumpſiſſe &c.* atque idem argumentum, quod ſuperiori ſermone tractaverat, breviter retractat. Nec verbo ſolum ſeu ſermonibus, ſed ſcripto quoque hæreſim docere perſeveravit Neſtorius. JESU CHR. AN. 430.

20. Cumque Neſtorius una cum Cæleſtini & Cyrilli epiſtolis, ac fidei profeſſione, duodecim quoque Anathematiſmos ſubſcribendos a Cyrillo accepiſſet, eos ad Joannem Antiochenum continuo miſit, rogans, ut a doctiſſimis viris Andrea Samoſateno, & Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo confutandos traderet, quaſi Apollinaris, & Arii venena continerent, quod cum ab iis factum eſſet, eoſdem anno ſequenti Cyrillus confutavit. Interea idem Neſtorius duodecim Cyrillianis Anathematiſmis, quibus tanquam telis ejuſdem hæreſis petebatur, totidem & ipſe oppoſuit, ſuiſque vulgandos tradidit, velut arma, quibus Apollinaris, ut jactabat, Ariique impietas refutaretur. Ut autem in quo quæſtionis cardo verteretur, clarius patere poſſit, Cyrillus hæc habet: Neſtorius anathematiſmis Cyrilli ſuos opponit.

Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundum veritatem eum, qui eſt Emmanuel, & propter hoc ipſum, Dei genitricem Sanctam Virginem (peperit enim carnaliter Verbum, quod ex Deo eſt, carnem factum, ſecundum quod ſcriptum eſt: *& Verbum Caro factum eſt*) anathema. Anathematiſmus Neſtorii: Si quis eum, qui eſt Emmanuel, Deum Verbum eſſe dixerit, & non potius nobiſcum Deum, hoc eſt, inhabitaſſe eam, quæ ſecundum nos eſt, naturam, per id quod unitus eſt maſſæ noſtræ, quam de Maria Virgine ſuſcepit, matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel eſt, ſanctam Virginem nuncupaverit, ipſumque Deum Verbum dixerit verſum eſſe in carnem, quam accepit ad oſtentationem Deitatis ſuæ, ut *habitu inveniretur, ut homo*, anathema ſit. Cyrilli & Neſtorii Anathematiſmi.

JESU CHR. AN. 430.

2. Qui non confitetur carni ſubſtantialiter unitum eſſe Verbum Patris; unum quoque eſſe Chriſtum cum propria carne, & eumdem ipſum ſine dubio Deum ſimul, & hominem, anathema ſit.

Si quis in Verbi Dei conjunctione, quæ ad carnem facta eſt, de loco in locum mutationem divinæ eſſentiæ dixerit eſſe factam, ejuſque divinæ naturæ carnem capacem eſſe, aut partialiter unitam carni, aut iterum in infinitum incircumſcriptam divinæ naturæ coextenderit carnem, ad capiendum Deum, eundemque ipſum natura, & Deum dicat & hominem; anathema ſit.

3. Si quis in uno Chriſto dividit ſubſtantias poſt unitionem, ſola eas ſocietate connectens, ſecundum dignitatem, auctoritatem, aut potentiam, non magis conventu ad unitatem naturalem, anathema ſit.

Si quis non ſecundum conjunctionem unum dixerit Chriſtum, qui eſt etiam Emmanuel, ſed ſecundum naturam, ex utraque etiam ſubſtantia, tam Dei Verbi, quam etiam aſſumpti ab eo hominis, unam Filii connexionem, quam etiam nunc inconfuſe ſervant, minime confiteatur, anathema ſit.

4. Si quis duabus perſonis aut ſubſtantiis diſcernat eas voces, quæ tam evangelicis, quam Apoſtolicis litteris continentur, aut etiam eas, quæ de Chriſto a Sanctis dicuntur, vel ab ipſo Chriſto de ſe ipſo; & aliquas quidem ex his tanquam homini, præter Dei Verbum, qui quaſi ſpecialiter intelligi debeat, applicandas crediderit, aliquas vero tanquam Deo dignas ſoli Verbo Dei Patris deputaverit, anathema ſit.

Si quis eas voces, quæ tam in evangelicis, quam apoſtolicis litteris de Chriſto, qui eſt ex utraque natura, conſcriptæ ſunt, accipiat tanquam de una natura, ipſique Deo Verbo tribuere paſſiones tentaverit, tam carne, quam etiam deitatate, anathema ſit.

5. Si quis auſit dicere *Antropon Theoforon*, ideſt hominem Deo utentem, ſeu portantem, Chriſtum, & non potius Deum eſſe ſecundum veritatem, tanquam unicum Filium, qui naturaliter, ſecundum quod *Verbum caro factum eſt*, participaverit nobis ſimiliter carne, & ſanguine, anathema ſit.

Si quis unum eſſe poſt aſſumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cum ſit Emmanuel, anathema ſit.

6. Si quis dicit Deum vel Dominum eſſe Chriſti Verbum Patris,

tris, & non magis eumdem ipſum confitetur Deum & hominem ſimul, tanquam Verbo carne facto ſecundum Scripturas, anathema ſit.

Si quis poſt Incarnationem, Deum Verbum alterum quempiam præter Chriſtum nominaverit; ſervi ſane formam initium non habere cum Deo Verbo, & increatam, ut ipſe eſt, dicere tentaverit, & non magis ab ipſo creatam confiteatur, quam natura Dominum, & Creatorem, & Deum, quam & ſuſcitare propria virtute promiſit: *Solvite*, dicens, *templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud*; anathema ſit.

7. Si quis dicit in Jeſu tanquam in homine Deum Verbum fuiſſe inoperatum, & unigeniti dignitatem tanquam alteri præter ipſum exiſtenti tribuendam eſſe, anathema ſit.

Si quis hominem, qui in Virgine creatus eſt, hunc eſſe Unigenitum dixerit, qui *ex utero Patris ante Luciferum natus eſt*; & non magis propter unionem, eum qui eſt naturaliter unigenitus Patris, Unigeniti appellatione confitetur participem factum: Jeſum quoque alterum quempiam præter Emmanuelem dicat, anathema ſit.

8. Si quis audet dicere, aſſumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, & connuncupari Deum tanquam alterum cum altero (adjectio enim hujus ſyllabæ *cum* hoc coget intelligi), & non magis una reverentia veneratur Emmanuelem, unamque glorificationem dependit, ſecundum quod *Verbum caro factum eſt*; anathema ſit.

Si quis ſervi formam pro ſe ipſa, hoc eſt, ſecundum propriæ naturæ rationem, colendam dixerit, & non omnium Dominum, & non potius per ſocietatem, qua beatæ, & ex ſe naturaliter Domini Unigeniti naturæ conjuncta eſt, veneratur, anathema ſit.

9. Si quis eum, qui unus eſt Dominus Jeſus Chriſtus, glorificatum eſſe ab Spiritu Sancto, tanquam aliena potentia, qua per eum uteretur, ab eoque meruiſſe operari poſſe adverſus immundos ſpiritus, & per ipſum impleſſe divina ſigna, & non magis proprium ejus eſſe Spiritum Sanctum dicat, ſicut & Patris, per quem ſigna operatus eſt, anathema ſit.

Si quis formam ſervi conſubſtantialem eſſe dixerit Spiritui Sancto, & non potius per illius mediationem, quæ eſt ad Deum Verbum, & ex ipſa conceptione habuiſſe dixerit conjunctionem, per quas communes nonnunquam in homines miranda

randa

JESU CHR. AN. 430. randa curatione exercuit, & ex hoc curandorum ſpirituum eveniebat eſſe poteſtatem, anathema ſit.

10. Pontificem confeſſionis noſtræ Chriſtum factum eſſe, ſancta Scriptura deſignat: *Obtulit enim ſe ipſum Deo Patri pro nobis in odorem ſuavitatis*. Si quis ergo Pontificem noſtrum & apoſtolum alium dixerit eſſe factum, præterquam ipſum Deum Dei Verbum, quando factum eſt caro, & ſecundum nos homo, ſed quaſi alterum, præter ipſum, ſpecialiter hominem ex muliere; & ſi quis dicit, quia pro ſe obtulit ſemetipſum oblationem, & non magis pro nobis ſolis, non enim indiguit oblatione, qui peccatum neſcit, anathema ſit.

Si quis illud in principio Verbum Pontificem, & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe, ſeque ipſum obtuliſſe pro nobis dicat, & non Emmanuelis eſſe apoſtolum dixerit, oblationemque ſecundum eamdem rationem ei tribuat, qui univit ſi quis unitus ad unam communitatem Filii, hoc eſt, Deo quæ Dei, & homini quæ ſunt hominis, anathema ſit.

11. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem eſſe, tanquam propriam ipſius Dei Verbi, ſed quaſi alterius cujuſpiam, præter ipſum, conjuncti quidem ſecundum dignitatem, quod ſolam divinam inhabitationem habuerit, & non potius, ut diximus, vivificatricem eſſe, quia facta eſt propria Verbi Dei, cui omnia vivificare poſſibibile eſt, anathema ſit,

Si quis unitam carnem ex naturæ propriæ poſſibilitate vivificatricem eſſe dixerit, ipſo Domino & Deo pronuntiante: *Spiritus eſt qui vivificat, caro nihil prodeſt*; anathema ſit. *Spiritus eſt Deus*, ac non pronuntiatum eſt. Si quis ergo Deum Verbum carnaliter ſecundum ſubſtantiam carnem factum eſſe dicat; hoc autem modo & ſpecialiter cuſtodit, & maxime in Domino Chriſto poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis dicente: *Palpate & videte, quia Spiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere*; anathema ſit.

12. Si quis non confitetur Deum Verbum carne paſſum eſſe, & carne crucifixum, & mortem carne guſtaſſe, factumque primogenitum ex mortuis, ſecundum quod eſt & vita & vivificator, tamquam Deus, anathema ſit.

Si quis confitens paſſiones carnis, eas quoque tanquam Verbo Dei tribuit, quas etiam carni, in qua factus eſt, adhibuerit, non diſcernens dignitatem naturarum, anathema ſit.

21. Hucuſque Cyrilli & Neſtorii Anathematiſmi, quos ut vul-

vulgatos CPoli accepit Marius Mercator, utriuſque anathematiſmis præmiſſis, ac in latinum converſis, Neſtorianos confutavit; breves ad ſingula capitula adnotationes addens ſub nomine contradictionum, ut pluribus apud Garnerium videre eſt. Ceterum hoc etiam loco adnotare juvabit, ex Cyrilli, & Neſtorii anathematiſmis, magnum diſcordiæ incendium fuiſſe excitatum, nam ſicuti duas in Chriſto perſonas Neſtorii verba preſeferebant, quod præcipuum Neſtorianæ hæreſis caput erat, ita nonnullis viſum eſt Cyrillum unam Chriſti naturam adſtruere; quare factum eſt, ut vel ipſe Theodoretus Cyri Epiſcopus Cyrilli anathematiſmos magna animi contentione confutandos ſuſceperit, ut infra videbimus, atque noſtra ætate perpetuus Neſtorii Apologiſta & vindex Baſnagius appareat, ita ut poſt plurima in Neſtorii doctrina vindicanda, hæc addiderit: *Itaque quin vel ex præjudicio, vel ex male intellecta, vel ex afflicta ſane doctrina Neſtorius damnatus fuerit, nulli dubitamus*. Operam tamen oleumque perdidiſſe Baſnagium non aliter, ac qui Æthiopem lavare ſuſcipiat, non eſt dubitandum, non etenim ſollecyſmis tantum Natalis Alexandri, hæreticum fuiſſe Neſtorium, conſtat, ſed totius Orbis auctoritate, ducentorum ſcilicet Epiſcoporum fere ſententia, qui in Epheſino concilio Neſtorii condemnationi ſubſcripſerunt.

Baſnag. Præf. in annal. & an. 430. n. 20. 21.

Nat. Alex ſecul. 5. diſſert. 6.

Joannis Antiocheni epiſtol. ad Neſtorium exhortatoria.

22. Ut Cyrilli, & Cæleſtini epiſtolas accepit Joannes Antiochenus, quibus excommunicationis ſententia Neſtorio comminabatur, niſi infra decem dies reſipuiſſet, confeſtim ad Neſtorium ſcripſit, eumque, ut pacem eccleſiis palinodiam recantando redderet, hortatus eſt. Cumque dies decem ad reſipiſcendum Cæleſtinus dediſſet, una die rem confici poſſe Joannes admonuit, ait enim: *Licet Dominus meus Cæleſtinus Deo devotiſſimus Epiſcopus tantum dierum intervallum ad terminum uſque reſponſioni præfinitum valde anguſtum litteris ſuis expreſſerit: tamen res ea ejuſmodi eſt, ut non dico decem diebus, ſed uno, immo vero paucis horis tota confici poſſe videatur. Nam quid facilius eſt, quam nomine commodo, multiſque ſanctis Patribus uſitato, & vero nihilominus ſalutarique ex virgine ortui percongruo in Chriſti omnium noſtrum Regis diſpenſatione uti? &c. Non poſt multos dies, generoſe in medium progreſſus, id quod a ſe non ſatis commode dictum fuerat,*

Jesu Chr. an. 431.

rat, *in gratiam Eccleſiæ nihil quidquam veritus correxit*; atque ut tandem Virginem Mariam Dei genitricem Theotocon libere profiteretur, etiam atque etiam rogat, eamdemque vocem a Patribus ſæpiſſime uſurpatam fuiſſe pluribus probat, ac tandem, hæc non ſuo tantum nomine ſed aliorum etiam Epiſcoporum, qui una ſecum erant, ſcripſiſſe ſubdit: *Quocirca pietatem tuam rogo, obteſtorque, ut ea, quæ ob ſanctæ eccleſiæ tranquillitatem cum Dei timore, veraque erga te caritate expoſuit, placido animo ſuſcipias. Nam non ſolus hæc dictavi, ſed (ut modo ajebam) præſentibus multis Epiſcopis, videlicet Domino meo Archelao Epiſcopo piiſſimo, Apringio, Theodoreto, Heliade, Miletio, & Macario, qui per Dei gratiam Eccleſiæ Sardicenæ præfectus eſt nuperrime, qui omnes, & fidei doctrina inſtructiſſimi & tui ſtudioſiſſimi una mecum, Domine mi, te rogant, ut animo facili litterarum illarum turbinis inſtar ruentium impetum ſiſtas.* Hæc aliaque Joannes Antiochenus ſuo, aliorumque Epiſcoporum nomine ad Neſtorium, ejuſque epiſtolæ Liberatus etiam meminit; at ſaluberrima Joannis, aliorumque monita eum ſpreviſſe adnotat. Poſtea tamen Joannem Antiochenum, & Theodoretum plus juſto Neſtorio faviſſe, multaſque inde in eccleſia turbas excitaſſe, ſequentibus annis videbimus.

Liberat. breviar. cap. 4.

JESU CHRISTI AN. 431. CÆLESTINI PAPÆ 10. THEODOSII IMP. 30. ET 24. VALENTINIANI IMP. III. 7. COSS. ANICIO BASSO, ET ANTIOCHO.

Cæleſtini legatio ad Epheſinam ſynodum.

1. De Epheſina ſynodo acturi, de Cæleſtini legatione ad eam miſſa, nonnulla prænotanda ſunt. Nam idem Pontifex, ut a Theodoſio Imperatore accepit indictam fuiſſe ſynodum, alteram Romæ congregavit, qua de legatione ad Epheſinum concilium mittenda actum eſt, quæ vices Occidentalium gereret. Hinc ſi Africanos excipias, quorum nomine Beſſulas Diaconus a Capreolo Carthaginenſi Epiſcopo miſſus fuit, ut Liberatus & acta concilii ſæpe innuunt, Occidentalium nemo adfuit, eorumque vices Cæleſtini legati geſſere, ut iidem Epheſini patres in ſua ad Theodoſium Imp. relatione teſtantur: *Licet maximum itineris ſpatium univerſam illam Sanctorum Epiſcoporum* (Occidentalium) *multitudinem ad nos pervenire prohibuerit, attamen illic ſimul congregati,* *Cæle-*

Liberat. brev. cap. 5.

Cæleſtino ſanctiſſimo piiſſimoque magnæ Romæ Epiſcopo etiam præſente, & nunc noſtram de fide ſententiam magno conſenſu prædicarunt, eoſque, qui diverſa ſentiunt, ab omni prorſus ſacerdotii ſorte, graduque alienos eſſe definierunt. Et hæc quidem etiam, antequam ſanctiſſima hæc Synodus conveniret, Cæleſtinus ſanctiſſimus magnæ Romæ epiſcopus per litteras ſuas indicaverat, Cyrilloque ſanctiſſimo, Deoque dilectiſſimo magnæ civitatis Alexandrinæ epiſcopo, ut ſuas vices ſubiret, commiſerat. Sed & tunc denuo aliis etiam litteris ſanctæ Synodo, quam veſtra Majeſtas in Epheſiorum metropoli convenire præcepit. Ad id vero muneris, ut pro Cæleſtino Pontifice, ac Occidentalibus Epiſcopis legationem obirent, electi ſunt Arcadius, & Projectus Epiſcopi cum Philippo Presbytero. JESU CHR. AN. 431.

2. Graviſſimas autem & Apoſtolica ſede dignas eodem tempore ad ſynodum epiſtolas Cæleſtinus dedit, quibus, ut unanimes, unoque ſpiritu pro integritate Fidei ſervanda certarent, impenſe hortatus eſt, ac legatos ad ſynodum ſe deſtinaſſe addit, ut non ſolum ſynodi geſtis intereſſent, ſed ut ſtatuta a ſe exequerentur: *Direximus*, inquit, *pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres, & conſacerdotes noſtros, unanimes nobis, & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum epiſcopos, & Philippum presbyterum noſtrum, qui iis quæ aguntur interſint, & quæ a nobis ante ſtatuta ſunt exſequentes; quibus præſtandum a veſtra ſanctitate non dubitamus aſſenſum, quando id, quod agitur, videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum. Data VIII. Idus Maii, Baſſo, & Antiocho Coſſ.* Cæleſtini epiſt. ad ſynodum Epheſ. *Coutan. pag.* 1155.

3. Commonitorium quoque legatis ſuis Cæleſtinus dedit, quo, quid in ſynodo agere deberent, inſtructos apprime voluit, eoque apertiſſime patet, ſe eos illuc deſtinaſſe, ut a ſe anno proximo in Neſtorium ſtatuta exequerentur, ait enim: *Cum Deo noſtro, ſicut credimus & ſperamus, auctore ad deſtinata veſtra caritas venerit loca, ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Cyrillum conſilium veſtrum omne convertite, & quidquid in ejus videritis arbitrio facietis, & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri debere mandamus. Si quidem inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquantur, ut intereſſe conventui debeatis, ad diſceptationes, ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire certamen. Quod ſi tranſactam ſynodum, & rediſſe omnes epiſcopos videritis, re-* Cæleſtini Papæ commonitorium ad legatos. *Apud Coutan. pag.* 1153.

JESU CHR. AN. 431. *quirendum eſt qualiter fuerint res finitæ. Si pro antiqua fide catholica res geſtæ ſunt, & ſanctum fratrem meum Cyrillum Conſtantinopolim didiceritis profectum, ire vobis illo neceſſe eſt, ut epiſtolas noſtras Principi porrigatis. Quod ſi aliter actum eſt, & in diſſenſione res ſunt, ex ipſis rebus conjicere poteritis quod cum conſilio ſupradicti noſtri fratris agere debeatis. Data VIII. Iduum Martiarum, Antiocho & Baſſo Coſſ.* Hactenus Cæleſtini commonitorium, quo factum eſt, ut quæ hactenus adverſus Neſtorium ſtatuta fuerant a Cæleſtino Papa, iterato examini, aut in quæſtionem a ſynodo adduci, nequaquam paſſi ſint ejuſdem legati, ſed potius, ut ea exequerentur, a ſynodo exegiſſent; quare Philippus, cum ſynodi geſta ante eorum adventum ſibi exhiberi petiiſſet, addidit: *Quo juxta Beati Papæ noſtri, præſentiſque hujus ſancti cœtus ſententiam, acta nos quoque confirmemus.* Arcadius etiam legatorum alter: *Sicuti formam*, ait, *Cæleſtini ſanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ ſedis, qui nos dignatus eſt hujus negotii executores ſuos mittere.* Eademque Projectus teſtatus eſt dicens: *Ego quoque auctoritate legationis Apoſtolicæ ſedis, una cum fratribus ſententiæ executor exiſtens definio &c.*

Tom. 3. concil. acta concil. Eph. p. 619.

Neſtorius cum ſuis Epheſum pergit. *Socrat. lib. 7. cap. 34.*

4. Cum itaque ad feſtum Pentecoſtes indicta eſſet ſynodus, quod die ſeptima Junii incidit, ſtatim poſt Paſcha Neſtorius cum ingenti promiſcuæ plebis multitudine Epheſum advenit; quem Irenæus comes, arctiſſimo amicitiæ vinculo cum eo conjunctus, comitabatur; adfuit & Candidianus illuc ab Imperatore miſſus, ut ordinem in ſynodo ſervandum curaret: *Candidianum præclariſſimum ſacrorum Domeſticorum Comitem ad ſacram veſtram ſynodum abire juſſimus*, ait Imperator; *ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: (nefas eſt enim qui ſanctiſſimorum epiſcoporum cathalogo adſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe ſe immiſcere) verum ut monachos, & ſæculares, qui hujus ſpectaculi cauſa, vel eo nunc confluxerunt, vel in poſterum confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus ſubmoveat; &c.* De Irenæo vero Comite poſt multa; *Denique, nec id vobis quoque clam ſit, videlicet magnificentiſſimum Comitem Irenæum, neque ſanctiſſimæ veſtræ ſynodi conſiliis, neque his, quæ eximio legato noſtro Candidiano a nobis demandata ſunt, ullatenus communicare debere, ut qui ſolius amicitiæ*

Acta concil. Epheſ. part. 1. cap. 35. p. 441.

tiæ cauſa cum piiſſimo celeberrimæ civitatis hujus Epiſcopo Neſtorio Ephеſum profectus ſit. Epiſcopos etiam decem Epheſum ſecum duxit Neſtorius, qui in relatione ad Imperatorem de rebus ſynodi ab eo facta ſubſcripti leguntur. *Pag. 567.*

5. Circa feſtum Pentecoſtes die prima Junii Epheſo adfuit Cyrillus cum Epiſcopis Ægypti quinquaginta. Juvenalis vero Hieroſolymorum Epiſcopus quinto poſt Pentecoſtem die advenit, unuſquiſque vero Metropolitanorum comprovincialium Epiſcoporum turbam una ſecum ducebat; hinc factum, ut maxima Epiſcoporum copia paulo poſt feſtum Pentecoſtes Epheſo adeſſet. Cum ſanctiſſimis porro epiſcopis non ſolum Neſtorius una cum aliis ejuſdem impietatis ſociis adfuit, ſed etiam Epiſcopi Pelagiani Julianus, Florus, Orontius, Fabius, aliique, Occidentalium ac Orientalium ſententia jam excommunicati, & depoſiti. *Adfuerunt inter alios*, ait Cæleſtinus Papa in epiſtola ad CPolitanos, *nec deſeruerunt eum*, ideſt Neſtorium, *Cæleſtiani iniquitatis operarii, quos Hymnidici noſtri perſequitur manifeſta ſententia, habuit ergo ſecum ſui magiſtros exilii, habuit hujuſce rei perfectos tyro doctores &c.* Unus fere Joannes Antiochenus moras traxit, ſive quod tam cito ſuæ provinciæ Epiſcopos congregare non potuerit, ac Epheſus Antiochia itinere dierum triginta diſtaret, aut etiam ad ſtatutam diem adeſſe diſtulit, ut turbandi res occaſionem haberet.

Cyrilli adventus Epheſum aliorumque. *Socrat. lib. 7. cap. 34.*

Tom. 3. pag. 1080.

Socrat. ut ſupr. Evagr. lib. 1. 3.

6. Interea dum Joannem congregati Epiſcopi expectarent, *quæſtionem movebant præſentes Epiſcopi de Beata Maria Dei genitrice*, ait Liberatus, *Cyrillus autem deflorationes quaſdam librorum Neſtorii faciebat*; ideſt excerpta ex libris Neſtorii collegit, quæ Marius Mercator interpretatus eſt, hoc appoſito titulo: *Neſtorii de diverſis ejus libris, vel tractatibus excerpta ab Epiſcopo Cyrillo capitula, ex Græco a nobis in latinum verſa*. Cum itaque Epiſcopi, qui maturius venerant, ceteros expectarent, Theodotus Ancyræ Epiſcopus, & Acacius Melitenes, pro antiqua cum Neſtorio neceſſitudine, eum ad ſaniora conſilia, & ad communem Eccleſiæ ſententiam revocare conati ſunt, ſed fruſtra; quin cum quadam die, ſeu triduo ante inchoatam ſynodum impias illas ab eo audiſſent voces, quæ cunctis poſtea horrori fuerunt: *Deum ego bimeſtrem, aut trimeſtrem non colo, nec eum qui fugit in Ægyptum*, quibus dictis, ut adnotat Liberatus, *ſubdidit Neſtorius ter: Mundus ſum a ſanguine veſtro, & amodo ad vos non venio,*

Quid ante ſynodum Epheſi actum. *Liberat. cap. 5.*

ApudGarner. part. 2. pag. 95. 103.

Liberat. ut ſup.

 & cum

Jesu Chr. an. 431.

Concil. Epheſ. ſeſſ. 1. & relatio ſynodi ad Imp. p. 571.

& cum reliquis congregatis Epiſcopis , qui ejus ſententiam ſequebantur . Easdemque blaſphemias a Neſtorii etiam comitibus Epiſcopi audierant : *Alius eſt , qui paſſus , alius qui Verbum Dei , & Judæi hominem crucifixerunt , non Deum* .

De Epiſcoporum numero & Præſide concilii Eph.

Concil. tom. 3. pag. 574.

Garner. pag. & pag. 73.

7. Sed antequam ad ſynodi geſta ſe oratio transferat , adnotamus ducentos circiter Epiſcopos ſynodo adfuiſſe , ut veteres tradunt : *Cyrillus cum ſuis habens vices ſedis Apoſtolicæ concilio evocato ducentorum Epiſcoporum Neſtorium vocaverunt &c.* Cyrillus etiam Alexandrinis ſcribit : *Epiſcopi autem , qui convenimus , ducenti circiter eramus plus minus* . Eumdem numerum ſervat in chronico Marcellinus ; Marius tamen Mercator numerum auget ; atque in præfatione commonitorii ad Theodoſium ducentos ſeptuaginta quinque Epiſcopos numerat , eumdemque numerum retinet in ſuo tractatu contra Pelagianos , Pelagius & Cæleſtius , *cum patrono memorato* , ideſt Neſtorio , *in Epheſienſi concilio a 274. Epiſcopis iterumque damnati ſunt* . Facile tamen ſi qua eſt de Epiſcoporum numero veterum differentia tollitur , ſi adnotaverimus ducentos circiter Epheſo adfuiſſe Epiſcopos , cum primum Neſtorius damnatus eſt ; quo cum alii plurimi poſtea advenerint , hinc uſque ad 274. auctus eſt numerus , nec fruſtra in ſubſcriptionibus Epiſcoporum hæc leguntur : *Poſtquam hi omnes Neſtorii depoſitioni ſubſcripſerunt , acceſſerunt alii Epiſcopi ad ſanctam ſynodum , qui & ipſi quoque præpoſitæ damnationi ſubſcripſerunt* . In ſynodica autem epiſtola , ſeu relatione ad Imperatores ducentum decem ſe ſubſcripſiſſe memorant . *Perabſurdum enim eſt* , inquiunt , *ducentorum & decem ſanctorum Epiſcoporum ſynodo , quibus & univerſa Occidentalium Epiſcoporum multitudo , & per ſe ipſos reliquus totus terrarum Orbis conſentit , triginta tantum numero ſe ſe opponere* , qui ſcilicet cum Joanne Antiocheno diſceſſionem fecerant .

Pag. 548.

Pag. 658.

Cyrillus ſynodo præeſt , tanquam Cæleſtini Papæ legatus .

Launojus epiſtol. ad Antonium Faurum tom. pag.

Baſnag. an. 431. n. 9.

Liberat, ut ſup.

8. Synodo Cyrillum Alex. tanquam Rom: ſedis legatum , & Cæleſtini Papæ Vicarium præfuiſſe , certum adeo exploratumque eſt , ut etſi moroſiores quidam , audacioreſque critici Launojus aliique in dubium vocaverint , vix tamen tergiverſationi locus eſſe poſſit , cum id non ſemel aut iterum , ſed ſæpiſſime acta ipſa teſtentur ; ac veteres paſſim tradiderint : *Porro Cyrillus cum ſuis habens vices ſedis apoſtolicæ &c.* id etiam Cæleſtini epiſtolæ , ipſique Epheſini Patres diſerte tradunt : *Conſidentibus in ſanctiſſima eccleſia , quæ appellatur Maria religio-*

glorioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, Cyrillo Alex., qui & Cæleſtini quoque ſanctiſſimi, ſacratiſſimique Rom. eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat &c. Hinc factum, ut Cæleſtinum ipſum Chalcedonenſes Patres, tum in profeſſione fidei, cum alibi, Epheſinæ ſynodo præfuiſſe dicant.

JESU CHR. AN. 431.

Acta concil. pag. 445.

9. Inter occidentalis Eccleſiæ legatos, una cum Arcadio, Projecto & Philippo a Cæleſtino miſſis, adfuit Epheſinæ ſynodo Baſſulas, illuc a Capreolo Carthaginenſi Epiſcopo miſſus. Ut celebrior Africanæ eccleſiæ legatio deſtinaretur, impedimento fuit, tum Vandalorum irruptio, cum anguſtia temporis, dum nonniſi ante Paſchales ferias Theodoſii epiſtolæ Capreolo redditæ fuerint; ut in ſua epiſtola idem Capreolus narrat, qua etiam addit, S. Auguſtinum peculiari ratione ad Epheſinam ſynodum ab Imperatore invitatum, antequam litteræ redderentur, e vivis jam exceſſiſſe, ac acerbiſſimas calamitates, quas ex Vandalorum feritate patiebantur, commemorat; ac tandem, poſt plurima de Apoſtolica retinenda fide, ſubdit: *Hæc pro præſenti Africanorum legatione, quam neceſſitas ſuperius memorata impedivit, venerabilibus veſtris auribus ſuggerere volui, obnixe interim rogans, ut calamitatibus rerum præſentiumque temporum ſpectatis, noſtram abſentiam non ſuperbiæ aut negligentiæ, ſed manifeſtæ huic neceſſitati adſcribere velitis &c.*

Epiſtola & legatio Capreoli Carthag. Epiſc.

Acta concil. pag. 529.

10. Ejuſdem Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi extat epiſtola altera ad Vitalem & Conſtantium Hiſpaniæ Epiſcopos data; cum etenim aliquot ab hinc annis Neſtoriana lues Hiſpanias inficere tentaſſet, iidem Vitalis & Conſtantius, qua ratione tanto malo reſiſtere poſſent, Capreolum conſulendum cenſuerunt: *Illud conſulimus*, inquiunt, *honorificentiam tuam, ut de bono theſauro cordis tui noſtris viſceribus irrigari jubeas, quæ Fides catholica recta teneat*; quare Capreolus prolixa eruditaque epiſtola eorum votis ſatisfecit, & quidem non longe poſt celebratam ſynodum Epheſinam, ait enim: *Ad veſtram notitiam perveniſſe non dubito, intra Orientis partes, ubi primus peſtis iſta ſurrexerit, congregata glorioſa ſynodo Sacerdotum*, ideſt Epheſina, *cui etiam legatio noſtra non defuit, in veſtibulo cum ſuo auctore atque aſſertore compreſſa, & radio Apoſtolicæ lucis extincta eſt. Hæc mirari debet charitas veſtra, ſi etiam poſt damnationem ſuam intermorientes ſpiritus fœtidus adhuc flatus adſpiret.* Hæc Capreolus, qui anno proximo Deogratias Carthaginenſi Epiſcopo ſucceſſerat.

Altera Capreoli epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

Sirmond. concil. tom. 1.

11. Cum

JESU CHR. AN. 431. Joannis epiſt. ad Cyrillum.

11. Cum dies aperiendæ ſynodo deſtinatus tranſiſſet, atque in via adhuc eſſet Joannes Antiochenus cum Orientalibus, ac itinere dierum quinque, aut ſex Epheſo abeſſet, Alexandrum Apameæ, & Alexandrum Hierapoleos Epiſcopum ad Cyrillum cum epiſtolis præmiſit, excuſans ſe quod adventum ſuum retardaverit, ac ſe quantocius adfuturum promiſit: *Non mediocriter me cruciat*, inquit, *poſteaquam ſanctitas tua Epheſi præſto eſſe cœpit, paucos hoſce dies me abfuiſſe. Etenim ſanctitatis tuæ deſiderium magis, quam res ipſa, ut iter hoc quam citiſſime abſolvere cupiam, me ſtimulat. Tandem ergo poſt multas exantlatas itineris moleſtias, ſanctitatis tuæ precibus adjutus, præ foribus ſum. Nam triginta totos dies (tot enim ſpatii intercapedo poſtulat) iter uſque facio, nihil quidquam quietis prorſus mihi indulgens, multis interim religioſiſſimis epiſcopis ob itineris difficultatem graviter afflictis, neque paucis quoque jumentis ob continuum profectionis laborem extinctis. Tu igitur, Domine, Deum preceris obſecro, ut hoſce quinque, aut ſex itineris dies ſine moleſtia percurrere, ſacrumque ad ſanctum tuum caput cum gaudio nobis complecti & exoſculari liceat, Dominus meus Joannes, Paulus, Marius, Deo cariſſimi epiſcopi ſanctitatem tuam ſalutant. Ego quoque cum meis domeſticis univerſam, quæ tecum eſt, fraternitatem plurimum ſaluto. Incolumis vale, & pro nobis orare perge, domine piiſſime ac ſanctiſſime*. Biduo antequam prima ſeſſio haberetur, ad Joannem reſcripſerat Cyrillus, ſe ejus adventum expectaturum, ut in epiſtola ad Imperatorem idem narrat Joannes Antiochenus. *Ipſe quoque Cyrillus Alex. biduo ante habitum ab ipſis conſeſſum illum, ſcripſerat ad me Antiochenum Epiſcopum, quod univerſa ſynodus meum adventum præſtolabatur &c.* quæ an vera ſint dubitari merito poteſt; cum res aliter omnino acciderit, atque actio prima ante Joannis adventum habita fuerit, etſi Epiſcopi a Joanne Epheſum præmiſſi non ſemel querelis Patrum de Joannis cunctatione reſpondiſſent: *Mandavit nobis ut pietati veſtræ indicemus, ne ſynodum prorogetis, ſi ipſum amplius tardare contigerit, ſed potius quod opus eſt facto, id fiat*; ut in relatione ad Cæleſtinum Pontificem narrant Epheſini patres ſeſſ. 5. pag. 662.

Tom. 3. pag. 444.

Pag. 602.

Concilii Eph. ſeſſio prima. *Ut ſup. pag. 662.*

12. Cum itaque poſt ſtatutam diem ſexdecim dies Joannis adventum expectaſſent Epiſcopi, qui magna frequentia Epheſum advenerant, ac Joannem ex induſtria moras trahere viderent

derent congregati Patres, *vel quod amicitiæ, quæ ipſi cum Neſtorio intercedebat, indulgeret, vel quod is eccleſiæ ſuæ fuit clericus, vel etiam quod quorumdam pro illo deprecationibus morem gereret; ſancta ſynodus in magna Epheſi eccleſia, quæ Maria appellatur, ſeſſionem celebravit*, ajunt Epheſini Patres in relatione ad Cæleſtinum Pontificem, eademque ad Theodoſium Imperatorem narrant, cum præcipue epiſcoporum plurimi in extera regione morari diutius non ſuſtinerent: alii adverſa valetudine in periculum vitæ adducerentur, nonnulli quoque Epheſo diem extremum obiiſſent. Evagrius quidem Joannem excuſare conatur, at ipſos concilii Patres Evagrio præferendos eſſe, non eſt dubitandum. *Evagr. lib. 1. cap. 3. & 4.*

13. Die itaque 22. Junii, quæ in feriam ſecundam incidit, cum Cyrillus primam indixiſſet ſeſſionem in eccleſia Beatæ Virgini dicata, Epiſcoporum plurimi, ut ea uſque ad adventum Joannis Antiocheni, & legatorum Cæleſtini, qui adverſa tempeſtate jactati ad condictam diem Epheſum pervenire non potuerant, ſeſſio prorogaretur, interceſſere his verbis: *Sumus*, inquiunt, *pene omnes per divinam gratiam congregati. Deeſt autem præſentiæ ſanctæ ſynodi religioſiſſimus Joannes Antiochenus epiſcopus, qui & ipſe jam in januis eſt, juxta ea, quæ nuper ſuis litteris intimavit. Et ea, quæ per eos, quos præmiſit Præfectianos, & Magiſtrianos, nunciata ſunt. Similiter etiam nonnulli ex Occidentalibus epiſcopis Synodo adfuturi. Mandarunt autem veſtræ reverentiæ, tanquam qui graviter habent, ſuſtineri uſque ad ejus adventum. Hujus gratia has ad reverentiam veſtram direximus litteras, ut ſuſtineatis Deo amiciſſimorum comminiſtrorum præſentiam*; hæc Epiſcopi ſexagintaocto ad Cyrillum, quorum ſubſcriptiones ibidem leguntur. Omnium primus Tranquillinus Antiochiæ Piſidiæ Epiſcopus legitur.

Epiſcoporum petitio pro dilatione ſynodi.

Lup. ſyllog. cap. 7. tom.

14. Dilationem quoque ſynodi petiit Candidianus, qui cum actioni primæ interfuiſſet, poſtquam fruſtra, ut Joannis adventus expectaretur, Patres hortatus eſſet, ea egreſſus ad Cyrillum, & ad congregatos Patres conteſtationem dedit, his verbis conceptam: *Sanctiſſimo Epiſcopo Metropolis Alex. Cyrillo, & reverendiſſimis Epiſcopis, qui cum eo ſunt congregatis, Flavius Candidianus, Magnificentiſſimus Comes Devotiſſimorum Domeſticorum. Quoniam ex quo in Epheſinam Civitatem veni, nihil aliud deprecatus ſum communem Sanctamque Syno-*

Candidiani conteſtatio ad ſynodum.

Lup. ut ſup. cap. 9.

Jesu Chr. an. 431.

Synodum veſtram, niſi ut cum pace atque concordia, quæ ad Fidem rectamque glorificationem noſtram pertinent, exponerentur, ſicut & Dominus noſter juſſit, & Piſſimus Imperator &c. ac ut per quatuor ſaltem dies Joannis Antiocheni Epiſcopi adventum expectarent, ſe rogaſſe narrat, quod cum ſibi conceſſum non fuiſſet, hanc proteſtationem publicam ſe ſynodo, ac Imperatori miſiſſe denunciat, ut ibidem videre eſt.

Lutheri & Baſnagii cenſura in Eph. ſynodum & Cyrillum refellitur. *Baſnag. an. 431. n. 11.*

15. Interea adnotare juvabit Baſnagium in Cyrillum, & in ſynodum ipſam, iterum hoc loco ſtylum acuere, quam tumultuoſam fuiſſe, ac ſuis affectibus magis, quam veritati, pacique Eccleſiæ inſerviiſſe ſcribit, quam ideo ſe ab iniquitate defendere non poſſe, veritatis amore abreptum teſtatur: *Credat Judæus Apella, cum hiſtorico præcipue ſit laborandum, ut relegato favore anteponendam omnibus veritatem, candide proferat in lucem veritatis*. At quos in eam rem confirmandam teſtes advocabit Baſnagius? Epiſcoporum inquit, & Candidiani Comitis conteſtationem, qua ſynodum uſque ad Joannis Antiocheni Epiſcopi adventum differri poſtulaverant; quorum petitionem rejeciſſe, iniquiſſimum, Baſnagio judice, fuit. Sententiæ ſuæ adſtipulatorem præceteris Lutherum habet, qui Epheſinam ſynodum, ac Cyrillum Alex. Epiſcopum, virum pietate, & doctrina celeberrimum infamare auſus eſt, in ſuo de conciliis tractatu, uti Moſphæmius in ſuis inſtitutionibus ad hiſtoriam eccleſiaſticam adnotat, centuria quinta parte 2. capite 5. pag. 731. editionis Neapolitanæ; hinc non mirum ex Novatoribus plurimos, ut Luthero gratificarentur, in eamdem iviſſe ſententiam, non quidem veritatis amore ductos, ut Baſnagius ſcribit, ſed partium abreptos, ut Neſtorianam hæreſim percurrenti conſtabit. Et ſane quid Cyrillus, aut ſynodus peccavit, dum primam ſeſſionem, abſente adhuc Joanne Antiocheno, cum ſuis Orientalibus celebravit? Ut etenim prætereamus, eum non locorum intervallo, aut neceſſitate aliqua, ſed voluntate, ne ad condictam diem Epheſo adeſſet, moras traxiſſe, ut ad Cæleſtinum Papam ſcripſerunt Epheſini Patres, ne ultra ſynodum differrent Imperalia edicta cogebant, cum præſertim ſexdecim a præfinito tempore dies tranſiiſſent; quo factum eſt, ut gravate jam Epiſcopi, qui Epheſo aderant, dilationem perferrent, quorum aliqui morbo laborabant, nonulli etiam e vita exceſſerant; cumque ex ipſius etiam Neſtorii ore, congregatis Patribus, notiſſima eſſet ejuſ-

ejuſdem hæreſis, unica ſeſſione res pene confecta fuiſſet, ſi calculo ſuo Joannes Epheſum adveniens geſta ſubſcripſiſſet. Lugubres vero tragœdiæ, quæ inde ſubſequutæ ſunt, ut ad ſchiſma fere res ruerent, Joanni Antiocheno, qui Neſtorio primum plus æquo favit, tribuenda ſunt, non Epheſinæ ſynodo, ut ex dicendis patebit. Jesu Chr. an. 431.

16. Die itaque vigeſima ſecunda Junii, quæ in feriam ſecundam incidit, in eccleſia Deiparæ Virgini dicata, actio ſeu ſeſſio prima habita eſt, qua conſidentibus Cyrillo Alex. qui Cæleſtini Rom. Pontificis locum obtinebat, & Juvenali Hieroſolymorum, Memnone Epheſiorum, cum ceteris centum ſexaginta circiter, Petrus Alexandriæ presbyter, & Primicerius notariorum, epiſtolas, expoſitioneſque Neſtorii, & litteras Cyrilli ad Cæleſtinum ſynodo legendas exhibuit. At Juvenalis ſacram Imperatorum legendam primo admonuit; quod ut factum eſt, Firmus Cæſareæ Cappadociæ interrogavit, quot dies ab indicta ſynodo elapſi eſſent; cumque ſexdecim tranſiiſſe Memnon reſpondiſſet, ſatis Epiſcoporum adventum expectatum eſſe Cyrillus dixit, ac ut tandem ſynodi actionibus initium fieret, juſſit.

Eph. ſynodi actione prima quid geſtum ſit. *Tom. 3. concil. pag. 445. & ſeq.*

17. Suggerente itaque Theodoto Ancyræ Epiſcopo, opus eſſe ut Neſtorius ſynodo ſe ſiſteret, Hermogenes Rhiconororum, Athanaſius Paraliæ, Petrus Perembolorum, Paulus Zampæ teſtati ſunt, ſe pridie Neſtorium conveniſſe, eumque ut ad ſynodum veniret invitaſſe, quibus ille dixit: *Cogitabo, & ſi quidem opus fuerit, veſtro me cœtui adjungam*; idemque dixerunt Epiſcopi ſex aut ſeptem, qui cum eo erant. His acceptis Flavianus Philippenſium Epiſcopus, alios ad eum mittendos eſſe, dixit, ut eum iterum monerent, rogarentque ut ſynodo adeſſe dignaretur; & deſtinati ſunt a ſancta ſynodo Theodolus Heluſæ Palæſtinæ, Anderius Cheroneſi Cretæ, Thopemptus Cabaſorum Ægypti Epiſcopi, & Epaphroditus Lector, & Notarius Helanici Rhodiorum Epiſcopi, quibus ſyngrapham Neſtorio deferendam dederunt, cujus hoc eſt initium: *Oportebat quidem pietatem tuam per religioſiſſimos piiſſimoſque Epiſcopos, ut ad ſacram ſynodum, quæ in ſancta & catholica Eccleſia hoc ipſo die celebratur, veniret, heſterno die admonitam, nullatenus defuiſſe. Quoniam vero &c.* ac ut tandem adeſſet hortantur. At legati ad ſynodum reverſi retulerunt ſe Neſtorii domum militum turba cum fuſtibus circumdatam vi-

Neſtorius ſynodo adeſſe recuſat.

Synod. epiſt. ad Neſtorium tom. 3. pag. 456.

Jesu Chr. an. 431. vidiſſe; quibus cum indicaſſent, ſe ſynodi legatos ad Neſtorium miſſos, ab ingreſſu tamen fuiſſe prohibitos; urgentibus tamen Legatis, ut admitterentur, a Florentino tribuno ut expectarent dictum eſt; ac tandem cum rediiſſet tribunus, una cum Neſtorii clerico dixit, ſe quidem Neſtorium non vidiſſe, per alios tamen ſibi relatum, tum ſe ſynodo adfuturum, cum omnes conveniſſent. Tunc Flavianus Philippenſium Epiſcopus dixit opus eſſe, ut tertia etiam vice Neſtorius vocaretur, quare alii quatuor Epiſcopi miſſi ſunt, ac inter cetera hæc Neſtorio ſynodus ipſa ſcripſit: *Digneris itaque vel nunc tandem huic te adjungere, eorumque dogmatum, quæ hæretice pro concione diſſeminaſſe diceris, in communi Eccleſiæ conventu rationem reddere. Quod ſi tu ipſe non acceſſeris, reſponderiſque ad ea, quæ tibi de ſcripto ſive citra ſcriptum objiciuntur, ſcito ſanctiſſimam ſynodum neceſſitate compulſam, ea de te prolaturam, quæ ſanctorum patrum canonibus ſunt ſancita.* Reverſi autem Legati ad ſynodum retulerunt, ſe omnino a militibus, qui Neſtorii domum cuſtodiebant, repulſos fuiſſe, ita ut ne propius quidem accedere potuerint.

Pag. 457.

Neſtorii cauſa agitatur.

18. Cum itaque obſtinato animo, non ſolum præſentiam ſuam ſynodo Neſtorius denegaverit, nec ſynodi Legatos in conſpectum ſuum admittere voluerit, nil reliqui Epheſinis patribus reſtabat, quam præmiſſa monumentorum lectione, quibus Neſtorii dogmata hæreſis convincebantur, ſententiam in ipſum dicere. Itaque Nicæna primum fides lecta eſt, deinde epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, cujus exordium eſt: *Intelligo quoſdam*, quam Nicænæ fidei conſentire teſtati ſunt; Neſtorii poſthac epiſtolam ad Cyrillum legendam eſſe dixit Palladius Amaſeæ Epiſcopus, ut *intelligamus, num & illa quoque ſanctorum Patrum Nicænorum expoſitioni conſentiat*; lecta autem cum eſſet, Nicænæ ac orthodoxæ Fidei adverſari, æternoque anathemate, una cum auctore ſuo dignam eſſe, unanimi conſenſu teſtati ſunt Patres. Cæleſtini etiam epiſtola ad Neſtorium, & Cyrilli altera, ſeu ſynodica una cum Epiſcopis Ægypti ad eumdem lecta eſt, tum excerpta quædam ex libris Neſtorii, & blaſphemiæ ab eo Epheſi coram Epiſcopis nonnullis prolatæ in medium relatæ ſunt, quibus Sanctorum Patrum, ideſt Petri Alex. Epiſcopi, Athanaſii, Julii, & Felicis Rom. Pontificum, Theophili Alex., Cypriani, Ambroſii, Gregorii Niſſeni, Attici CPolitani, Amphilochii teſtimonia ſubſequuta ſunt, ut

Pag. 460. & ſeq.

Pag. 492.

ut Neſtorii doctrinam Sanctorum Patrum opinionibus omnino adverſari facilius conſtare poſſet; tandem monente Petro Alex: Presbytero, Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi litteræ ad Epheſinos Patres per Beſulam diaconum miſſæ lectæ ſunt. Quare cum luce clarius conſtaret Neſtorium, non ſolum hæreſim docuiſſe, ſed etiam in ea pervicaciter perſeverare, in eum tandem ſynodus hanc ſententiam tulit.

Jesu Chr. An. 431.

19. *Cum præter cetera impiiſſimus Neſtorius neque noſtræ citationi parere, neque ſanctiſſimos religioſiſſimoſque epiſcopos a nobis deſtinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum, quæ impie docuit, examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex litteris commentariiſque ipſius, partim e ſermonibus, quos nuperrime in hac Epheſiorum metropoli habuit, quique teſtimoniis comperti ſunt, illum impie audire & prædicare, coacti per ſacros canones, & epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri & Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ epiſcopi, lacrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſario venimus. Igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per ſanctiſſimam hanc Synodum, eumdem Neſtorium epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo ſacerdotum conſortio, & cætu alienum eſſe definit.* Sententiæ poſt Cyrillum ceteri ſubſcripſerunt Epiſcopi, numero plus quam ducenti, quorum aliqui eorum nomine, qui Epheſum adeſſe non potuerant, ſubſcripſerunt. Hæc porro in Neſtorium ſententia ab Epheſinis civibus tanta lætitia excepta eſt, ut cum facibus, & tædis Epiſcopos in domos ſuas deducerent: *Multa paſſim lætitia, multa etiam luminaria accenſa, ita ut mulieres quoque thuribula geſtantes antecederent nos*, ait Cyrillus in epiſtola ad Alex.

Synodi ſententiam contra Neſtorium lata. *Pag. 533.*

Pag. 548.

Pag. 574.

20. Quæ occidente ſole prolata fuerat in Neſtorium ſententia, die ſequenti eidem his verbis nunciata eſt: *Sancta ſynodus Dei gratia, juxta religioſiſſimorum chriſtianiſſimorumque Imperatorum noſtrorum ſtatutum in Epheſiorum metropoli congregata, Neſtorio novo Judæ. Agnoſce te, propter impias prædicationes tuas, & adverſum canones contumaciam, vigeſimo ſecundo die menſis Junii præſentis, juxta eccleſiaſticarum ſanctionum decreta, a ſancta Synodo depoſitum, atque ab omni eccleſiaſtico gradu alienum eſſe. Hæc epiſtola, de damnatione ejuſdem Neſtorii proxime conſecuta, ad ipſum tranſmiſſa eſt*

Synodi ſententia Neſtorio denunciatur. *Pag. 749.*

JESU CHR. AN. 431.

Synodi epiſt. ad Clerum CP. Pag. 549.

eſt a ſancta ſynodo. His geſtis, eadem die ad Eucharium reliquoſque cleri CPolitani hanc ſynodus dedit epiſtolam: *Cognoſcat Reverentia veſtra, blaſphemum Neſtorium propter impias ſuas prædicationes, & contra eccleſiaſticos canones contumaciam, heſterno die, qui fuit præſentis menſis Junii vigeſimus ſecundus, a ſancta ſynodo juxta eccleſiaſticas ſanctiones depoſitum, & ab omni eccleſiaſtico gradu amotum fuiſſe. Proinde omnia, quæ ad eccleſiam pertinent, cuſtodite, ut & rationem illi reddituri, qui Dei voluntate, piiſſimorumque Imperatorum noſtrorum nutu ordinandus eſt Conſtantinopolitanæ eccleſiæ Epiſcopus.* Cyrillus etiam ad clerum ſuum, & ad Archimandritas, de Neſtorii depoſitione longiores litteras ſcripſit, quibus de geſtis in ſynodo certiores reddidit, & ne contrariis rumoribus, vel relationibus, ab ipſo Neſtorio, vel a Candidiano comite vulgatis, aures præberent, admonuit; ſecundas etiam ad clerum ſuum, & ad Archimandritas epiſtolas addidit Cyrillus. Synodus vero CPolitanum clerum, & populum epiſtola altera de geſtis in ſynodo, & de Neſtorii depoſitione certiorem reddidit, qua etiam Joannem Evangeliſtam, una cum beatiſſima Virgine Dei genitrice Epheſo obiiſſe indicat his verbis: *Cum Neſtorius impiæ hæreſis inſtaurator in Epheſiorum civitatem perveniſſet, in qua Joannes Theologus, & Deipara virgo Sancta Maria,* adde habitavit, vel obiit.

Synodi epiſt. ad Imperatores. Pag. 571.

21. Eadem die vigeſimatertia Junii, aut ſaltem ante diem quintum, poſt primam actionem, quo Joannes Antiochenus Epheſum advenit, ad Imperatores de Neſtorii depoſitione relationem ſynodus miſit, qua quid ab Imperatore poſtulaverint, his verbis exponunt: *Veſtram autem Majeſtatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut univerſam illius doctrinam e ſanctiſſimis eccleſiis ſubmoveri, ejuſdemque libros, ubicumque locorum repertos, flammis tradi jubeat, per quos Dei gratiam, propter ſuam in nos benignitatem hominis facti, abolere contendit, quam ille non benignitatem, ſed Divinitatis ignominiam cenſuerit &c.*, eo quod humanam quidem naturam Dei verbum inhabitaſſe diceret, aſſumpſiſſe vero negaret, ne bimulum aut trimulum Deum dicere cogeretur. Eadem die vigeſima tertia Junii, cum in unum iterum Patres conveniſſent, Cyrillus habito ad populum ſermone, cujus initium eſt: *Sanctorum cœtum, qui a ſancta & Deipara ſemperque Virgine*

Sermones in ſynodo adverſus Neſtorium dicti.

gine

gine Maria invitati, prompto animo huc confluxerunt, lætum erectumque conſpicio &c.; eadem oratione complura in laudem ſanctiſſimæ Dei genitricis locutus, in Neſtorium acerrime invehitur, quo in argumento non ſemel verſatus eſt, ut ejuſdem homiliæ, tum Epheſi, cum Alexandriæ habitæ teſtantur. Acrius adhuc Neſtorium inſectatus eſt Rhegino Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, homilia iiſdem diebus coram Patribus Epheſinis, & frequenti populo habita, qua Neſtorium Judæorum Deicidarum perfidiam ſuperaſſe ait; ac Caino, Chamo, Sodomitis nequiorem prædicat, eo quod Dei Verbum Deipara natum dividendum præſumpſerit.

Jesu Chr. an. 431. *Cyrill. ep 10. 5. part. 2. p. 355.*

Rhegini homilia in Neſtorium. *Tom. 3. concil. pag. 578.*

22. Cum plurimos ſui ſtudioſos CPoli haberet Neſtorius; periculoſum & difficile erat, Epheſinæ ſynodi ſententiam ibidem perferre, aut vulgare, nam *omnia cum navigia, tum publicas quoque vias obſidentes, neminem prorſus a ſancta ſynodo CPolim venire, neque inde curſum ad ſynodum abire permittebant* Neſtorii fautores, ut narrant Epiſcopi, qui CPoli inventi ſunt, dum ſynodi relatio, & ſententia in Neſtorium lata, ad eos perlata eſt. Opera tamen & induſtria cujuſdam mendici, qui epiſtolas arundine incluſas CPolim detulit, in eorum tandem manus venit, quam immenſa lætitia excepiſſe Catholicos, ac præcipue Archimandritas, & monachos ibidem narrant: *Confeſtim omnes Archimandritæ, monachorum catervis ſtipati, exurgunt, hymnoſque & pſalmos alternantes, ad regiam contendunt. Erat autem inter alios Archimandritas ſanctus Dalmatius, qui annos quadraginta octo recluſus extra monaſterii ſui ſepta nunquam pedem extulerat &c.* tunc cœleſti voce admonitus ut egrederetur, ac catholicæ Fidei patrocinaretur, ceteris monachis, ac catholicæ plebi ſe comitem dedit. *Cum vero ad Palatium perveniſſent Archimandritæ ab Imperatore acciti, ad illum ingrediuntur*; plebs vero & monachorum cætus foris manſit, pſalmorum cantui intenta. Cumque Archimandritæ Imperatori perſuaſiſſent, juſtiſſimam fuiſſe anathematis ſententiam ab Epheſinis Patribus in Neſtorium latam, inde digreſſi, ad eccleſiam ſancti Mocci Martyris cum monachis & plebe perrexerunt, ubi cum perveniſſent, ſynodi epiſtola lecta eſt: *Populus CP. una omnium voce exclamat anathema Neſtorio*. Dalmatius etiam monachus ex ſuggeſtu, ea quæ Imperatori ſuggeſſerat, narravit, inter cetera Neſtorii factione catholicos prohiberi, ne ad eum accederent,

Quo plauſu Neſtorii depoſitio CPoli excepta fuerit. *Pag. 751.*

cete-

JESU CHR. AN. 431. ceterum ſe Imperatorem admonuiſſe, ne impiis hominibus, qui Neſtorio favebant, aures præberet. Pro altera etenim parte ſubdidit, ideſt Cyrilliana, ſex millia Epiſcoporum convenire adnotavit: *Sex millia autem, eos ajebam, qui ſub Metropolitanorum ſanctiſſimorum Epiſcoporum poteſtate degunt*; quare iterum populus una voce: *Anathema Neſtorio exclamavit*. Sicque cauſa finita fuiſſet, niſi contrariis, mendacibuſque relationibus, Theodoſii animum in Neſtorium jam propenſum, atque in Cyrillum commotum, in ipſam quoque ſynodum commoviſſent.

Neſtorii relatio ad Theodoſium. *Tom. 3. concil. pag. 567.*

23. Epheſum advenerat Neſtorius magno comitatu, decem Epiſcopos una ſecum ducens, qui relationi ad Imperatorem ab eo adverſus ſynodum miſſæ ſubſcripti leguntur; cumque præſentiam ſuam ſynodo denegaſſet, dum ceteri Patres in eccleſia Beatæ Virginis conveniſſent, alteram Joanni Apoſtolo dicatam ſibi aperiri petierat, ut in ea cum ſuis ſynodum ageret, quod cum a Memnone Epheſiorum Epiſcopo negatum eſſet, graviſſimas inde ad Imperatorem querelas detulit, quaſi tumultuarie ſeditioſeque tum Cyrillus, cum Memnon omnia hactenus peregiſſent: *Ad Epheſiorum civitatem*, ait, a *pietate veſtra convocati, citra ullam cunctationem eo nos contulimus &c.* ac contra Imperatoris litteras, & Candidiani Comitis juſſionem, ante Joannis Antiocheni Epiſcopi, ac Occidentalium, ſeu legatorum Rom. ſedis, adventum Ægyptios cum Aſianis ſynodum celebraſse narrat, ſibi vero ſuiſque vim injuriaſque illatas fuiſse mentitur, ut vix ſecurus eſset: *Hi noſtras domos circumcumſitabant*, inquit, *hi impetu facto communem noſtrum conſeſſum perturbabant, extrema quædam minitantes. Hujus autem tantæ ſeditionis auctor & anteſignanus fuit Memnon Epheſiorum epiſcopus. Hic etenim ſanctas eccleſias, ſanctorumque Martyrum ideſt, & ſacroſanctam Apoſtoli (Joannis) baſilicam nobis præcluſit, ut neque hoſtiliter agitatis perfugium ullum ad eas pateat: his vero magnam eccleſiam aperuit, idoneamque conſeſſui ſedem ibidem præparavit; nobis autem omnibus mortem eſt interminatus*; quare Imperatorem rogat, ut eorum comprimeret temeritatem, aut ut ſibi abire liceret.

Pag. 566.

Candidiani Comitis relatio ad Jmp., & libelli ad ſynodum.

24. Nec multum a Neſtorii relatione diſſimilis fuit altera, quam Candidianus Comes eadem die 22. Junii poſt primam actionem ſynodi ad Imperatorem miſit. *Candidiani qui-*

quidem relatio periit, ait Garnerius; at inventa poſtmodum a Chriſtiano Lupo cum aliis ſcriptis ad eamdem ſynodum pertinentibus edita eſt, quin tres ejuſdem Candidiani Comitis conteſtationes ad eamdem ſynodum datæ ſuperſunt, quarum prima Cyrillum, ceteroſque Epiſcopos rogat, ut Joannis Antiocheni adventum expectarent, ac ſe litteras quidem Imperatoris ad ſynodum datas ea conditione legiſse, ut ad ſynodum celebrandam Joannis antiocheni adventum præſtolarent. *Verum quia nil eorum, quæ a me ſunt dicta, ſervatum eſt, ſed a vobis injurioſe ac violenter expulſus ſum, neceſſarium duxi hoc mea conteſtatione vobis conſtituere manifeſtum, & per hoc edictum clare dicere nullum veſtrum novi aliquid facere, ſed omnium ſanctorum Epiſcoporum ſuſtinere præſentiam, & ſic communi concilio, quæ ad catholicam ſanctamque fidem pertinent, judicari &c.* Sequenti autem die, cum vulgatum eſſet Neſtorium a ſynodo damnatum depoſitumque fuiſse, Epiſcopos ibidem congregatos, ut ab inceptis uſque ad Joannis adventum expectarent, conteſtatus eſt, cujus conteſtationis hoc eſt initium: *Quoniam cognovi &c.* de his autem in relatione ad Joannem ſubdit: *Sequenti die, cum penitus quid actum eſſet ignorarem, repente ſanctiſſimum Epiſcopum Neſtorium ab ipſis eſſe depoſitum audivi. Refixi ſcripturam illam depoſitionis publice propoſitam, & legi. Quam ad piiſſimos Imperatores noſtros miſi. Paulo poſt & publicos quoque Præcones, forum obeuntes, memoratique ſanctiſſimi Epiſcopi Neſtorii depoſitionem ſolemni pompa ebuccinantes audio. Cum igitur hæc reſciviſſem, inhibitiones ad eos miſi, ne quiddam omnino præter ea, quæ a Religioſiſſimis Imperatoribus noſtris decreta fuerant, molirentur. Effeci quoque ut ſanctiſſimi Epiſcopi noſtri, qui illorum congregationi non interfuerant, veſtræ ſanctitatis adventum præſtolarentur*. Tandem eadem die 23. Junii, altero propoſito edicto, nullam irritamque Neſtorii damnationem eſse publice denunciavit.

Jesu Chr. an. 431. *Præf. in Marium Merc. part. 2. pag. 26. Chriſt. Lup. concil. tom. 7. pag. 38.*

Pag. 39.

Lup. ut ſup. pag. 40.

Joannes Antioch. Epiſc. Epheſum advenit quid cum eo geſtum.

25. Interea poſt quinque dies, ideſt 28. Junii, tandem Joannes Antiochenus cum Epiſcopis aliquot ſuæ diœceſis Epheſum advenit, eiſque Epiſcopos aliquos obviam extra urbem ſynodus miſit, ut cum honore exceptum de Neſtorii exauctoratione certiorem redderent, ac ut ab ejus ſe communione abſtineret, admonerent. Neminem tamen ex his præter Cyrillum ad præſentiam, vel colloquium ſuum Joan-

Jesu Chr. An. 431. *Tom.* 3. *pag.* 762. *Pag.* 1045.

Joannes Antiochenus Epiſcopus admiſit, quem *ante ipſas Epheſi portas dulcibus dilectionis affectibus complexus eſt*; ut idem Cyrillus in Apologetico apud Imperatorem teſtatur. Legati vero ſynodi uſque ad diverſorium Joannem comitati, cum ibidem præſtolarentur, poſt diuturnam moram, tandem admiſſi ſunt. Poſtquam vero Legati, quæ a ſancta ſynodo in mandatis habebant, illi expoſuiſsent, per Irenæum Comitem, plagis eos vexari, aut juſſit aut permiſit, itaut Epiſcopi, & clerici ad ſynodum reverſi, *plagaſque ſibi impoſitas oſtendentes, ſanctam ſynodum ad indignationem commoverunt*, ait Memnon in epiſtola ad clerum CP; quam noxam ut a ſe Joannes Antiochenus averteret, in ipſos Legatos culpam convertit, hæc iiſdem exprobrans: *Cum oportuiſſet ut illos, qui e tam longinqua peregrinatione recens advenerant, fraterne complecterentur, pulvereque adhuc aſperſos benigne & comiter exciperent, ac refocillarent affectu fraterno, tumultuario impetu ſtatim ad nos perturbandos irruerunt, conſuetamque inſolentiam, ac immodeſtiam apertis indiciis declararunt*.

Synodi legati ab Irenæo verberantur. *Pag.* 763. *Pag.* 594.

Conciliabulum Joannis Antioch. *Pag.* 1045.

26. Et ſane Joannes Antiochenus, *cum vix curru deſiluiſſet, cubiculumque ingreſſus eſſet, adhuc pulverulentus, iis aſſumptis, qui eadem cum illo ſentiebant, putidam ac plane iniquiſſimam ſententiam tulit*, ait Cyrillus. Qui autem cum eo convenerant, aut viri exules erant, *Cœleſtiani depoſiti*, ideſt Cœleſtii diſcipuli, Julianus ſcilicet, Orontius olim ſuis ſedibus ejecti, & excommunicati, *Neſtorianæque dementiæ ſatellites, nec non ex magna quadam cupiditate in blaſphemiæ contra Chriſtum crimine cum illo participes, univerſamque ſynodum inſigni contumelia afficere audet, excommunicationis titulo involvens*; nominatim vero Cyrillum & Memnonem, ceteros vero *excommunicationis vinculis innodarunt, donec proprio delicto agnito, dicta capitula anathematizarent*, ideſt Cyrilli in Neſtorium anathematiſmos; quare Cyrillum, & Memnonem tanquam contrariæ factionis Coriphæos, ac cum Apollinario ſentientes, aut quaſi Arii, ac Eunomii dogmata probarent, depoſuerunt, ceteris vero pœnitentiæ locum reliquerunt; de quibus pluribus agunt, tum in epiſtola ad Imperatorem, & ad Reginas, cum in aliis ad clerum, & ad populum CPolitanum.

Pag. 602. & *ſeqq.*

Sententia excommunicationis in Cyrillum & Memnonem.

27. Totius tragœdiæ ſeriem exhibent acta, quæ coram Candidiano comite geſta ſunt. Is etenim cum ex ordine Epheſi

pheſi tum a ſynodo, cum a ſe ipſo hactenus geſta narraſſet, de præpoſtera Cyrilli feſtinatione conqueſtus eſt; lectæ dein ſunt Imperatoris epiſtolæ ad ſynodum. Joannes vero adverſus ſynodum, quod ſe non expectato Epiſcopi conveniſſent, ſed ſententiam etiam in Neſtorium dixiſſent, querelas protulit, ac omnem in Cyrillum Alex: & Memnomen Epheſinum Epiſcopum iram convertens, in eos, tanquam hæreticos, graviſſimorumque criminum reos, excommunicationis, ac depoſitionis ſententiam, una cum Pſeudoſynodo ſua, dixit in hæc verba: *Optabam quidem juxta ſanctorum Patrum canones, piiſſimorumque ac Chriſti amantium Imperatorum noſtrorum litteras, ſynodum pacate celebrari. Quoniam vero vos hæretico ſenſu menteque uſi, ac temeritate & confuſione, privatum inter vos conſeſſum celebraſtis (tametſi juxta litteras piiſſimorum Imperatorum noſtrorum præ foribus jam verſaremur), omnique turbarum genere civitatem, & ſanctam hanc ſynodum implevistis, ne videlicet in capita, quæ cum Apollinarii, & Eunomii, atque Arii impietate ac perverſa doctrina congruunt, inquireretur; neque religioſiſſimorum Epiſcoporum a piiſſimis Imperatoribus noſtris undecumque convocatorum adventum expectaſtis; cum tamen magnificentiſſimus comes Candidianus & ſcripto monuiſſet & verbis, ne quidquam tale auderetis, ſed communem omnium ſanctiſſimorum epiſcoporum conſeſſum expectaretis: ideo tu Cyrille Alexandrine, & tu Memnon hujus Civitatis epiſcope, ſcitote vos depoſitos, & ab epiſcopatu alienos, atque ab omni eccleſiaſtico miniſterio & functione eſſe amotos; ut qui in cauſa fuiſtis, ut patrum canones conculcarentur, & Imperatorum decreta contemnerentur, omniaque confuſione & turbis miſcerentur, ac totius ſceleris auctores & duces extitiſtis. At vos reliqui omnes, qui ſeditioſe & inique contra eccleſiaſticas ſanctiones, regiaque decreta agentibus conſenſiſtis, excomunicati eſtis, donec agnita culpa veſtra reſipiſcatis, fidemque a ſanctis Patribus in Nicæna civitate congregatis expoſitam ſuſcipiatis, nihil illi extraneum aut peregrinum attexentes, capita præterea hæretica a Cyrillo Alexandrino expoſita, quæ & Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ aperte repugnant, anathematizetis, & litteris denique piiſſimorum Chriſtique amantium Imperatorum noſtrorum, quæ fidei quæſtionem quiete agitari, accurateque diſcuti præcipiunt, per omnia pareatis.* His vero Epiſcopi quadragintatres cum Joanne ſub-

JESU CHR. AN. 431.

Pag. 549.

JESU CHR. AN. 431.

ſcripſerunt, quorum nomina ibidem leguntur, atque ex his Theodoretus Cyri Epiſcopus; eamdemque ſententiam cum epiſtolis ſuis ad Imperatorem, ad Reginas, ad Senatum, ad Clerum, & ad populum CPolitanum miſerunt, unde factum eſt, ut & ſynodus catholicorum in remotis regionibus infamaretur. Latam vero ſententiam omnibus legendam propoſuit Joannes, *theatri parietibus affigens, ut ſuæ impietatis ſpectaculum exhiberet*, ut narrat relatio quintæ actionis ad Cæleſtinum Papam; dignum ſane ut dici ſolet, patella operculum, ut tragœdiæ ſcriptum theatri parietibus affigeretur.

Pag. 663.

Joannis Antioch. conteſtatio ad Cyrillum, & alios. *Lupus tom. 7. concil. pag. 41.*

28. Cumque ſententiam in ſe latam ſpernerent Cyrillus & Memnon, ac die Dominica inſtante, collectas agere, Miſſaſque celebrare decreviſſent, Joannes Antiochenus, adito Candidiano Comite rogavit, ut ad eos tranſiens conteſtaretur, *ne calcarent eccleſiaſticas ſanctiones, & pia decreta, neque collectam celebrarent viri, quorum quidem quidam juſte depoſiti, alii vero communione privati ſunt, propter hæreticam veſaniam, & inexplicabiles tumultus illicitos, piarumque ſanctionum contemptum*. Candidianus vero, cum eos die ſabbati adveſperaſcente, & ſequenti ideſt Dominica, valde diluculo, congregatos inveniſſet, rogaſſetque ne Miſſas, aut collectam celebrarent, *illi*, ideſt Cyrillus, & Memnon cum ſociis, *non aquieſcentes exierunt, collectamque fecerunt*; *contra quos contendere ultra non valui*, ajebat ad Joannem Candidianus; Candidianum etiam interrogavit Joannes, num Cyrillus & Memnon ſententiam a ſe latam, ac tota urbe promulgatam noſcerent; cui Candidianus notiſſimam quidem Epheſi ſententiam fuiſſe dixit, & ob ipſam *civitas commurmurat univerſa, & magna eam multitudo tranſcripſit*; quin cum Memnoni Joannis nomine denunciaſſet, ut a Sacris tanquam excommunicatus abſtineret, reſpondiſſe Memnonem retulit, ſe quidem Joannis & ſynodi ipſius ſententiam ſcire, at irritam, nullamque eorum ſententiam ſe habere addidiſſe. Nec Epheſo tantum ſententiam ſuam contra Cyrillum ejuſque oecumenicam ſynodum latam, publicandam curavit Joannes; ſed per omnes Orientis eccleſias, & provincias, ut teſtis eſt epiſtola Presbyteris, reliquoque clero, & populo Hierapolitanæ eccleſiæ, qua eos monet, ne Cyrilli ejuſque ſynodi epiſtolas acciperent de Neſtorii depoſitione, quos ob hæreticam pravitatem, cui ſubſcripſerant, ideſt Cyrilli anathematiſmis, depoſitos

Joannes ſententiam ſuam Cyrillo denunciandam curat.

Lupus tom. 7. concil. pag. 43.

ſitos excommunicatoſque fuiſſe denunciat, cui epiſtolæ iidem cum Joanne ſubſcripti leguntur, qui in ſynodo ſententiæ in Cyrillum dictæ ſubſcripſerant. JESU CHR. AN. 431.

29. Antequam a Joannis ſynodo ad acta Epheſina redeamus, quærendum eſt, num cum Joanne Antiocheno Epiſcopi Pelagiani alias depoſiti interfuerint, vel utrum eadem ſynodus Pelagiano errori patrocinaverit, ut a viris alioquin doctis traditum eſt, Baronio ſcilicet, Janſenio Uſſerio, Voſſio. *Nec his contentus fuit coetus ille ſatanicus*, ait Baronius, *nam qui in gratiam Neſlorii non ſunt veriti adeo impudenter, non Cyrillum tantum & Memmonem, ſed univerſum ſacroſanctum damnare concilium; addentes prævaricationem in gratiam Pelagianorum, qui aderant, Epiſcoporum; reſlituunt, confirmantque Pelagianam hæreſim ſæpius ante damnatam*. Canon vero, qui pſeudoſynodo Epheſinæ tribuitur, apud S. Gregorium in Epiſtola ad Eulogium his verbis conceptus eſt: *De Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod Diabolus in cor hominis non ingrediatur, etſi quis hoc dixiſſet anathema eſſet*; qui ſane canon etſi totus quantuſque eſt, Pelagianorum placitis conveniat, librariorum tamen errore, ſeu potius Pelagianorum dolo, Epheſinis Patribus inſcriptus fuerat. At neque Epheſinæ ſynodi, neque ſchiſmaticæ Orientalium eum fuiſſe, vel ipſe Gregorius Magnus epiſtola eadem ad Eulogium innuit; poſtquam etenim definitiones quaſdam, tanquam Epheſinæ ſynodi ſibi a Joanne CP Epiſcopo, (qui Jejunator dicebatur) tranſmiſſas fuiſſe dicit, quarum una erat ille canon, de Adæ peccato ad poſteros non tranſmiſſo, addit: *Quia ergo perſcrutantes Epheſinam ſynodum, nihil in ea tale invenimus contineri, de Ravennati quoque eccleſia vetuſtum valde Codicem ejuſdem ſynodi ad nos deferri fecimus, & ad ſynodum quam habebamus, eum ita concordare invenimus, ut in nullo diſcreparet, & nihil aliud continet in definitione anathematis & reprobationis, niſi quod duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant*. Legatur & epiſtola ejuſdem Gregorii ad Narſen Comitem, quæ eſt decimaquarta libri quinti, ubi eadem retractans, confirmat; quare acta concilii Orientalium Pelagiano dogmati nequaquam ſubſcripſerunt, ſed tantum contra Cyrilli capitula anathema dixerunt, atque in hoc tantum ab oecumenicæ ſynodi actis, illa diſcrepabant. Hinc idem Gregorius de eodem codice ex Regia urbe ſibi tranſmiſſo ad

An ſynodo Joannis Pelagiani adfuerint, aut ſynodus eiſdem faverit.

Bar. 431. 78.

Greg. lib. 6. epiſt. 31.

JESU CHR. AN. 431. Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopum ſcribens: *Agnovi*, ait, *quod quædam capitula catholica cum hæreticis fuerant reprehenſa*, eo quod vel ex ſcriptorum inſcitia, vel malis hæreticorum artibus catholicorum dogmata cum hæreticorum placitis in unum confuſa fuerant; quæ ſane nec Orientalium ſynodo, vel ipſo Gregorio teſte, tribuenda ſunt.

Lib. 7. Epiſt. 47.

Orientalium ſynodo Pelagiani non fuerunt.

30. Ceterum etſi vero proximum ſit Orientales Epiſcopos, quibus Joannes Antiochenus præerat, Pelagianis nec edito canone faviſſe, aut Pelagianos Epiſcopos ſuæ ipſorum ſynodo admiſiſſe; negari tamen non poteſt, hiſce ſuſpicionibus cauſam dediſſe, nam ut ſupra vidimus, Neſtorius Pelagianorum Epiſcoporum caterva ſtipatus Epheſum devenerat; hinc Epheſini Patres in epiſtola ad Cæleſtinum Pontificem de Pelagianis Epiſcopis in ſynodo ab Orientalibus admiſſis, *collecto*, inquiunt, *hominum collegio circiter triginta numero, qui nomen habebant Epiſcoporum, ex quibus alii erant extorres, otioſi, eccleſiiſque carentes, cum ipſis etiam Pelagiani & Cæleſtiani &c.* & iterum in epiſtola ad Theodoſium Imp. de Epiſcopis cum Joanne conſentientibus adverſus ſanctam ſynodum, *triginta tantum ſe ſe opponere, quorum alii quidem jampridem depoſiti, alii etiam pravæ Cæleſtii doctrinæ ſectatores*; & iterum in altera ad eumdem Imp. epiſtola de iis, qui Neſtorio favebant, *alii ex his dogmatum pravitate fœdati, utpote Pelagiani &c.* Hujuſcemodi autem ſuſpicioni non levem Orientales cauſam præbuerunt, tum ex cognatione doctrinæ, cum etiam quia Pelagianorum caterva comitatus Epheſum Neſtorius advenerat; quos etiam in amicitiam ſuam, communionemque receperat. At quantalibet Neſtorii fuerit in Pelagianos ſocietas, & amicitia, eos tamen a Joanne ad Orientalium ſynodum nequaquam admiſſos fuiſſe, inde facile probatur, quod ſynodi actis nequaquam ſubſcripti legantur, aut in Joannis epiſtola ad Hierapolitanos, ſed nec Epheſini Patres in ſententia adverſus Orientales lata, quemquam Pelagianorum nominant; quibus ſane non pepercisſent, ſi ipſi quoque Orientalium geſtis interfuiſſent, aut ſubſcripſiſſent. Nec ſane credibile eſt Joannem Antiochenum eo impudentiæ proceſſiſſe, ut Occidentales Epiſcopos in ſynodis ſæpe damnatos, & a Theodoſio Imp. nuper Regia urbe expulſos, in ſuam reciperet communionem, ac ad ferenda ſuffragia in ſua admitteret ſynodo; quod demum rem pene conficit, id eſt, quod ipſi Orien-

Concil. tom. 3. pag. 663.

Pag. 659.

Pag. 588.

Pag. 751. & 804.

Orientales Cyrillo, ceteriſque catholicis exprobraverint quod cum Pelagianis ſocietatem inierint, id crimini eis non daturi, ſi ipſi eodem hæſiſſent luto; in epiſtola etenim ad Rufum: *Illud ſanctitatem tuam non prætereat, Cyrillum ſcilicet & Memnonem non contentos fuiſſe catholicam fidem corrupiſſe, verum omnes quoque canonicas ſanctiones proculcaviſſe. Nam qui a diverſis diœceſibus atque provinciis excommunicatione perculſi fuerunt, illos ipſi ſtatim in communionem receperunt. Alios præterea de diverſis etiam hæreſibus accuſatos, eademque ſentientes cum Cœleſtio & Pelagio.* Cum itaque vel ipſi Orientales Cyrillum ceteroſque catholicos, de inita cum Pelagianis ſocietate accuſaverint, eos quoque ab eorum non ſolum ſocietate & communione, uno excepto Neſtorio, alienos fuiſſe, non ſolum vero propius, ſed pene certum eſt, de quibus plura apud Noriſium, & Garnerium videri poſſunt.

Pag. 741. — *Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. c. 9.* — *Garner. in Mar. Mercat. in part. diſſer. 7. ca. 7. pag. 431.*

31. Interea ad Epheſinam ſynodum, unde ad hæc digreſſi ſumus, redimus. Cum Candidiani relationem accepiſſet Theodoſius, continuo per Palladium Magiſtrianum reſcripſit, atque omnia hactenus utriuſque partis acta tanquam tumultuarie geſta irrita eſſe declaravit, ac ut ex Epiſcopis nemo Epheſo excederet juſſit, quin Provinciarum Præfectis ſe ſcripſiſſe teſtatus eſt, ut neminem inde abeuntem, vel in patriam, vel in civitatem ſuam admitterent. Reſcriptum, quod tertio Kal. Julii CP datum eſt, utrique parti properante Palladio lectum eſt, quo a Candidiano Epheſi per tumultum geſta ſe accepiſſe narrat: *Quare quæ geſta ſunt*, ait, *ſtudio acta eſſe quilibet exiſtimaverit. Proinde ſacræ Majeſtati noſtræ placuit, talem procedendi modum nullum habere locum aut momentum, his vero quæ inepte & citra ordinem geſta ſunt, ceſſantibus, doctrinam de pietate prius, ſicuti decretum fuit, diſcuti, eamque juxta communem totius ſynodi ſententiam impoſterum obtinere &c.*

Theodoſius utriuſque ſynodi acta reſcidit. — *Tom. 3. pag. 703.*

32. Acceptiſſimum Joanni ejuſque aſſeclis Theodoſii reſcriptum fuit; ſperabant etenim, reſciſſis ejus auctoritate ſynodi actis, ac Cyrillo, Memnonique in ſuſpicionem apud eum vocatis, poſthæc ſe pro arbitrio cuncta miſcere poſſe; quare per eumdem Palladium die ſequenti reſcribentes, non ſine magna laudum prædicatione ſe ejus reſcripta accepiſſe teſtati ſunt, ac: *Beatum orbem terrarum judicavimus, cui talibus ſubeſſe*

Joannis aliorumque epiſtolæ ad Imp.

Jesu Chr. an. 431. *beſſe ſceptris, taliqne gubernari contigerit Imperio*; ac ſe ſententiam depoſitionis in Cyrillum, & Memnonem ferre coactos fuiſſe, tum eo quod Cyrillus ſcriptis ſuis CPoli adverſus Neſtorium vulgatis, ideſt duodecim Anatematiſmis, Arii, Eunomii, & Appollinaris dogmatibus favere viſus ſit, cum etiam cum Memmone & ſociis tumultuariam in Neſtorium, Regiæ urbis Epiſcopum, depoſitionis ſententiam ferre auſi fuerant. Imperatorem deinde rogant, ut ad tumultus turbaſque vitandas, jubeat duos tantum cuilibet Metropolitano adeſſe Epiſcopos, ceteros vero abire jubeat: *Niſi enim hoc ſtatuatur*, inquiunt, *fieri non poteſt, quin aliqua rurſus oriatur confuſio. Siquidem quinquaginta ſunt Ægyptii ſub Memnone tyrannidis duce, quadraginta Aſiatici, duodecim etiam ex Pamphylia hæretici Meſſalianitarum*, ac præter eos alii plurimi diverſis in locis excommunicati & depoſiti, *qui ſane nihil aliud ſunt, quam hominum turba divinorum dogmatum inſcia, & ad tumultus ſeditioneſque nata*. Tandem graviſſimas adverſus Memnonem querelas intentant, eo quod eos ab eccleſia S. Joannis, quo gratias Deo acturi, ac pro Majeſtate Imperatoris deprecaturi, poſt accepta reſcripta, properaverant, excluſi fuerant, quin etiam fuſtibus & lapidibus excepti, quem ideo ut Epheſo expelleretur, etiam atque etiam Imperatorem rogant: *Nam niſi expellatur, fieri nequit, ut pacem aliquando recuperemus, aut pietatis veſtræ ſcopus ad exitum perducatur*. Hactenus Joannis ad Imperatorem epiſtola, qua Imperatoris animum adverſus Cyrillum, & Memnonem, ceteroſque Epiſcopos malis artibus commovere conati ſunt, eique relationem addidere, qua eadem fere adverſus eoſdem multis verbis exagerant, eamdemque relationem una cum litteris per Irenæum Comitem mittendas curarunt, ut quæ Imperatori epiſtolis ſuis calumnioſe ſuggeſſerant, ipſe coram verbis confirmaret. Quare præmiſſis adverſus Cyrillum & Memnonem querelis, ſeu potius calumniis: *Eapropter magnificentiſſimum Comitem Irenæum præmittere compulſi ſumus, ut is & veſtram pietatem conveniat, totius negotii ſeriem explanet. Accepit idem a nobis plurimos præſentis morbi curandi modos, quibus tranquillitas eccleſiis Dei reſtitui queat &c.*

Pag. 711. ... 715.

Aliæ Orientalium epiſtolæ. *Pag.* 710.

33. Ad Præfectum quoque Regiæ urbis alias Joannes Antiochenus cum ſociis dedit epiſtolas, quibus ea, quæ Imperatori ſcripſerat, eidem ingerit, ac ſe ab ingreſſu Templi

pli Apoſtoli prohibitos, lapidibus impetitos fuiſſe exagerat, ac ut apud Imperatorem pro ſua ipſorum cauſa agat, enixe hortatur, ne ſe tantis malis vexatos negligat, ſed *evidenti mortis diſcrimine, quanta fieri poteſt celeritate eximat, efficiatque, ut ad regiam civitatem* vocati, fidei ſuæ rationem redderent, ac Cyrilli, ſociorumque hæreſim, incredibilemque iniquitatem probare poſſent. Id equidem familiare Eccleſiæ hoſtibus, cunctiſque hæreticis fuit, Eccleſiæ judicia, ſynodorum ſententias declinare, & calumniis proſcindere, cauſas ad aulicos judicandas deferre, ac ad Principum tutelam contra eccleſiaſticas ſanctiones confugere. Ad Præpoſitum quoque Eunuchorum, alioſque aulæ Proceres, Joannes Antiochenus dedit epiſtolas, quibus res ſuas commendat, & ut apud Imperatorem eorum cauſam, tutelamque agere velit, enixe rogat. Ad hunc vero Scholaſticum, & Eunuchorum præpoſitum privatæ quoque extant Neſtorii epiſtolæ, quibus tanquam lupus ovina indutus pelle, ac ſinceritatem, humilitatemque verbis præferens, eum admonet, ut vulgatas contra ſe calumnias, quod vocem Theotocon condemnaret, improbaret, ac Epiſcopalem honorem facile ſe contempturum, ſalva eccleſiæ fide, ac tranquillitate teſtatur: *Et ne forſitan*, inquit, *de hoc me fingere arbitreris, ſi fuerit confirmata religio, & orthodoxia eccleſiis reſtituta, exige a me; ut hinc jam vobis per litteras valedicam, & ad priſtinam converſationem monaſterii libenter redeam. Ab hujuſmodi enim quiete nihil eſt divinius, neque beatius apud me*, atque ut iterum coram Imperatore cauſa ſe præſente ageretur, expoſtulabat. Hic porro Scholaſticus Neſtorii patronus Gryſoretes Eunuchus erat, utriuſque cubiculi præpoſitus. Reſtat nunc, ut pauca de ſynodi epiſtolis ad Imperatorem datis, poſt acceptum Imperatoris reſcriptum, quo hactenus in ſynodo geſta reſcindi juſſerat, addamus. Synodi epiſtolæ Kal. Julii inſcriptæ ſunt; Nonis tamen legendum eſſe adnotant Garnerius, & Pagius. Inter reſpondendum vero queſti ſunt Epheſini Patres, quod Candidianus Comes artibus ſuis effecerit, ut veritas Imperatorem lateret, & relatione ſua in urbem miſſa, non ſolum ſynodi commentaria præveniſſe, ſed pro lubitu in Neſtorii gratiam omnia miſcuiſſe; quare Imperatorem rogant, ut Comitem una cum quinque Epiſcopis adeſſe jubeat, qui coram, quid rerum ex utraque parte, & qua ratione geſtum ſit, exponant; cujus petitionis quis fuerit exitus, ex dicendis conſtabit.

Chriſt. Lup. op. tom. 7. p. 51.

Synod. epiſt. ad Imperat. tom. 3. pag. 746.

Garner. præfat. in 2. part. Marii Merc. pag. 28. Pag. not. 24. ad hunc an.

36. In-

Jesu Chr. an. 431.

Cæleſtini legati Epheſum adveniunt: actio ſecunda.

Pag. 610.

Pag. 618.

34. Interea Arcadius & Projectus Epiſcopi, una cum Philippo Presbytero Rom. eccleſiæ, Cæleſtini Papæ legati ſexto idus Julii Epheſum pervenerunt, ac Epiſcopalem Memnonis domum ingreſſi, epiſtolas Cæleſtini Papæ ſynodo obtulerunt, quæ cum a Siricio Rom. eccleſiæ notario Latine primum, deinde Græce recitatæ fuiſſent, ab univerſa ſynodo acclamatum eſt: *Hoc juſtum judicium. Novo Paulo Cæleſtino, novo Paulo Cyrillo, Cæleſtino cuſtodi fidei, Cæleſtino cum ſynodo concordi, Cæleſtino univerſa ſynodus gratias agit. Unus Cæleſtinus, unus Cyrillus, una fides ſynodi, una fides Orbis terrarum.* Poſt hæc die altera convenerunt iterum Patres una cum Rom. ſedis Legatis in eccleſia Beatæ Mariæ, ubi quæ hactenus geſta fuerant adverſus Neſtorium lecta ſunt, iiſque legati ſubſcripſerunt, & Imperatorem de Legatorum adventu, deque eorum ſubſcriptionibus, & conſenſu iis, quæ hactenus adverſus Neſtorium a ſynodo geſta fuerant, certiorem fecerunt; atque quaſi jam cauſa finita eſſet, convenientibus in unum Orientalibus cum Occidentalibus, iis paucis demptis, qui Neſtorio favebant, Imperatorem rogarunt, ut diſcedendi ſibi licentia concederetur: *Cum itaque negotium hoc*, inquiunt, *finem majeſtati veſtræ peroptatum, eccleſiiſque omnibus tutiſſimum, & fidei firmitatem afferentem, jam acceperit, rogamus veſtram pietatem, ut ab hac cura, & peregrinatione nos tandem abſolvat; (quorum alii paupertate premuntur, alii morbo detinentur, alii ſenectute gravantur, nec diutius in externa regione poſſunt hærere, adeo ut e nobis epiſcopi nonnulli, & clerici vita defuncti ſint) quo jam tali ſollicitudine levati, magnæ illius civitatis eccleſiæ curam ſuſcipiamus*, ideſt ut tandem CP eccleſiæ Epiſcopum, Neſtorio remoto, ordinare poſſent; huic alteram ad clerum & populum CP epiſtolam addidere, qua Neſtorium exauctoratum fuiſſe admonent, atque utraſque epiſtolas ſuis ſubſcriptionibus munierunt, Cyrillus, & ceteri ſupra ducentos.

Synodi epiſt. ad Imp. *Tom.* 3. *pag.* 631.

Pag. 634.

Actio quarta Cyrilli: querelæ adverſus Joannem.

35. Die decimaſexta Julii cum iterum in eccleſia B. Mariæ conveniſſent Patres, una cum Legatis Apoſtolicæ ſedis, Cyrillus & Memnon libellum adverſus Joannem Antiochenum obtulere, quo de injuria ſibi ab eodem illata conqueſti ſunt, petebantque, ut Joannes vocaretur, qui coram ſynodo rationem redderet, probaretque coram, ſi quid aut criminis, aut hæreſis alterutri objiciendum haberet. Lecto libello, Epiſcoporum aliquot ad vocan-

vocandum Joannem miſſi ſunt, qui mox revertentes ſynodo nunciaverunt, ſe quidem Joannis domum a militibus circumſeptam inveniſſe, ac ab omni prorſus aditu excluſos fuiſſe. His auditis, Joannes Hieroſolymorum Epiſcopus, etſi Joannis ſuperbiam damnaverit, qui ſynodi legatos audire renuerat, iterum tamen vocandum eſſe dixit, quare alii ad eum Epiſcopi ſunt deſtinati, qui cito reverſi, hanc ſe a clericis Joannis reſponſionem accepiſſe narraverunt: *Nos hominibus per nos depoſitis & excommunicatis, reſponſum nullum damus.* De nomine, aut perſonarum dignitate interrogati, qui hæc nunciaverant, *clerici ſumus*, reſponderunt, *non tabelliones.* Quare ſynodus hactenus a Joanne geſta irrita declaravit, ac ut hæc Imperatoribus nunciarentur, & tertio etiam Joannes vocaretur, antequam legitimo in eum judicio ageretur, decrevit.

Jesu Chr. an. 431. *Pag. 635. & ſeqq.*

36. Quare die ſequenti 17. Julii in eadem B. Mariæ eccleſia conſidentibus Patribus, cum Cyrillus adverſus Joannem multa objeciſſet, ac de contumeliis ſibi, Memnonique illatis plurima expoſtulaſſet, eo quod propoſito edicto, ad conflandam invidiam, tumultuſque ciendos, eos tanquam Appollinariſtas, Arianoſque traduxiſſet; Patres dixerunt, ut vel Joannes coram ſynodo allegata probaret, vel calumniæ debitam daret pœnam; quare tres ad Joannem Epiſcopi una cum notario iterum miſſi ſunt, cum hac ſynodi obteſtatione: *Quoniam ſancta Synodus pacifice ea, quæ canonum ſunt, decernere volens, ſecunda citatione reverentiam tuam vocavit, neque tamen obediſti, ut te defenderes ob injurias, quas intuliſti, aut ſaltem correctionem adhiberes, propterea ſancta ſynodus neque tibi, neque alicui ex iis, qui tecum ſunt, ullam omnino Epiſcopalem functionem ex propria ſententia interea permittit. Quod ſi tertia hac vice vocatus non parueris, nec veneris, ea in vos decernantur, quæ a canonibus ſtatuta ſunt.* Profecti legati, Aſphalium Antiochenæ Presbyterum Eccleſiæ inveniunt, qui Joannis ad ædes propius eos adduxit; at in ſuam præſentiam Joannes nequaquam admiſit, ſed per Archidiaconum ſuum, ut hæc ſynodo referrent, juſſit: *Neque vos ad nos mittatis, neque nos quidquam ad vos mittemus, ſi quidem poſteaquam decreta noſtra ſemel ad Imperatorem detulimus, quid opus ſit facto, ut nobis præſcribat, expectamus. Audita reſponſione, Orientales, qui triginta quinque numerantur, Synodi ſententia ab Eccle-*

Actio quinta, Joannes a ſynodo excommunicatur. *Pag. 646. & ſeqq.*

Jesu Chr. an. 431. *ſiaſtica communione alieni pronunciantur, niſi confeſtim reſipiſcant*. Huic ſeſſioni, qua Cyrilli cauſa cum Joanne acta eſt, Juvenalis primus, ac tanquam ſynodi Præſes ſubſcripſit; dein Rom. ſedis Legati, ceterique Epiſcopi, ac longiori epiſtola de hactenus geſtis Imperatorem iterum certiorem reddiderunt, admonentes, ne ſe a Joanne ſociiſque fallere ſineret: *Perabſurdum etenim eſt*, inquiunt, *ducentorum & decem Epiſcoporum ſynodo, quibus & univerſa Occidentalium ſanctorum Epiſcoporum multitudo, & per ſe ipſos reliquus totus terrarum Orbis conſentit, triginta tantum numero ſe ſe opponere &c.* Ad Cæleſtinum quoque Pontificem ea de re, una cum commentariis rerum geſtarum, & ſubſcriptionibus ſynodi epiſtolas dederunt. Cyrillus interea, ut Joannem a ſynodo exauctoratum vidit, exultantis animi ſui non obſcura de profligato hoſte indicia edidit, nam coram maxima cleri populique frequentia, ſermonem habens, in Joannem hæc inter cetera dixit: *Ad te enim mea nunc ſe convertit oratio, qui ex Orientalibus regionibus veniſti, ſublime adverſus omnes ſupercilium erigis*; & poſt multa: *Quare licet inſurgas terribilis & audax, multoque cum faſtu invadas, & inſtar jactabundi Goliath barbaricis furoribus, & inſolentiis intumeſcas, vincet tamen Chriſtus, vincet autem per ſuos milites &c.* ideſt per Epiſcopos catholicos, ut ex dicendis patebit.

Pag. 659.

Pag. 667.

37. Antequam ad ſextam ſeſſionem ſe oratio transferat, quid egerint CPoli utriuſque partis legati, quemve exitum hæc habuerint, adnotandum eſt. Rem geſtam in epiſtola ad Orientales, ideſt ad Joannem & ſocios, narrat Irenæus Comes, quem Joannes ad Imperatorem miſerat. Is etſi citiſſime iter peregiſſet, præventus tamen a ſynodi legatis fuit; Dei vero miſeratione factum aiebat, ut religioſiſſimos Principes conveniret, ac de geſtis edoceret, cumque in varias ea de cauſa opiniones, prout partium ſtudio quiſque agebatur, aulæ primores ſcinderentur, placuit tandem, ut una ſimul utriuſque partis Legati coram Imperatore cauſam agerent. Quid actum, geſtumve ſit a legatis non conſtat; id certum de audientiæ exitu, ſibi gratulatum fuiſſe Irenæum in citata epiſtola ad Orientales, eo quod effeciſſet, ut communi ſuffragio cuncti Cyrilli exauctorationi, tanquam totius tragœdiæ in Neſtorium excitatæ auctoris, ſubſcriberent; quam publice etiam in eccleſia mox denunciari Imperator juſſerat. Verum, adveniente Joanne medi-

Quæ ab utriuſque partis legatis CP. geſta ſint. *Tom. 3. pag. 718.*

dico, & Cyrilli legato, quem ad denunciandam Joannis depoſitionem CPolim ſynodus miſerat, magna rerum mutatio ſubſecuta eſt, ita ut *ne audire quidem ea a nobis vellent*, aiebat Irenæus, *quæ coram ipſis vel etiam ab ipſis fuerant judicata*, de Cyrilli ſcilicet exauctoratione; ſe vero in maximo periculo eorum cauſa fuiſſe addit. *Teſtis enim*, ait Irenæus, *mihi eſt Deus, dum ad judicium coram Imperatore vocarer, nihil aliud me expectaſſe, ut in fluctus maris projicerer*; dignum ſane pro mendaciis, & calumniis in Cyrillum, ceteroſque orthodoxos Epiſcopos vulgatis ſupplicium: *Sed Dominus ſicut ſcriptum eſt, adſtitit mibi, & de ore leonis, aut mille potius leonum catulis liberatus ſum*. Aiebat præcipuus Neſtorii patronus, & Neſtorianæ hæreſis aſſecla.

Jesu Chr. an. 431.

Pag. 719.

38. Dum hæc CPoli agerentur, antequam quæ ab Imperatore ſtatuta fuerant, Epheſum perferrentur, ſextam actionem in Memnonis domo Patres celebrarunt; qua primum Patrum teſtimonia a Petro Notario Alex. eccleſiæ, quæ tum ad Nicænam fidem interpretandam, cum ad cauſam de qua agebatur, faciebant, in acta referri placuit. Poſthæc Chariſius eccleſiæ Philadelphienſis Presbyter, & œconomus, oblato libello, apud ſynodum queſtus eſt ſe injuria ab Epiſcopo ſuo Theophane affectum fuiſſe, eo quod obſtitiſſet Jacobo, & Antonio Presbyteris, qui ab Anaſtaſio, & Photio Neſtorii adminiſtris miſſi cum litteris ad Epiſcopos Lydiæ, Theodoſii ſymbolum blaſphemiis refertum ſpargebant; quare cum Nicænum ſymbolum, fidemque catholicam Chariſius ſe tenere probaſſet, a ſynodo abſolutus eſt. Theodori vero Mopſueſtheni ſymbolum damnatum eſt, lataque celebris illa lex, quæ ſequentibus ſeculis tot quæſtiones peperit, de non vulganda alia fidei formula, præterquam quæ a Patribus Nicænis edita fuerat. Statuit ſancta ſynodus, alteram fidem *nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere, præter definitam a Sanctis patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui vero auſi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ſunt epiſcopi aut clerici, alienos eſſe epiſcopos ab epiſcopatu, & clericos a clericatu decrevit, ſi vero laici fuerint, anathemati ſubjici &c.* Hæc & alia in eamdem rem ibidem videnda.

Chariſius Presbyter abſolvitur. Pag. 671. & ſeqq.

Pag. 690.

39. Paucis a proxima ſeſſione elapſis diebus, ideſt primo

Rhegini Conſtantienſis in Cypro Epiſc. ad ſynodum expoſtulatio.

Jesu Chr. An. 431. Pag. 787.

die Kal. Auguſti, non vero pridie Kal. Septemb. ut in vulgatis codicibus legitur, cum iterum Patres in eadem B. Mariæ æde conveniſſent, Rhegino Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, adjunctis ſibi Evagrio Solenſi, & Zenone Curienſi ejuſdem inſulæ Epiſcopis, adverſus Joannem Antiochenum libellum ſynodo obtulit, quo narrabat, poſt præceſſoris ſui obitum, Dionyſium utriuſque militiæ magiſtrum, tum ad Theodorum in inſula Cypri Præſidem, cum ad clerum Conſtantienſem ſcripſiſſe, eoſdem admonens, ne in demortui locum, durante ſynodo, Conſtantiæ Epiſcopus ordinaretur, etſi quiſpiam fortaſſe jam ordinatus eſſet, quantocius ad Epheſinam ſynodum mitteretur; hæcque a Joanne Antiocheno Epiſcopo inſinuata fuiſſe Dionyſio addiderunt; atque queſti ſunt quod Joannes contra morem ab Apoſtolica ætate ſervatum, contraque Nicænum canonem, quo ſua eccleſiis ſingulis privilegia ſervari juſſit, ordinationem Epiſcopi Conſtantienſis totius inſulæ Primatis ſibi vindicare conaretur, quem provinciæ ſynodus hactenus ordinaverat. Ob quam rem Epheſina ſynodus canonem ſextum Nicænæ ſynodi ſervari præcepit, & ut a provinciæ ſynodo Conſtantienſis Epiſcopus ordinaretur juſſit. An bona fide cauſam egerit Rhegino dubitari poteſt: ſynodum certe de ſervandis Joannis Antiocheni juribus, quem Neſtorio impenſe favere cernebant, vix ſollicitam fuiſſe, inde manifeſto patet, quod eo inaudito & inconſulto hujuſcemodi reſcriptum dederit.

Joannes Comes Epheſum advenit. Pag. 722.

40. Acceptis CPoli utriuſque partis Epiſcoporum legatis, & relationibus, aulæ Principes in varias abiiſſe ſententias ſupra vidimus. Eorum tamen apud Theodoſium ſententia prævaluit, ut cauſa ex integro ab Epiſcopis tractaretur, atque interea tres, tanquam diſcordiæ faces, ideſt Cyrillus Alex: Memnon Epheſinus, & Neſtorius CP Epiſcopi, ſuſpenſi, ac depoſiti haberentur, donec a ceteris Epiſcopis utriuſque partis tum fidei cauſa, cum perſonarum retractaretur: eoque conſilio probato, Joannes Comes cum Imperatoris ſacris, ſeu reſcriptis, ut ſynodo præeſſet, atque ut ordine cuncta agerentur, miſſus eſt, qui ubi Epheſum advenit, utriuſque factionis Epiſcopos ad ſe vocavit. Convenerunt itaque Joannes, Neſtorius, & Cyrillus unuſquiſque cum ſuæ partis Epiſcopis. At ſtatim diſſidere cœperunt, cum nonnulli Neſtorium in eo conſeſſu ferre non poſſent, alii vero Cyrillum recuſarent, Memnon

non vero ægritudine detentus, adeſſe non potuit.

41. Cum tumultum vix compreſſiſſet Joannes Comes, Imperatoris epiſtolas legit, quibus de Cyrilli, Memnonis, & Neſtorii depoſitione admonebantur, eoſque cuſtodiæ tradidit; Neſtorium quidem Candidiano Comiti Domeſticorum, Cyrillum Jacobo circumſpecto Comiti, & præpoſito quartæ ſcholæ, Memmon vero die ſequenti, qua eum Joannes convenit, eidem Jacobo traditus eſt cuſtodiendus a ſcutariis nobilibus, & reverendiſſimis Palatinis; atque interea irreconciliabiles ſibi videri Epiſcopos, Imperatorem die ſequenti admonuit. Cyrillus & Neſtorius in cuſtodiam traduntur. *Pag.* 723.

42. Hactenus geſta, ideſt Cyrilli Memnoniſque depoſitio, eorumque cuſtodia, mirum in modum Epheſinam turbavit, exacerbavitque ſynodum, quæ continuo duas ad Imperatorem Theodoſium epiſtolas dedit, in prima, cujus initium eſt: *Veſtra quidem Majeſtas pietatem confirmare volens &c.* falſo ſuggeſtum fuiſſe Imperatori, quod ſynodus Cyrilli & Memnonis depoſitionem probaſſet, teſtati ſunt; ſe vero cum Orientalibus communicare non poſſe addiderunt, niſi prius ipſi depoſitioni Neſtorii ſubſcriberent, & objecta ſynodo per calumniam revocarent. Poſtulavit denique reddi ſibi Cyrillum, ac Memnonem, fidemque dilucide explicatam in commentariis contineri. Dedit eadem ſynodus litteras etiam ad Epiſcopos Conſtantinopoli agentes, reliquoſque urbis presbyteros & diaconos, quibus imprimis queritur, non licere ſibi Conſtantinopolim ſcribere, ut veritas innoteſcat: *Sciat Pietas veſtra Epheſum perinde ac carcerem prorſus nos inhabitare, in qua jam trimeſtre ſpatium uſque adeo arcte incluſi tenemur, ut neque per mare, neque per terras libere & abſque diſcrimine quempiam omnino, vel ad pium comitatum, vel in aliquem alium locum, amandare queamus. Nam quotieſcumque ea quæ miſimus, reddi contigit, ut tabellarii ſexcenta vitæ diſcrimina evaderent, in alias atque alias formas transformare ſe coacti ſunt*, ac ſe Epheſo tanquam in carcere detineri adnotant, dum ejus adverſarii, ideſt Joannes Antiochenus ejuſque ſocii, Aulicorum opera, apud Imperatorem variis eos criminibus aſpergebant; quare poſt plurima: *Certiorem facite Imperatorem, & ſupplicate, ut noſtri miſertus, ex hoc tandem ſpecioſo ergaſtulo nos revocet, etſi quidem digni ſumus, qui pientiſſimi Chriſtique amantis Imperatoris faciem videamus, id fieri mandet, ſi vero indigni judicamur, quibus hoc obtingat, ſaltem ad* Synodi epiſtolæ ad Imp. *Pag.* 746. *Garner. præf. pag.* 34.

JESU CHR. AN. 431. *ad Eccleſias noſtras redire nos ſinat ; ne hic univerſi, alii mœſtitia conſumpti pereamus*. Nam ſubdunt poſt aliqua: *Necamur æſtibus, cum aeres ſint graves, & pene quotidie aliquis ſepeliatur &c.* hæc & alia ibidem.

Cyrilli epiſt. ad Clerum CP., & ad alios. *Pag. 759.*

43. Cyrillus quoque e ſua cuſtodia ad clerum CP, & ad Epiſcopos Ægypti in urbe Regia commorantes epiſtolas dedit, ideſt ad Theopemptum, Potamionem, & Danielem, quibus quid facto opus eſſet, quove in ſtatu res ſynodi, vel ſuæ eſſent, edocet, ac de geſtis Epheſi a Joanne Comite cum Epiſcopis inter cetera narrat, omnem eum non moviſſe lapidem, ut ſynodum cum Joanne ejuſque ſociis communicare cogeret, ſed fruſtra; aut ſaltem ut fidei confeſſionem communibus ſuffragiis ſubſcribendam ſibi traderent, neque id tamen ab Epiſcopis impetrare potuiſſe addit; nam in ſupracitata epiſtola aiebant: *Nolumus nobis ipſis eam contumeliam irrogare; non enim tanquam hæretici huc vocati ſumus, ſed venimus ut fidem labentem exagitatam ſtabiliamus, quam & ſtabilivimus; nec opus eſt Imperatori, ut fidem nunc diſcat, cum hanc ſciat, & in ea baptizatus ſit, quare nec id quidem Orientalibus ſucceſſit*.

Synodi legati ad urbem Regiam vocati. *Pag. 731.*

44. In tanta rerum perturbatione, cum quid ultra ageret, vix ſciret Imperator, id tandem conſilii cepit, ut confirmata tam Neſtorii, quam Cyrilli & Memnonis depoſitione, ceteros Epiſcopos ad ſua dimitteret, & ſynodum ſolveret, ut teſtis eſt ejuſdem Imperatoris reſcriptum a Lupo editum tom. 7. concil. pag. 99. cujus initium: *Intentionem quidem noſtram &c.* ſententiam tamen paulo poſt mutavit, ac ex utraque parte legatos in Regiam urbem ad ſe vocavit, quare ſine mora, ut iter ſuſciperent, hinc & inde ſunt deſtinati; itaut die quarta Septembris Orientalium legati, ſe Chalcedone fuiſſe, datis ad ſocios epiſtolis teſtati ſint. Sacra vero ſynodus Philippum Presbyterum, Arcadium, Juvenalem, Flavianum, Firmum, Theodotum, Acacium Evopticum, Epiſcopos deſtinavit, quibus unacum epiſtolis ad Imperatorem perferendis quatuor mandata dederunt, primum, ut Cyrilli, & Memnonis ſecuritati conſulerent; ſecundum ne Joannis, ejuſque ſociis jungerentur, quippe qui & noluerint cum Synodo Neſtorium deponere, & contra canones Cyrillum Memnonemque damnare auſi fuerint, & non minima ex parte Neſtoriana dogmata, Cæleſtianaque hactenus defenderent, & totius Orbis

Garner. pag. 36.

Synod. commonitorium ad legatos p. 779.

bis ſynodum velut hæreticam infamare non dubitaverint; tertium, ſi communionem imperaret Theodoſius, parerent quidem, ſed his conditionibus, ut Orientales damnationi Neſtorii ſubſcriberent, libello veniam peterent patratorum in præſides ſynodi, Neſtorii dogmata cum ſectariis damnarent, efficerentque, ut ſua reſtitueretur Cyrillo Memnonique dignitas; quartum, ut ne prius communionem ſponderent, quam reſtituti fuerint præſides, omniaque interim ad ſynodum referrent. Additur ſub finem, niſi mandatis pareant, ſynodum nec ratum habituram quod egerint, nec eos poſtmodum in ſuam communionem admittendos fore.

45. Orientalium quoque factio totidem ex ſuis Epiſcopos miſit, Joannem ſcilicet Antiochenum, Joannem Damaſcenum, Himerium, Paulum, Macarium, Apringium, & Theodoretum, quibus etſi liberam rerum gerendarum poteſtatem dederit; id tamen mandavit, ut Cyrilli capita, tanquam hæretica alienaque ab Eccleſia catholica & apoſtolica, modis omnibus rejicienda curarent. Adjunctus mandato libellus precum ad Imperatorem, quo obſecrabantur, ne aliam fidei formulam, præter ſymbolum Nicænum, ſubſcribere permitteret, & ut ſcripto quiſque apud Imperatorem ſententiam ſuam promeret, Juvenalem porro Hieroſolymitanum inſimularunt, quaſi malis artibus conaretur Phæniciam ſecundam ſibi vindicare. Cum autem ad Imperatoris conſiſtorium cauſa delata videretur; ex utraque parte in eam rem ad regiam urbem epiſtolæ ſcriptæ ſunt, quibus utraque pars ab amicis ſuis patrocinium & tutelam petebat; cujuſmodi ſunt epiſtolæ, quas ad Clerum CPolitanum ſancta ſynodus dedit, quibus mirum in modum ſe Epheſi vexari narrat, uti paulo ſupra adnotavimus: *Sciat pietas veſtra Epheſum perinde ac carcerem prorſus nos inhabitare. &c.* Privatas etiam Theopempto, Danieli, & Potamioni Ægypti Epiſcopis CPoli commorantibus Cyrillus litteras dedit, quibus in cuſtodiam ſe traditum fuiſſe narrat. At ad omnia perferenda una cum tota ſynodo paratum ſe eſſe denunciat, priuſquam Fidei cauſam proderet, aut cum Orientalibus communicaret, antequam hactenus geſta retractaverint.

Orientalium legatio, & mandata. *Garner. pag. 36. Concil. acta tom. 3. pag. 726. & ſeqq.*

Epiſtolæ CP. a catholicis miſſæ.

Tom. 3. pag. 767. Synodi epiſt. ad Clerum CP. Cyrilli epiſt. ad Epiſc. Ægypti CPoli.

46. Ut tam gravibus pro Chriſti fide anguſtiis premi Epheſinos Patres CPoli compertum eſt, itaut hæc in ſuo commonitorio ſcribere non dubitaverint: *Necamur æſtibus cum*

Epiſcoporum epiſt. ad ſynodum. *Pag. 370.*

aer

Jesu Chr. An. 431. *aer ſit gravis, & pene quotidie aliquis ſepelitur, &c. Scire tamen reverentia veſtra debet, quia licet in tantum nitantur, ut omnes moriamur, non tamen fiet aliud, præter hæc quæ decreta a nobis ſunt*. Quo cum res eſſent, conſolatorias ab Epiſcopis catholicis CPoli commorantibus acceperunt, Eulalio, Eutrechio, Acacio, Chriſaphio, Seremia, Theodulo, & Iſaja; in his vero eamdem ſe fidem profiteri teſtantur, ac tum pro tuenda fide, cum pro eorum ſecuritate, & incolumitate curanda ſollicitos ſe eſſe addunt, ac cum ipſis: *Sed neque iis, qui hic ſunt, inutiles fuimus*, inquiunt, *nam & populum confirmavimus & plurimorum zelum inflammavimus, & Sacerdotibus in quibuſcumque viſum eis fuit, operam præſtitimus*. Synodus vero iis acceptis epiſtolis, continuo reſpondit, ſe ex eorum litteris ſublevatos fuiſſe, ac ut in propoſito perſiſterent, hortata eſt. Clerus etiam CPolitanus pro Epheſinis Patribus quammaxime ſe ſollicitum eſſe monſtravit, atque ſupplici libello ad Imperatorem oblato, ſe cum iis conſentire ac ad omnia perferenda paratum eſſe teſtatus eſt: *Nos omnes prompti paratique ſumus, ea animi alacritate, qua chriſtianos homines decet, quodvis periculum cum memoratis ſanctiſſimis viris ſubire, neque ullum diſcriminis experimentum* detractare... tandem poſt aliqua: *Quamobrem cum unum hoc omnibus nobis ſit propoſitum, etiam atque etiam ſacram majeſtatem veſtram rogamus & expoſcimus (quod, ſicuti putamus, juſtum eſt), ut apud vos etiam illorum ſententia confirmetur, qui & numero plures ſunt, & ſedium auctoritate, & exacta orthodoxa fidei examinatione ſanctiſſimo viro adſtipulati ſunt, & quod recte ſentiat, ad veſtram majeſtatem retulerunt: neque paucis obtenta, aut ne parva quædam Orientalium portio ſeparari videatur, quæ tametſi canonibus obſequi vellet, conjuncta maneret, univerſum terrarum Orbem ſimul miſceri patiatur &c.* hæc & alia in eamdem rem Clerus CP, eodem fidei zelo cum Epheſinis Patribus excitatus. Ad Cyrillum etiam Alypius Apoſtolorum presbyter, ideſt eccleſiæ Apoſtolorum, dedit epiſtolas, quibus ejus in tuenda catholica Fide zelum, ac in perferendis perſecutionibus in eum excitatis conſtantiam laudat.

Pag. 771.

Aliæ ſynodi epiſt. ad Epiſc. CPoli degentes. Pag. 774.

Alypii Presbyteri epiſt. ad Cyrillum. Pag. 783.

Orientalium epiſt. ad Imp.

47. Nec otioſus Joannes cum Orientalibus fuit: omnem quippe lapidem movit, ut Imperatorem in ſuas partes traheret, & ut adverſus Cyrillum, & Epheſinam ſynodum exacer-

cerbaret, ut ejuſdem epiſtola per Joannem Comitem miſſa indicat, qua primum ſe mandatis ejus prompto animo obtemperaſſe narrat: Quare *decretum*, inquit, *veſtræ Pietatis, quod per magnificentiſſimum, & glorioſiſſimum Comitem cunctarum largitionum Joannem promulgatum eſt, ſat eſt ad vanas æſtuationes omnium reprimendas, ſi tamen velimus ſobrie agere*. His vero multa adverſus Cyrillum, ejuſque anathematiſmos exagerat, quaſi iis catholicæ Fidei bellum indixerit, hæreticorumque patrocinium ſuſceperit. Imperatorem tandem rogat, ut Cyrilli capitula, tanquam fidei venena abroganda curet, ac ut omnes Nicænæ tantum fidei ſubſcribere jubeat: *Nec enim*, addunt, *poſſibile eſt aliter pacem in Dei Eccleſiis obtinere, niſi illa impia expoſitio fuerit abdicata*. *Apud Lupum tom. 3. p. 55.*

48. Epiſtola autem altera ad Antiochenſes, ſeu ad clerum, ad monachos & ad catholicam plebem, Orientales Epiſcopi narrant, ſe adverſus Cyrillum, ejuſque capitula duodecim adverſus Neſtorium vulgata, exacerbatos quammaxime fuiſſe, ac Cyrillum, ac Memnonem arctiſſima cuſtodia a Joanne detentos fuiſſe addit. Ejuſdem argumenti eſt alia ad Acacium Epiſcopum Melitinæ Orientalium epiſtola, ſicuti & altera Theodoreti ad Andream Epiſcopum Samoſatenorum, nam ubique adverſus Cyrillum & Memnonem querelæ ingeminantur, quod ſuis capitulis Cyrillus, Memnon vero cum reliquis eorumdem ſubſcriptione catholicam fidem prodiderint, ac Nicænam damnaverint fidem. Quin tamen falſo hæc adverſus Cyrillum & ex præoccupata ſententia in Neſtorii gratiam concepta jactarentur, vel ipſe tragædiæ exitus declarabit. Alia Orientalium epiſt. ad Antiochenos. *Lup. ut ſup. cap. 18. pag. 58.*

49. Ut Chalcedonem pervenerunt legati tum Epheſinæ ſynodi, cum Orientalium, ibidem ſubſiſtere juſſi ſunt, eouſque etenim diſcordiæ flamma creverat, ut periculum eſſet, ne ſeditio aut tumultus fieret. Quare eos Imperator CPolim ingredi prohibuit, & ut Chalcedone expectarent juſſit, quo cum Orientalium legati perveniſſent, ad ſuos Epheſo commorantes ſcripſerunt: *Poſtquam Chalcedonem venimus: nam CPolim, neque nos, neque adverſarii noſtri intrare permiſſi ſumus, propter ſeditiones bonorum monachorum*. Interea dum legati iter agerent, Neſtorius Epheſo Imperatoris juſſu dimiſſus eſt, ut iret quocumque vellet, ſua ſede dejectus, & urbe Regia excluſus; quod quantum Catholicis lætitiæ, tantum Orientalibus mœroris attulit; hinc iidem ad ſuos ſcribebant: *Fa-* Chalcedone legati ſiſtere juſſi. *Tom. 3. pag. 731.*

 ma accepimus, quod ante octo dies ... Dominus Neſtorius ab Epheſo dimiſſus ſit, ut eat, quo libet. Unde valde doluimus; quandoquidem ea quæ illicite, & abſque judicio facta ſunt, jam robur habere videntur. Sciat autem veſtra ſanctitas, nos promptos pro fide certamen inituros, & certare velle ad mortem uſque &c. Hæc Theodoretus, aliique Orientalium legati Chalcedone commorantes, pro Neſtorio tanquam pro aris & focis certare parati.

Epiſt. dimiſſoria ad Neſtorium. *Apud Lupum tom. 7. p. 51.*

50. Ad Scholaſticum Imperatoris Eunuchum ſcripſerat Neſtorius, nil ſibi optabilius fore, quam ad monaſterii quietem, unde ad Epiſcopatum vocatus fuerat, redire; ſi id maxime tranquillitati pacique Eccleſiæ conciliandæ expediret; cui Præfectus prætorii Imperatoris etiam nomine reſcribens, ut Epheſo quidem excederet, & ad monaſterium ſuum rediret, poteſtatem fecit, cui etiam, ut vehicula publica, & annonam, ad iter agendum, permiſit. Neſtorius vero his acceptis, ſe juſſis libentiſſime paruiſſe, datis ad Præfectum Prætori litteris, teſtatus eſt: *Suſcepimus tuæ magnitudinis litteras*, inquit, *in quibus cognovimus a piiſſimo, & omni laude digniſſimo Imperatore præceptum, ut nos in monaſterio degeremus, & decreti donum ſumus amplexi. Nihil enim nobis amplius honorabile eſt, quam pro pietate remotio*, ſic ſuperbus homo pro pietate ſe certare putabat, dum pro hæreſi tuenda totum commoverat Orbem.

Neſtorii epiſtol. ad Præfectum Præt.

Theodoſius utriuſque partis Epiſcopos Chalcedone audit. *Tom. 3. pag. 731.*

51. Imperatoris juſſu Chalcedone ſubſtiterant utriuſque partis legati, illius adventum præſtolaturi, quo die quarta Septembris advenit, unde Orientales ad ſuos Epheſo commorantes: *Expectamus hodie*, inquiunt, *hoc eſt undecima menſis Gorpiæi tranſiturum pientiſſimum noſtrum Regem ad Rufinianum, & illic cauſam auditurum*. Erat Ruffinianum amseniſſima villa a Ruffino Præfecto conſtructa prope Chalcedonem Arcadii Imp. tempore. Theodoſius itaque cum Chalcedonem transfretaſſet, Orientales primum ſæpius ad ſe vocatos multa cum benevolentia excepit, multaque patientia audivit; unde iidem, quaſi jam victoriam obtinuiſſent, hæc ad ſuos Epheſo ſcribere non dubitarunt: *Per orationes veſtræ ſanctitatis fuit nobiſcum Imperator noſter collocutus. Et impetrato nutu divino, facto nunc convicimus interim contraria ſentientes, ita ut omnia quidem noſtra ab amico Chriſti Imperatore ſuſcepta ſint, &c.* Quinquies autem eos ad colloquium cum Imperatore

Epiſt. legatorum Orient. ad ſuos Epheſo. Lup. tom. 7. pag. 88.

tore admiſſos fuiſſe, iidem in altera ad ſocios ſuos Epheſo Legati teſtantur his verbis: *Quinto acceſſus nobis contigit, & quamvis multum de hæreticis capitulis diſcrepaverimus, juraverimuſque ſæpius pientiſſimo Regi &c.* Una cum epiſtolis miſerunt exemplar expoſitionis fidei, ut & ipſi eidem ſubſcriberent. In eamdem rem, eodemque tempore Theodoretus, ex Orientalium legatis facile Princeps, ad Rufum Epiſcopum longiorem dedit epiſtolam, qua de geſtis hactenus cum Imperatore certiorem reddidit; ac fidei expoſitionem, & refutationem capitulorum Cyrilli Imperatori oblatas miſit, ac ut pro fide pietateque certaret, ſeu pro Neſtorii hæreſi, & perſona, enixe hortatur.

Jesu Chr. An. 431. *Tom. 3. pag. 745.* *Tom. 3. pag. 735.*

52. De tam proſpero rerum ſuarum ſtatu, continuo Orientales Epheſo detenti cum legatis ſuis gratulati ſunt: *Quoniam didicimus*, inquiunt, *veſtros labores pro religione, cum divina Regis noſtri Chriſtum amantis, & pientiſſimi cognovimus experientia, dominum Jeſum Chriſtum eccleſias ſuas non derelinquere, qui ſane & vobis orthodoxis decentem gratiam exhibuit, adverſarioſque multo rubore confudit &c.* Interea, ut adverſus Cyrilli geſta, & ſcripta certarent, hortantur, eo etenim uſque Cyrilli capitula averſabantur, ut hæc ſubdiderint: *Parati enim ſumus prius mori, quam ſuſcipere unum ex hæreticis Cyrilli capitulis.* Litteris ſuis libellum Imperatori offerendum addiderunt, quo gratias plurimas pro favore ſuis præſtito reddunt, ac pro Neſtorii reſtitutione, & Cyrilli condemnatione plura addunt, humillimis precibus deprecantes: *Unde oramus*, inquiunt, *& ante veſtigia veſtra provolvimur, ut nos cum longanimitate humiliantes veſtræ pietati ſuſcipiatis, & juſte petentes de perſona offenſa*, ideſt Neſtorio depoſito, *ab his, qui receperunt hæretica capitula Cyrilli Alex., & in Deum ipſum impie egerunt.*

Orientalium epiſt. ad legatos ſuos. *Concil. tom. 3. pag. 743. Lup. tom. 7. cap. 28. pag. 93.*

Orientalium libellus ad Imperat. *Pag. 744. Apud Lup. p. 94.*

53. Etſi quinquies multa cum clementia Orientales audierit Imperator, non eo tamen uſque eorum factioni ſtuduit, ut aut tam proſpera ſibi blandiri poſſent, aut geſta hactenus a catholicis irrita fecerit; quin ab oecumenica ſynodo ſtatuta inconcuſſa ſervari voluit; unde Theodoretus in epiſtola ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum inter cetera narrat: *Nullum humanitatis, nullum aſperitatis, nullum adhortationis, nullum declamationis genus omiſimus, quo apud pientiſſimum Regem, & illuſtre conſiſtorium non ſimus uſi, teſtificantes*

Theodoſius Imp. catholicæ fidei patrocinatur. *Pag. 732.*

JESU CHR. AN. 431. *cantes coram Deo, qui omnia videt, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt Orbem in juſtitia, & Spiritu Sancto, & electis ejus Angelis, ne contemnatur fides, quæ ab his, qui hæretica dogmata ſuſcepere, & his ſubſcribere auſi fuere, adulteratur: & ut præcipiatur ſolum exponendam ſicut in Nicæa, & abjiciendam ſuperinductam hæreſim ad damnum & perniciem pietatis: & uſque in hodiernum diem nihil efficere valuimus &c.* Neſtorii autem nomen Imperatori, & aulicis adeo exoſum fuiſſe addit, ut ne audire quidem illud ſuſtinerent: *De amico autem*, ſubdit, ideſt de Neſtorio, *ſciat tua ſanctitas, quod ſi quando ejus faceremus menſionem, vel apud illuſtre conſiſtorium, defectionis notabimur: tantæ ſunt eorum, qui intro ſunt, erga illum inimicitiæ, & hoc eſt moleſtiſſimum. Pientiſſimus Rex, præ omnibus aliis averſatur nomen, manifeſte dicens, de hoc mihi nullus loquatur!* Orientales etiam id maxime angebat, quod eccleſiis, tanquam excommunicati & depoſiti, prohiberentur, ac in domibus conventus agere cogerentur: *In aula enim maxima quatuor habente porticus multitudo congregata fuit, & nos ſuperne concionabamur e ſuggeſtu prope tectum*, ait Theodoretus in relatione de geſtis Chalcedone ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum, qui & ſubdit maxima cum voluptate a populo auditum fuiſſe, ita ut uſque ad horam ſeptimam non diſceſſerit; Clerum tamen & monachos ſibi ſuiſque infenſos fuiſſe non diſſimulat, ita ut dum ex Rufiniana villa domum redirent, lapidibus etiam inſectati fuerint, & vulnerati.

Pag. 732.

Theodoreti colloquium cum Imperatore. Lup. cap. 30. pag. 101.

54. De colloquio cum Imperatore inito hæc ſubdit: *Agnovit autem Imperator, quod multitudo congregaretur ad nos, & ſolis nobis colloquens ait: Agnovi quia Collectas extraordinarias facitis. Ego vero dixi ei: Quoniam dediſti fiduciam cum venia, audi. Nunquid juſtum eſt, ut illi, qui quidem hæretici & excommunicati ſunt, eccleſiaſtica Miniſteria peragant, nos vero, qui pro fide certamen habemus, & propter hoc eos communione privavimus, in Eccleſiam non intremus? Ille inquit: Et ego quid faciam? Reſpondi ergo ei: quod fecit hic, qui nunc Magiſter eſt, quando erat Comes Largitionum tuus, dum veniſſet ad Epheſum. Inveniens enim quod illi Miſſas quidem facerent, nos minime, compeſcuit eos dicens: Quia niſi inter vos pax fuerit facta, uni parti Collectam celebrare non ſinam. Et oportebat, Pietas tua epiſcopo præſentis loci præciperet,*

Digna Imperatoris ſententia.

peret, ut nec nobis nec illis Miſſas tenere concederet, donec conveniremus ad pacem, ut juſtum decretum tuum innoteſceret univerſis. Ad hæc reſpondens dixit: Ego epiſcopis imperare non poſſum. *Reſpondi igitur ego*: *Ergo nec nos imperet aliquid*; *&* *accipimus Eccleſiam, celebramuſque Collectam, & cognoſcet Pietas tua, quia multo plures nobiſcum ſunt, quam cum illis. Super hæc vero diximus ei*: *Quia Collecta noſtra nec lectionem ſanctarum Scripturarum habuit, nec oblationem. Solas vero litanias pro fide & veſtro Imperio fecimus*; *Et pro Religione pios ſermones. Approbavit ergo, & nunc uſque id non prohibuit fieri.*

Theodoſius catholicis favet, Orientalium in Cyrillum querelæ.

55. Dum inter ſpem, metumque de cauſæ ſuæ exitu incerti eſſent Orientales, repente omni ſpe exciderunt. Nam ut CPolim reverſus eſt Theodoſius, Epheſinæ ſynodi legatos illuc vocavit, ut in locum depoſiti Neſtorii Epiſcopum ordinarent, Orientalibus vero juſſit, ut Chalcedone expectarent, quo nuncio, tanquam fulmine percuſſi, totum, ſi fieri potuiſſet, Orbem querelis ſuis commovere conati ſunt, ac ad uſitatas reorum accuſationes converſi, ſubitaneæ mutationis auctorem Cyrillum fecerunt, quaſi pecunia ſua Aulicos, & præcipue Imperatoris Eunuchum corruperit, ut jam antea Orientalium legati ad ſuos ſcribere non erubuerant: *Sic enim poterit Ægyptius*, ideſt Cyrillus, *omnes excæcare muneribus ſuis*. Acacius etiam Berrhæenſis Epiſcopus ad Alexandrum Hieropolitanum Epiſcopum ſcribens, Cyrilli pecunia factum fuiſſe, ut veritas & juſtitia violaretur, aperte lamentatur: *Diſcuſſione facta coram piiſſimo & Dei amiciſſimo Imperatore noſtro inter utraſque partes, dum omnia piiſſimus Imperator cum Orientalibus ſentiret ac diceret, multa pecunia, quam dedit Cyrillus, pro peccatis noſtris obruit veritatem. Nam poſtquam mortuus eſt Scholaſticus Eunuchus, piiſſimus Imperator res ejus inquirens, & aurum, quod reliquerat, infinitum, invenit Hypomnyſticum continens, quia multas auri libras acceperit a Cyrillo. Et vero aurum tradebatur a Paulo quodam, filio fratris Cyrilli Alexandrini, qui illic Comes erat Conſiſtorianorum*; *præter alia munera, quæ in variis ſpeciebus ſunt diverſis oblata perſonis*. Hæc & alia venerabilis quidem ætate, olim etiam meritis clariſſimus Acacius, qui pro eccleſia multos hactenus ſuſtinuerat labores, a Theodoreto & Cyrillo multis alias laudibus exornatus, nunc vero Neſtorianorum factioni

Lup. cap. 41. pag. 128.

JESU CHR. AN. 431.

ni implicatus, ac præjudiciis abreptus, a recta paulisper erravit via, in quam deinde cum Joanne Antiocheno, Theodoreto, aliiſque paulo poſt rediit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Orientalium libelli & querelæ ad Imp.

56. Cum Epheſinæ ſinodi legatos CPolim vocatos fuiſſe audierunt Orientales, ſe Chalcedone derelictos cauſa excidiſſe ſuſpicati, plures ad Theodoſium libellos obtulerunt, rogantes præcipue, ne in Neſtorii locum alius ordinaretur, antequam dogmata examinarentur, alioquin ſchiſmata in eccleſia futura comminabantur. Tres porro in eam rem extant Orientalium libelli, in quibus omnibus, tum adverſus Cyrillum, ejuſque capitula querelæ ingeminantur, ac de injuria ſibi illata conqueruntur, ac futurum inde ſchiſma denunciant: *Illos quidem, qui accuſantur hæreſis*, inquiunt, *& quorum quidam quidem propter hoc a nobis damnati ſunt, alii vero excommunicationi ſubjecti, qui etiam nunc jam ſub alia Regula obnoxii ſunt, ad Civitatem venire præcepit, & Sacerdotii miniſterium gerere, & Epiſcopum conſecrare; nos vero, qui certamen pro pia fide ſuſcepimus, & omne periculum pro rectis elegimus ſuſtinere dogmatibus, nec Urbem juſſit intrare, nec propugnare pro fide, dum expugnatur ab aliis, neque pro dogmatibus rectis inſiſtere, ſed nec ad propria ſaltem redire conceſſit. Et ſumus Chalcedone anxii, & coarctati, gemimus de ſchiſmate, quod contra Eccleſiam meditantur. Hujus rei gratia, tamquam qui nullum reſponſum potuimus obtinere, neceſſarium duximus Pietatem veſtram per has litteras edocere in conſpectu Dei, & Chriſti ejus, & Sancti Spiritus, quia ſi quis ante reſtitutionem rectorum dogmatum fuerit ordinatus ab his, qui hæretice de fide ſentiunt, omnem neceſſe eſſe Eccleſiam ſeparari, ſcindentibus ſe ſe & Populis, & Cleris, & contra invicem collidentibus*; multos deinde una ſecum conſentire addunt: *Multi ſunt, qui pro fidei veritate certant. Tam nos Orientalis Diœceſis univerſi, & quæ nobiſcum ſunt cunctæ Provinciæ ex Ponti, atque Aſiæ, ac Thraciæ regione, Illyricique, & Italiæ. Nec enim ulli Epiſcopi his Cyrilli dogmatibus acquieſcere patientur, qui etiam veſtræ Pietati Codicem Beatiſſimi Ambroſii direxerunt, contraria huic, quæ nunc pullulat, culturæ edocentem. Ut igitur tale nil fiat, nec amplius veſtra Pietas æſtuetur, quæſumus, deprecamur, rogamus, ut ante Ordinationem non fieri ſanciatis, niſi formam ſuſceperint, quæ ad Orthodoxiæ pertinent fidem, propter quam & con-*

Apud Lup. cap. 32. 34. 35. p. 111.

& congregavit nos amatrix Chriſti Summitas veſtra. Jesu Chr. an. 431.

57. Duobus libellis Orientalium nil reſponſi datum eſt, niſi facultas legatis, qui Chalcedone ſubſtiterant, ceteriſque qui Epheſo remanſerant, ad ſuas eccleſias redeundi, quod & ceteris etiam Epheſinæ ſynodi Epiſcopis conceſſum fuerat, ac ſynodum ſolutam fuiſſe nunciatum eſt: *Quoniam vero*, ait Imperator in ſuo in eam rem dato reſcripto, *neque uniri vos poſſibile factum eſt, nec ad reddendam rationem de his circa quæ dubitatio eſt, venire voluit Venerabilitas veſtra, decrevimus, ut Orientales Epiſcopi ad ſuas Patrias & Eccleſias revertantur, & ſynodus Epheſina ſolvatur. Ita videlicet ut Cyrillus intret Alexandriam, & Memnone in Epheſo permanente. Hoc enim ſignificamus veſtræ Religioſitati tantummodo, quod quandiu vivimus, Orientales adjudicare non poſſumus. Coram enim nobis nulla ex parte convicti ſunt. Si igitur ulla pacis remanſit intentio, hanc potius eligentes nobis abſque contentione reſcribite. Alias de profectione veſtra mox ad iſta, quæ ſcripſimus, cogitate.* Tam miti agendi ratione ab Imperatore adhibita, exaſperati magis, quam placati ſunt Orientales, atque ideo tertio conteſtati ſunt, veteres non ſolum adverſus Cyrillum querelas texentes, ſed plura etiam Imperatori ipſi multa cum temeritate objicientes: *Non ad hæc evocationem veſtræ pietatis ſperavimus perventuram. Vocati enim ſumus honorifice, ſicut evocari ab Imperatore convenit Sacerdotes. Et evocati ad fidem, & confirmationem fidei Sanctorum Patrum, juſte Pio Imperatori obedientes advenimus: Et dum veniſſemus, neque ab Eccleſiaſtica receſſimus conſequentia, neque veſtra Conſtituta contempſimus. Sic converſati ſumus a die, qua in Epheſum venimus, uſque hodie veſtrorum nutuum ſecutores. Verum nihil nos circa præſentem vitam, ſicut apparet, adjuvit cuſtodia ordinis boni, magis vero, ut videmus, etiam validiſſime nocuit. Nam nos quidem, qui ea uſi ſumus, uſque præſens in Chalcedone detenti degimus, vix tandem vero nunc dimiſſi ſumus, ut ad propria redeamus; qui vero omnia confuderunt, & turba compleverunt Mundum, & contendunt Eccleſias ſeparare, ac pietati evidenter obſiſtunt, quæ Sacerdotum ſunt gerunt, & utuntur Eccleſiis, & illicite ſperatæ Ordinationis, ut putant, obtinent firma promiſſa. Et ea, quæ ad pauperum offeruntur inopiam, expendunt ſeditionariis ſuis. Deum certe non illis ſolis, ſed etiam nobis Imperator.*

Tertia Orientalium conteſtatio ad Imperat.

Lup. cap. 33. *pag.* 100.

Lup. cap. 35. *pag.* 113.

Jesu Chr. ann. 431.

rator. Pars enim non parva tui Oriens exiſtit Imperii, in qua ſemper recta fides effulſit &c. Neque adhuc his contenti, paulo poſt hanc conteſtationem addiderunt: *Si vero poſt hanc noſtram deprecationem, & coram Deo commonitionem non acquieverit Pietas veſtra, nos & pulverem pedum noſtrorum excutientes, cum B. Paulo clamabimus: Mundi nos ſumus a ſanguine omnium.* Non *enim quievimus nocte & die, ex quo in iſtam benedictam ſynodum venimus, & Imperatorem, & judices, & milites, & Sacerdotes, & laicos conteſtantes, ne fiant traditæ a Patribus fidei proditores.* Antequam vero Chalcedone excederent Orientalium legati, Theodoretus, & Joannes Antiochenus, pertinaciæ ſuæ, & obſtinationis, in tuenda Neſtorii cauſa monumenta reliquerunt, dum ſermone habito, ut Neſtorii fautoribus valediceret, in Epheſinos Patres, qui Neſtorium depoſuerant, virulenti ſtylo inſectatus eſt Theodoretus, atque inter cetera: *Chriſtus, propter quem Propontidis undas navigare præſumitis, ut noſtram vocem audire poſſitis, imaginem vocis eſſe putantes veſtri paſtoris*, ideſt Neſtorii, *concupiſcitis enim delectabiles melos audire veſtri paſtoris, quem compaſtores ejus calumorum, ſicut arbitrantur, ſubſcriptionibus peremerunt*, cujus caſum multis verbis lamentatur. Theodoreti ſermonem excepit Joannes, qui auditores receſſurus ſalutans, eos ad perſeverantiam in ſuſcepta Neſtorii tutela excitat, & catholicos calumnioſe exagitans, quaſi patibilem Deitatem dicerent, ut depoſitum fidei a patribus traditum ſervarent, etiam atque etiam rogat.

Act. 20.

Lup. cap. 36. p. 115.

Neſtoriana hæreſis & Pelagiana ab Epheſinis Patribus condemnata.

S. Proſper carm. de ingratis verſ. 67.

58. Etſi diſſidentibus Patribus ſoluta ſit ſynodus, Neſtoriana tamen hæreſis condemnata fuit, non ſolum a majori ſaniorique Epiſcoporum numero; ſed etiam ab iis, qui hactenus pro Neſtorio, tanquam pro aris & focis certaverant. De Theodoreto infra conſtabit, qui errore facti ductus Epheſinis Patribus adverſatus eſt, non credens ea fuiſſe Neſtorii dogmata, quæ vel negabat interrogatus, vel ſermone tegebat. Pelagianam quoque hæreſim una cum Neſtoriana ab eadem Epheſina ſynodo damnatam fuiſſe, teſtatur ſanctus Proſper his verſibus:

Præ-

Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & mortis flatus, & ſemina mortis.

Quamobrem utriſque hæreſibus commune Epitaphium his verſibus dicavit:

Neſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ,
Quæ tamen eſt utero progenerata meo.
Infelix miſeræ genitrix, & filia natæ,
Prodivi ex ipſo germine, quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis,
Congrua celandi tempora non habui.
Et conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis,
Aſpera conſerui prælia fine pari.
Me tamen una dedit victam ſententia letho &c.

59. Poſt damnatam hæreſim, cum poſt Neſtorii depoſitionem quadrimeſtre tranſiiſſet, ab Epiſcopis qui CPoli aderant, & Epheſinæ ſynodi legatis, illuc ab Imperatore vocatis, octavo Kal. Novemb. ſeu die 25. Octobris, quæ in Dominicam incidit, Maximianus CPolitanus Epiſcopus eſt ordinatus. In ejus quidem ordinatione nonnihil diſſidii exortum eſt, cum Philippum nonnulli, plures vero Proclum nominarent. At cum plerique, quorum maxima erat auctoritas, obſtitiſſent, ac canones obſtare dixiſſent, ut is qui alterius eccleſiæ Epiſcopus fuerat deſignatus, ut Proclo acciderat, in aliam transferretur eccleſiam, tandem communi omnium ſuffragio Maximianus in Neſtorii locum electus & ordinatus fuit; vir quidem a primæva ætate monaſticam vitam profeſſus, presbyter deinde ordinatus, probatæ fidei, pacis amator, & piis operibus impenſe intentus, dignior propterea Philippo & Proclo, etſi alioquin doctrina & pietate clariſſimis; cujus ordinationem Orientalium, & Epheſinæ ſynodi Legatos probaſſe narrant acta concilii: *Cum ſeptem & ſeptem ex utraque parte Epiſcopi CPolim veniſſent, Imperator certo comperit, ſanctam & œcumenicam ſynodum canonico legitimoque ordine in omnibus ſervato Ne-*

Maximianus CP. epiſc. ordinatur.

Socrat. lib. 7. 35. & 36.

Labb. tom. 3. pag. 1057.

Jesu Chr. an. 431.

Neſtorium depoſuiſſe. Itaque legatorum ſynodi ſententia approbata, Orientales quidem condemnat, Neſtorium vero exilio multat. Ii præterea qui ex ſancta Synodo legati venerant, ibidemque ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ epiſcopum creent. Illi in Eccleſiam ingreſſi, Maximianum epiſcopum creant. Poſt hoc juſſit Imperator, ut ſinguli epiſcopi ad ſuas provincias, & civitates revertantur. Remanſit autem Joannes Antiochenus, cæterique epiſcopi qui partes illius tuebantur in ſeparatione permanentes. (Ingreſſus autem eſt Cyrillus epiſcopus Alexandriam 30. die Octobris, Athyr tertia, & ſuſcepit eum civitas cum multa exultatione & gloria.) Hactenus de ſynodi exitu, & Maximiani ordinatione acta, eademque Liberatus, & alii.

Liberat. cap. 7. pag. 28.

Maximiani epiſt. ad Epiſcopos Epiri.

60. Poſt ordinationem ſuam Maximianus, ceterique Epiſcopi ob ejus ordinationem CPoli congregati, litteras ad primarum ſedium Epiſcopos dederant, de Neſtorii depoſitione, deque Maximiani in ejus locum ordinatione, atque ut a Neſtorianorum fraudibus, & communione caverent, admonuerunt: *Æquum judicavimus*, inquiunt, *ſimulatque ſanctiſſimus Deoque per omnia chariſſimus dilectiſſimus Maximianus magnæ civitatis epiſcopus inſtitutus eſt, has litteras una cum eo ad vos tranſmittere; quo ſtatum, arteſque illorum perſpectas habentes, ipſos ipſorumque communionem averſemini*, hiſque ſynodicas Epheſini concilii litteras addiderunt, *ut ex illis certiores reddamini de iis, quæ contra ſchiſmaticos, & Neſtorianos decreta ſunt, & qualis item pœna illis conſtituta eſt, qui cum ipſis communicare præſumpſerint*. Hæc & alia, quibus poſt Maximianum ſubſcripſere Juvenalis, Arcadius, Flavianus, Firmus, Theodorus, Acacius, Evoptius, Daniel, & Philippus Cæleſtini Papæ legati.

Concil. tom. 3. pag. 1060.

Maximiani epiſt. ad Cyrillum, & ad Cæleſtinum Papam. *Tom. 3. pag. 1061.*

61. Proprias etiam ad Cyrillum Maximianus dedit epiſtolas, quibus eum tanquam fidei fortiſſimum pugilem & confeſſorem laudat. Alias quoque una cum ſynodica, & altera Imperatoris ad Cæleſtinum Papam, per Joannem Presbyterum, & Epictetum Diaconum miſit, quæ etſi non extent, earum tamen memoria ſupereſt in epiſtola Cæleſtini Papæ anno ſequenti ad Theodoſium Imp. data, qua ſe die Natalis Domini eas accepiſſe teſtatur his verbis: *Religioſos filios meos Joannem Presbyterum, & Epictetum Diaconum, tantæ rei nuncios, cum totius Eccleſiæ gratulatione ſuſcepimus, & lectis in tota christianæ plebis congregatione apud Beatiſſimum Apoſtolum*

ſtolum Petrum veſtræ pietatis apicibus, Deo noſtro pro vobis vota perſolvimus. Ita enim ad nos agente Domino pervenerunt, ut eum diem, quo celebramus Chriſti Dei noſtri Natalem ſecundum carnem, cui quæſtio inferebatur, concurrerent, & impietatem convicti univerſa congregatio confutaret.

JESU CHR. AN. 431. Cæleſt. epiſt. 12. apud Coutan. pag.

Orientalium conatus poſt ſynodum.

62. Interea Orientales, qui Epheſo, aut Chalcedone hactenus ſubſtiterant, poſtquam Maximianum in Neſtorii locum ordinatum fuiſſe acceperunt, Regiam urbem ingredi peroptaſſent, ut Imperatoris aures querelis ſuis iterum fatigarent, aut turbas in plebe excitarent; at ea excluſi ſunt, ut Acacius Berrhœnſis in epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum narrat: *Maximianus vero Orientalibus CPolim non permiſit intrare*; quare ira furoreque ardentes, ad ſua redierunt, epiſtolis ſuis, & ſcriptis Orbem commovere conati, ut teſtes ſunt epiſtolæ Joannis Antiocheni, Acacii, & Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi. Hic etenim qui ante ſynodum Joannis Antiocheni impulſu Cyrilli anathematiſmos confutaverat, ut in Orientem rediit, inſtigante Diabulo, ut ait Mercator, opus conſcripſit adverſus ſanctum Cyrillum, & adverſus Epheſinam ſynodum cui Pentalogii nomen, utpote quinque libris diſtinctum, dedit, in cujus præfatione ſcribendi occaſionem ſic explicat: *Priuſquam conventus apud Epheſum celebraretur, duodecim capitulis ſtrictim aperteque reſtitimus, ut præſcius horum fieret intellectus, etiam ſtudiorum & rationis expertibus. Quia vero ſe manifeſtum, qui iſta protulit, in concilio declaravit, & plures ex iis, qui corruerant, imperiti potius, nec ulla dogmatis imbuti notitia, pia hæc arbitrati ſunt, operæ pretium viſum eſt, iterum contra niti, ſermonemque diſtendere, & ſucciſam blaſphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidentius approbemus, quemadmodum Evangelicis declararentur adverſa, quæ nunc ab iſtis maxime proferuntur &c.* Hactenus Theodoretus in præfatione ad quinque libros adverſus Cyrillum, ejuſque anathematiſmos, poſt Epheſinam ſynodum editos, quorum fragmenta tantum a Garnerio edita ſuperſunt.

Lup. ut ſup. pag. 128. cap. 41.

Apud Lup. p. 119., & 122. 128. & ſeqq.

Theodor. præfat. in libros Pentalogii. Garner. præf. pag. 43.

Garner. part. 2. in Mar. pag. 267.

63. Eoſdem Cyrilli anathematiſmos adverſus Neſtorium vulgatos, & adverſus fidem ab Epheſina ſynodo propugnatam ſtylum acuerunt ex Orientalibus alii, inter eos præcipui Andreas Samoſatenus Epiſcopus, qui Orientalium nomine Cyrilli anathematiſmos confutavit; quare Cyrillus antequam ſynodus

Libri Eutherii Thianenſis Epiſcopi, & Andreæ Samoſatenſis. ApudGarner. part. 2. pag. 132.

Jesu Chr. An. 431. Pag. 178.

dus Epheſina ſolveretur, Apologeticum ſcripſit, quo ſeipſum ac Fidem catholicam vindicavit; alteraque Apologia Theodoreti ſcripta confutaverat: primam apologiam adverſus Orientales inſcripſit, alteram adverſus Theodoretum, quam Evoptio Epiſcopo miſit ac dicavit. Poſt Epheſinam ſynodum vero, Orientalium cauſam, ſeu Neſtorianorum patrocinatus eſt Eutherius Thynenſium Epiſcopus in libro viginti capitibus diſtincto ad Euſthaſium Parnaſſi Epiſcopum dato, inter opera Athanaſii olim vulgato, quo de vi ſibi ſuiſque Imperatoris nomine illata conqueritur, quæ ſane ſolitæ fuerunt Orientalium, quin & hæreticorum omnium querelæ; ſicque diſſociatis, exacerbatiſque animis diſceſſerunt Orientales, atque ad ſua redierunt, ut vix ullus ex Epheſina ſynodo fructus appareret. At paulo poſt remiſſo aliquatenus contentionis æſtu, cum in Epheſinam fidem totus Orbis conſentiret, impellente etiam Theodoſio Imp., pax tandem & concordia inter Orientales, & maxime cum Joanne Antiocheno, Theodoreto, aliiſque renovata ac firmata eſt; ac qui in tuendo Neſtorii dogmate obſtinatiores fuerunt, ab Eccleſiæ commúnione perpetuo disjuncti remanſerunt, ac Neſtorianorum ſectam & hæreſim efformarunt; de quibus non ſemel infra ſermo fiet.

Cæleſtini Papæ epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. Couſtan. pag. 1185.

64. Dum Orientales eccleſiæ ob Neſtorianam hæreſim adhuc turbatæ eſſent, in Galliis Maſſilienſium Presbyterorum nonnulli adverſus Auguſtini doctrinam oblatrare non ceſſabant, quos cum Proſper & Hilarius, aut verbis, aut ſcriptis ad ſaniora conſilia revocare non potuiſſent, in ſancti Auguſtini, & Auguſtinianæ doctrinæ patrocinium Apoſtolicæ ſedis auctoritatem implorarunt; Romamque profecti effecerunt, ut Cæleſtinus Papa, datis ad Galliæ Epiſcopos litteris, eos muneris ſui admoneret, ac ut Auguſtini obtrectatores auctoritate ſua comprimerent. De eodem argumento interrogatus alias Cæleſtinus Tuentio Epiſcopo ita reſponderat, ut facile ſopiri quæſtio potuiſſet. In hac autem ad Galliæ Epiſcopos epiſtola eoſdem aperte arguit, quod Presbyteris talia obloquentibus ſilentium non indixiſſent, ac in Auguſtini laudem hæc inter cetera adnotat: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec umquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam ante a meis ſemper deceſſoribus haberetur.*

tur. Bene ergo de eo omnes in communi ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori; unde reſiſtatur talibus, quos male creſcere videmus. Hæc aliaque Cæleſtinus ad Semipelagianos in Gallia comprimendos, quorum tanto erat tentatio major, aut error periculoſior, quanto iidem Auguſtinianæ doctrinæ obtrectatores eruditione, vitæque ſanctitate præſtabant. Epiſtolæ Cæleſtini capitula quædam adverſus Pelagianos errores ab Apoſtolica ſede, ab Africanis conciliis probata, adjuncta erant. Horum auctor Cæleſtinus Papa a veteribus dictus eſt, atque apud Dionyſium exiguum, alioſque canonum collectores, poſt Cæleſtini epiſtolam inſerta erant; Proſperi tamen, aut ignoti auctoris ea eſſe non eſt dubitandum, ac ipſa præfatio Cæleſtino Pontifici nequaquam inſcribenda eſſe indicat. Horum ſumma hæc eſt: quod Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi Gratia poſſe ſalvari. Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus, qui ſolus bonus eſt: quod niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias Diaboli ſuperare non poſſumus: quod per Chriſtum libero bene utamur arbitrio: quod omnia Sanctorum merita dona ſint Dei: quod omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit: quod Gratia Dei non ſolum peccata dimittat, ſed etiam, ne committantur, adjuvat, præſtatque vires, ut lex impleatur, non, ſicut ait Pelagius, facile, quaſi ſine Gratia Dei difficilius poſſit impleri: quod præter ſtatuta ſedis Apoſtolicæ omnes orationes Eccleſiæ Chriſti Gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur: quod gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cum exorciſmis, & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi: quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus aſſerendæ. De horum capitulorum auctore in varias ut diximus ſententias abierunt eruditi, quorum plurimi poſt Baronium Proſpero inſcripſerunt; ut apud Noriſium videre eſt. Queſnellus Leonem Magnum Pontificem horum capitulorum auctorem fuiſſe ex ſtyli ſimilitudine contendit, multiſque conjecturis adſtruere conatur. Queſnelli tamen opinionem, non ſolum Anthelmus, ſed etiam Ballerinus protinus evertunt, ac confutant, ad quos, ne longiores ſimus, lectores noſtros amandamus, atque ea capitula, aut Proſpero aut ignoto auctori inſcribenda eſſe cenſemus. Apoſtolicæ tamen, & Rom. eccleſiæ fidem de neceſſitate, & efficacia divinæ

Noriſ. vindic. Augu. cap. 8., & diſſert. 3. de ſcrup. avulſis.
Anthel. de operibus S. Leonis diſſert. prima.
Baller. tom. 1. ep. S. Leon. pag. 719.

Jesu Chr. an. 431. vinæ gratiæ eadem continere exploratiſſimum eſt, ut ex dicendis infra, cum de Semipelagianorum erroribus ſermo fiet, apertius conſtabit.

Proſperi elogium de Cæleſtini epiſtol. 65. De eadem Cæleſtini epiſtola ad Epiſcopos Galliæ agens S. Proſper, qui ejuſdem ſcribendæ cum Hilario auctor fuerat, adverſus Collatorem, ſeu Caſſianum ſcribens, obſervat, omnem adverſus Auguſtini doctrinam obtrectandi licentiam ademptam fuiſſe, etſi aperte Auguſtini libros non recenſuerit, adverſus quos obmurmurare non licebat, cum luce clarius eſſet, eos præſertim probaſſe, quos S. Doctor adverſus Pelagianos conſcripſerat. Hinc poſt multa addit: *Agnoſcant calumniatores, ſuperfluo ſe objicere, quod his libris non ſpeciale neque diſcretum teſtimonium ſit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur: Apoſtolica enim ſedes, quod a præcognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat, & quod judicio jungit, laude non dividit*. Cæleſtini epiſtolæ meminit etiam Photius; Vincentius vero Lirinenſis de eadem epiſtola agens, miro prorſus modo ejuſdem ſententiam pervertit, nam quæ Sanctus Pontifex adverſus Semipelagianos ſcripſerat, ea adverſus Auguſtinianæ ſententiæ propugnatores mira temeritate detorquet, de quibus plura apud Noriſium videri poſſunt.

Cod. 53. pag. 19.

Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 2. cap. 11.

Palladii in Hiberniam legatio, & Epiſcopatus. 66. Anno 429. ad Pelagianos in Brittannia debellandos, Palladium diaconum cum ſanctis Epiſcopis Germano Antiſſiodorenſi, & Lupo Trecenſi tranſiſſe ſuo loco vidimus; hoc anno Epiſcopali dignitate auctus, a Cæleſtino Pontifice in Hiberniam idem Palladius miſſus eſt, ut in Chronico narrat Proſper: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur a Papa Cæleſtino*, & primus Epiſcopus mittitur; eademque venerabilis Beda. De geſtis autem a Palladio in Scotorum converſione hæc in vita Patricii narrant ſcriptores ab Huſſerio relati, quorum unus, qui tribus libris acta Patricii expoſuit, de hac legatione libro ſecundo refert: *Anno ab incarnatione Domini 430. Beatiſſimus Papa Cæleſtinus Archidiaconum Rom. eccleſiæ nomine Palladium ordinavit Epiſcopum, & ad Scotos convertendos ad Chriſtum, Hiberniam ante Sanctiſſimum miſit Patricium, traditis ei BB. Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum reliquiis, veteris quoque & novi Teſtamenti voluminibus datis*; Scotorum tamen converſionem Patricio reſervata erat, ut infra dicturi ſumus, quare vix in Hiberniam appulerat Palladius,

Beda hiſt. Angl. lib. 1. 13. Aſſer. antiq. Britann. cap. 16. pag. 812.

dius, inde excedere coactus eſt, cum vix aliquos ad fidem convertiſſet, ac in itinere obiit, ut narrat auctor, qui Patricii vitam Hibernica lingua deſcripſit: *Cum in Laginiam adveniſſet Palladius, occurrens illi Rex illius gentis, inde eum expulit*; paucos tamen illic baptizavit, *ac tres fundavit eccleſiolas ... & cum ad ſuos revertere ſtatuiſſet, morbo correptus in terra Pictonum mortuus eſt*. Sed de Palladio hactenus, de Patricio vero, qui feliciori exitu in Hiberniæ Apoſtolatu eidem ſucceſſit, opportuniori loco ſermo fiet.

Paulini Nolani Epiſc. obitus.

Apud Murat. Paulini op. p. 127.

67. Hoc anno S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, annum ætatis agens ſeptuageſimum octavum, decimo Kal. Junii vivere deſiit, cujus obitum his fere verbis narrat Uranius coævus, & oculatus teſtis in epiſtola ad Pacatum. Lethali itaque morbo correptus, die decimanona Junii, duo Epiſcopi Symmachus, & Benedictus Hydruntinus eum adierunt, quorum adventu recreatus vir Dei, benigne, amanterque eoſdem excepit, ac ante ſuum lectum ſacra exhiberi Myſteria juſſit, ut una cum ſanctis Epiſcopis oblato ſacrificio, animam ſuam Domino commendaret. Sacris vero peractis, præſentes interrogavit, ubinam fratres ejus eſſent, cumque ex circumſtantibus unus Epiſcopos, qui tunc aderant, demonſtraſſet, ille, nunc ego *fratres meos*, inquit, *Januarium, atque Martinum dico, qui modo mecum locuti ſunt, & continuo ad me venturos ſe eſſe dixerunt*. Tum extenſis ad Cœlum manibus, pſalmum Domino decantavit: *Levavi oculos meos in montem, unde veniet auxilium mihi &c.* eoque finito a Poſthumiano presbytero admonitus eſt, quod pro veſtiendis pauperibus quadraginta ſolidos deberet, cui Paulinus leniter ſubridens ait: *Securus eſto fili, crede mihi, quia non deerit, qui debitum pauperum ſolvat*. Non multo poſt de Lucania Presbyter, vel ab Exuperantio Epiſcopo miſſus, vel a clariſſimo fratre ejus Urſacio affert ſolidos quinquaginta numeri, ex quibus decem manu ſua Presbytero, qui eos attulerat, erogat, reliquos vero quadraginta mercatoribus, qui veſtes pauperibus ſuppeditarant, diſtribui jubet. Expleto die, cum ad mediam uſque noctem quieti ſe reddidiſſet, recrudeſcente laterum dolore excitatus, multiſque medicorum uſtionibus faſtigatus, ad quintam uſque noctis horam laſſum pectus duxit. Adveniente luce, uti ſolebat, *matutinum ex ordine celebravit*. Orta die, Presbyteris, Diaconis, Clericiſque exemplo Domini pacem

Pſalm. 120.

Jesu. Chr. an. 431.

pacem dedit. Veſpera, *lucernariæ devotionis tempus agnoſcens, extenſis manibus, lenta licet voce: Paravi lucernam Chriſto meo, decantavit Domino. Circa horam quartam noctis, omnibus, qui aderant, ſollicite vigilantibus, ſubito tam ingenti cellula ejus terræ motu concuſſa eſt, ut hi qui lectulo ejus aſſiſtebant, exterriti atque turbati ad orationem ſe jactarent, nihil tamen ſcientibus his, qui pro foribus conſiſtebant: neque enim publicus ille, ſed privatus in Cellula fuerat terræ motus. Tum ille Angelicis ſuſceptus manibus, debitum Deo ſpiritum exhalavit .... Obiit Sanctus Paulinus Epiſcopus X. Kal. Julii Baſſo & Antiocho Coſſ.* Hactenus Uranius Presbyter de Paulini obitu, quem ſcriptis ſuis ſanctiſſimi, ac doctiſſimi viri commendarunt, Hieronymus ſcilicet in Oriente, Ambroſius in Italia, Auguſtinus in Africa, Proſper & Eucherius in Galliis, ut Gregorium Papam, alioſque recenſioris œvi prætereamus, quorum catalogum Muratorius exhibet; quem etiam ſcriptis, epiſtolis ſcilicet & poematibus, nomen ſuum poſteritati commendaſſe exploratum eſt.

De Paulini conſulatu & captivitate. *Bar. an. 375. n. 1. Murat. Anecdota lat. diſſert. 9. pag. 159. Pag. not. 53. ad an. 431. Dialog. lib. 3. cap. 1. Bar. an. 431. n. 193. Pag. ibid. Murat. diſſert. 7. pag. 745. Chiflet. Paul. Illuſtr. Baſna. an. 410.*

68. De Paulini geſtis multa ab eruditis in controverſiam vocantur, utrum ſcilicet conſulatum ordinarium, aut ſuffectum obtinuerit vel honorarium; in ea tamen quæſtione diu non immorabimur, etſi plura utrinque ab eruditis tradantur. Graviora ſunt ea, quæ de Paulini captivitate narrat Gregorius Magnus, eum ſcilicet, vaſtantibus Campaniam Vandalis, magno charitatis æſtu abreptum, in captivitatem pro redimendo viduæ filio ſponte ſe tradidiſſe, ac in Africam ductum horto colendo deſtinatum. Cumque Regis mortem prædixiſſet, cognita tanti viri ſanctitate, unacum ceteris Campaniæ captivis liberum dimiſerunt, quæ ſanæ cum hiſtoria hujus temporis conciliari vix poſſunt. Quæ autem in utramque partem proferri ſolent, apud Baronium, Chifletium, Pagium, Muratorium, Baſnagium, curioſus lector inveniet.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

ABdas in Perſide Ep. Pyreum, ſeu ignis templum deſtruit. 224. 2. Ejus martyrium *ibid.*
Acacius Amidæ Ep. Perſas captivos redimit. 237. 5.
Adrumetini Monachi in Africa de gratia Chriſti, & prædeſtin. quæſtiones excitant. 264. 3. & 266. 6.
Afrorum mores corrupti. 296. 2. Vandalor. direptioni a Deo traduntur. *ibid.*
Agapetus Macedon. ſectæ Theodoſii ſedem occupat. 48. 15.
Alaricus in Italiam irrumpit. 3. 4. Romam obſidet. 8. 11. Iterum 15. 3. Sacras Ædes, ac Baſilicas illæſas ſervari jubet. 16. 5. *& ſeqq.* In Campaniam, Lucaniam, & Brutios proficiſcitur. 25. 15. Coſcentiæ obiit. 36. 1. Athaulphum ſucceſſorem habuit 37. 2.
Alexander Antioch. Ep. Euſthatianor. ſchiſma extinguit. 100. 9. Ejus legatio ad Innoc. Pap., & Innoc. epiſt. ad eumd. 101. 10. & 103. 12. Theodotum habuit ſucceſſorem 230. 12.
Alexander Baſianopol. Ep. quis fuerit. 53. 21.
Alypius Ep. Tagaſten. S. Aug. in vita individuus comes & æmulator obiit. 329. 8.
Anathematiſmi 12. Cyrilli, totidemq. Neſtorii. 339. 20.
Andronicus & Tonans a Syneſio excommunicati. 54. 22. *& ſeq.*
Animæ origo a Hieronymo & Aug. diſputatur. 116. 9.
Annianus Celeden. diac. Pelagianus. 172. 22. Chryſoſtomi opuſcula in Latinum convertit. 173. 23.
Antonius Fuſſalen. in Africa Ep. ab Aug. ſententia ad Rom. Pont. appellat. 252. 6.
Appiarii presbyt. appellatio ad Rom. Sedem 255. 8.
Arcadii Imp. obitus. 1. 1. Theodoſium reliquit Imperii hæredem. *ibid.*
Aſclepiades Cherſonæ Ep. pro reis interceſſor apud Imp. 223. 32.
Aſpebetus Seracenor. Dynaſta ad Romanos tranſit. 238. 8. Una cum ſociis baptizatur, *ibid.*
Athaulphus ſeu Adulphus Alarico Gothor. Regi ſuccedit. 37. 2. Nuptias cum Placidia celebrat. 109. 2. Ejus obitus. 145. 20. Valliam poſt Sigerichum habuit ſucceſſorem. 146. 21.

Attalus a Romanis Imp. ſalutatus. 15. 3. Exercitum adverſus Honorium educit, & Imperio dejicitur. *ibid.* 4.

Attici CP. Ep. obitus, & elogium. 279. 10. Ei ſuccedit Siſinnius. 281. 1.

Auguſtini preces pro Donatiſtis a ſupplicio liberandis. 6. 8. Ethnicor. querelas confutat. 22. 13. Libros de Civitate Dei contra Gentiles ſcribit. 25. 16. Pinianum Melaniæ virum presbyterum ordinat. 33. 26. Cum Hieronymo diſſidet ob Sacræ Script. interpretationem. 41. 8. Item ob Petrum ab Apoſt. Paulo reprehenſum. 44. 11. Pro Donatiſtis iterum intercedit. 75. 3. & *ſeq.* Macedonii conſultatio ad eumd. 76. 4. & *ſeq.* Quid Dulcitio reponderit. 112. 6. Ab Oroſio conſulitur. *ibid.* 7. Ejus ſententia de animæ origine. 116 9. Oroſium ad Hieronymum mittit. *ibid.* 10. Alteram quæſtionem eid. proponit. *ibid.* Librum edit de natura, & gratia. 118. 12. Ad Hilarium Syracuſan. ſcribit. 124. 20. Præcipuus gratiæ Chriſti defenſor. 139. 13. Ejus epiſt. ad Joannem Hieroſolymitan. Ep. 140. 14. Ad debellandam Pelag. hæreſim electus. 153. 6. Ejuſd. epiſt. ad Paulinum Ep. 170. 20. In Mauritaniam proficiſcitur. 194. 15. Cum Emerito Donatiſta Cæſareæ diſputat. *ibid.* 16. Cæſarienſium pugnas extinguit. 195. 17. Libros de gratia Chriſti, & originali peccato ſcribit. 217. 26. De origine animæ quæſtionem tractat. 218. 28. Quatuor libros de origine animæ vulgat. 221. 29. Alios de nuptiis & concupiſcentia. 231. 13. Contra epiſtolas Pelagianor. ad Bonifacium libros quatuor. *ibid.* 14. Sex contra Julianum. 233. 15. Exhortatio ad Bonifacium Comitem, & litteræ datæ. 243. 3. Cum Paſcentio, & Maximino Arianis diſputat. 244. 4. & 5. Ejus epiſt. ad Cæleſtinum Pap. in cauſa Antonii Fuſſalen. Ep. 251. 5. & *ſeqq.* Libri de gratia, & libero arbitrio quidnam contineant. 264. 4. In aliis de correptione & gratia quid doceat. 267. 7. De Leporii presbyt. retractatione epiſt. Auguſt. & Socior., deque retractationis libello. 269. 10 & *ſeqq.* Ad Vitalem altera. 271. 11. Quid in iis doceat Auguſt. *ibid.* 12. Capit. XII. juxta Cath. fidem de Chr. gratia tenenda. *ibid.* Heraclium ſibi Coadjutorem & ſucceſſorem eligit. 282. 5. Cur otium optaret. 283. 6. Libros Retractationum, & de Civitate Dei abſolvit. 284. 7. Alios edit de prædeſtinatione Sanctor. & de dono perſeverantiæ. 285. 8. & 288. 12. De obtrectatoribus doctrinæ Auguſtin. 287. 10. Quid eis diſpliceret. *ibid.* 11. Epiſt. ad Honoratum de fuga Paſtorum 299. 2. Auguſtini obitus. 325. 2. Ejus ſanctitas miraculis teſtata. *ibid.* Qua ratione ſe ad mortem præ-

paraverit. 326. 3. Sacrificia pro eo poſt mortem oblata. *ibid.* Cur non fecerit teſtamentum. *ibid.* 4. Ad Epheſ. Synod. vocatus adeſſe non potuit. 327. 5. Ejusd. elogium. *ibid.* 6. Ac memoria celebris perſeverat. 328. 7. De translatione reliquiar. ejus in Sardiniam, deinde Ticinum *ibid.*

Aviti epiſt. ad Falchonium. 126. 2.

Aurelii Carth. Ep. geſta & obitus, 330. 9.

B

BAptiſmo Paralyticus curatur. 7. 10. Eo prodigio gentiles converſi. *ibid.*

Barbari Romam diripiunt. Vid. *Roma*. In Hiſpanias irruunt. 30. 21.

Baſnagii in excuſando Neſtor. hæret. temeritas arguitur. 308. 12.

Beator. animæ qua ratione hominibus apparere poſſint 27. 18.

Belli Perſar. cum Romanis cauſæ. 226. 7.

Bonifacii Comitis pietas & geſta. 242. 2. In crimina lapſus ab Auguſt. corripitur. 243. 3. Joannis tyrannidi in Africa reſiſtit. 263. 2. Vandalos in Africam vocat. 295. 1. Cum Valentiniano Imp. reconciliatur. 299. 1.

Bonifacius poſt Zoſimum Pont. ordinatus. 197. 21. De ſchiſmate in Rom. Eccl. exorto. *ibid.* Rom. Sedi reſtituitur. 204. 10. Ejus epiſt. ad Honor. Imp. 205. 12. Altera ad Ep. Galliæ contra Maximum Valentinum Ep. *ibid.* 13. Ejusd. fama vindicatur. 207. 15. De epiſt. ad Rufum Theſſal. Ep. & Rom. Sedis Vicarium in Illyrico. 245. 8. Altera ad Ep. Theſſaliæ. 247. 9. Item ad Ep. Illyrici. *ibid.* 10. Ad Hilarium alia Narbon. Ep. 248. 11. Ejusd. obitus 249. 12. Cui Cœleſtinus ſuccedit. *ibid.* 13.

Burgondiones in Gallias irruentes partem poſſident. 98. 6. Chriſtiani fiunt. 99. 7.

C

CÆleſtinus Bonifacio ſuccedit. 249. 13. Pelagianos damnat, ac Italia excedere cogit. 257. 12. Ejus epiſt. ad Epp. Galliæ, Apuliæ, & Calabriæ, quibus Eccleſiaſticam diſcipl. reſtaurat. 300. 3. Pelagianos Britannia exturbari Palladii diac. opera curat. 312. 2. Neſtorii libros ad Caſſianum confutandos mittit. 321. 14. Epiſt. ad Neſtorium commonitoria, & comminatoria. 322. 16. Ad Clerum CP. altera. *ibid.* Ad Cyrillum in ead. cauſa, cui & vices ſuas committit. 323. 17. Epiſt. altera adverſus Neſtorium. 332. 11. Legatos ad Epheſ. Synod. mittit. 344. I. Epiſt. ad Epheſinos Epiſc. 345. 2. Commonitorium ad Legatos *ibid.* 3. Reliq. vid. *Synod. Epheſina*. Ad Epp. Galliæ ſcribit. 388. 64. Proſperi elogium de Cæleſtini epiſtolis. 390. 65.

Cæleſtius Pelagianor. coryphæus. 84. 13. & ſeqq. Una cum Pelagio in Africam tranſit. 86. 15. In Synodo Carthag. accuſatus cum hæreſi ſua damnatur. 87. 16. Zoſimum Pap. adit, cui fidei ſuæ rationem reddit. 161. 10. In Eccl. S. Clementis ab eod. Pont. excipitur. *ibid.* 11.
Cœlicolæ qui fuerint. 7. 9.
Candidianus Comes Epheſum a Theodoſio ad Synodum miſſus. 346. 4. Ut Synodus differatur petit. 351. 14. Ejusd. relatio ad Imp. & libelli ad Synodum, ac querelæ. 358. 24.
Canones Concil. Carthag. contra Pelag. 185. 4. Alii ejusd. Concilii ad diſciplinam ſpectantes. 186. 5.
Capreoli Cartah. Ep. legatio, & epiſt. ad Epheſin. Synod. 349. 9. Ad Epp. Hiſpan. altera. *ibid.* 10.
Caſſianus Monach. inter præcipuos Auguſtinianæ doctr. obtrectatores. 287. 10. De ejus patria & ſtudiis. 290. 14. Libros de Monachor. inſtitutione ſcribit. 291. 15. Semipelagianiſmo adhæret. 292. 16. Contra Neſtorium Libros de Incarnatione Verbi vulgat. 293. 17.
Caſtinus dux Honorii Imp. a Vandalis profligatur. 241. 1.
Chariſius presbyt. ab Epheſ. Synodo abſolutus. 371. 38.
Chriſtianæ Religionis vis & gloria. 17. 7.
Chriſtianor. ſollicitudo in pace procuranda. 60. 5. Eorum corrupti mores barbaror. cladibus caſtigantur. 100. 8. A Donatiſtis vexati, vid. *Donatiſtar. ſævitia*. Perſar. perſecutionem ſuſtinent. 123. 1. & ſeqq. ad 8.
Chryſanthus Novatianor. Ep. CP. ordinatur. 90. 19.
Chryſoſtomi nomen dypticis ab Attico CP. Ep. inſeritur. 228. 9.
Circumcellionum ductor Macrobius Ep. 75. 3.
Concilia vid. *Synodus*. Concilium Œcumenic. indicitur. 334. 15.
Conſtantinopolit. Eccl. dedicatio. 147. 23. Reliquiæ in ead. conditæ *ibid.*
Conſtantinus ſeu Conſtantius in Britannia Auguſtus dicitur. 12. 15. Ejus rebellio firmatur. 28. 19. Idem & filius Imperio ſociantur. 29. 20.
Conſtantius Conſul creatur. 109. 1. Ejus nuptiæ cum Placidia. 155. 1. Ab Honorio Auguſtus dicitur. 240. 10. Ejus edictum contra Pelagianos. *ibid.* 11. De ejus obitu. *ibid.*
Cyrillus poſt Theophilum Alex. Ep. ordinatur. 90. 18. Ejus diſſidia cum Oreſte Præfecto Alex. 142. 16. & ſeqq. Epiſt. ad Atticum adverſus Chryſoſtomi memoriam. 229. 10. Eam veneratur, & nomen dypticis inferit. 230. 11. Neſtorii ſermones confutat. 318. 10. Ad eum ſcribit. 319. 12. & 321. 15. Item ad Cæleſtinum. 323. 17. Ejus libri contra Neſtorium ad Theodoſ. & Pulcher. miſſi. 324.

324. 18. Epiſt. ad varios datæ. 333. 13. Anathematiſmos contra Neſtor. ſcribit. 339. 20. Epheſum cum Ægypti Epiſcopis advenit. 347. 5. & 6. Reliq. vid. *Synod. Epheſina*.

D

Demetrias virginitatem profitetur. 104. 13. Ejus propoſitum undique vulgatum. *ibid.* Auguſtini gratulatoria de ejusd. conſecratione. 105. 14. Pelagii ad eamdem epiſtola. 106. 15.
Diodorus Tarſi Ep. Neſtorium præiſſe traditur. 311. 15.
Donatiſtar. ſævitia in Catholicos Hippon. 39. 5. Collatio in eosd. Carthagine celebrata. 58. *& ſeq.* Illorum querelæ adverſus Marcellini edictum 60. 5. Falſitatis redarguuntur. 64. 8. Ipſor. tergiverſationes. 65. 9. *& ſeqq.* Mendacia & calumniæ adverſus Marcellinum. 68. 12. Eorum ſchiſma paulatim extinguitur. 69. 13. Collationis acta undiq. per Africam vulgata. 70. 14. In Catholicos acrius ſæviunt. 74. 3. Legum ſeveritate exagitati in ſe ipſos inſaniunt. 111. 5. *& ſeq.*

E

Eleemoſinæ retributio miraculo comprobata. 57. 26.
Epiſcopi plebem ſuam deſerere non debent. 30. 22. Cur pro reis intercederent. 77. 5.
Evagrii Philoſophi ad fidem converſio. 57. 26.
Eudoxiæ nuptiæ cum Theodoſio. 234. 1. Auguſta dicitur. 262. 16.
Eulalius poſt Zoſimi mortem, & Bonifacii electionem Rom. Pont. eligitur. 197. 21. Schiſma inde ortum *ibid.* Ejus temeritas notatur. 202. 7. Urbe ejicitur. 203. 9.
Eunomius Theodoſiopol. Ep. urbem ſervat, & blaſphemum corripit. 236. 3.
Euſebii Cremon. epiſt. ad Cyrillum Alex. Ep. de Valeriano Pelagiano. 171. 21. Ejus patria, & geſta 174. 24.
Eutherius Thynenſium Ep. Neſtorianor. patronus. 387. 63.
Excommunicationis denunciatio, & formula. 55. 23.

F

Faſtidius Britto auctor libri de vita Chriſtiana ad Fatalem Pelagianis accenſetur. 315. 5.
Fidelium res, vid. *Chriſtianor.*

G

Galliæ a Vandalis, Suevis, aliiſque occupantur. 13. 16. Item a Gothis & Burgondionibus. 97. 5. *& ſeqq.*
Galliarum Epp. Heros & Lazarus Pellagii accuſatores qui fuerint. 133. 8.
Germanus Antioſiodoren. Ep. cum Lupo in Britanniam ad confutandos Pelagianos tranſit 313. 3. Quid ibid. egerit. 314. 4.
Gothi Apoſtolor. & Martyrum baſilicas honore proſequuntur. 20. 10. Gallias invadunt. 97. 5.

Hære-

H

HÆretici & Ethnici in Africa tumultuantur. 5. 7. Cælicolæ qui dicerentur. 7. 9.
Heracliani Conſ. rebellio, & interitus. 94. 1. Ejus nomen e faſtis abraſum. 95. 2.
Hieronymus Marcellæ conſtantiam laudat. 18. 8. Ejus de Urbis excidio querelæ 19. 9. Vetus & novum Teſtamentum corrigit. 40. 6. Vetus iterum ex Hebræo, 41. 7. Ejus & Auguſtini diſſidia ob Sacræ Script. interpretationem. *ibid.* 8. Ejusd. pro verſione Scripturæ Apologia. 42. 9. Quo ſenſu vulgata Scriptura authentica dicatur. 44. 10. Ad Auguſtinum ſcribit, & quæſtionib. ſatisfacit. 45. 12. *& ſeqq.* Item ad Cteſiphontem contra Pelagianos. 124. 21. Tres Dialogor. libros contra Pelagianos vulgat. 138. 12. Iterum ad Auguſtinum & Alypium. 215. 24. Melaniæ & aliorum elogia *ibid.* Ejusd. obitus & ætas. 227. 8.
Hilarius Arelat. Ep. Auguſtinianæ doctr. obtrectator. 287. 10.
Hiſpania dire vexata. 30. 22. Cur Vandalis tradita. 31. 23.
Honoratus Patroclo Arelat. Ep. ſuccedit. 294. 19.
Honorii nuptiæ cum Thermantia. 3. 3. Leges nonnullas edit. 5. 6. Alteras adverſus Paganos & Hæreticos. 6. 8. Africani Epp. de ineunda cum Donatiſtis collatione apud eumd. agunt. 38. 4. Reliqua vid. *Marcellinus*. Conſtantinum alioſque tyrannos vincit. 70. 16. Ejus edictum contra Donatiſtas. 110. 3. Uxorem Thermantiam luget. 148. 24. Romam triumphans ingreditur. 155. 2. Pelagianos Urbe ejici jubet 190. 12. Reſcriptum aliud pro Eulalio ſchiſmatico in Rom. Pont. electo. 199. 1. Ipſum & Bonifacium ad ſe vocat. 200. 3. Epiſcopos Ravennæ congregari imperat. *ibid.* In ead. cauſa ad Symmachum & Rom Senatum ſcribit. 201. 4. Achileum Ep. Spoletin. ad Urbem vocat. *ibid.* Ad Paulinum Nolanum, & Africanos Epp. ſcribit. *ibid.* 5. & 6. Edictum contra Eulalium ſchiſmatic. 203. 8. Africanis Epp. in Italiam tranſire vetat. 204. 11. Edictum alterum contra Pelagianos. 214. 23. Conſtantium ſociat Imperio. 240. 10. Tricennalia celebrat. 241. 1. De ejus obitu 250. 2. In cujus Imperio Theodoſius ſuccedit, Licet Joannes tyrannidem arriperet. *ibid.* 3.
Hormisdæ Mart. confeſſio. 225. 4.
Hunni, aliiq. barbari in Oriente, Deo auctore, vincuntur. 280. 13.
Hypatia philoſopha a Chriſtianis necata. 144. 18.

I

JAcobi Intercifi martyrium 226. 6.
Jejunium quatuor tempor. antiquitus

tus in uſu. 59. 3.

Jeſu Chr. mira apparitio ſuper montem Olivar. 217. 27.

Impudicitiæ punitio. 31. 23.

Innocentius Pap. a Zoſimi calumnia vindicatur. 10. 13. Ad Honorium proficiſcitur. 14. 2. ad Theſſal. Ep. epiſtola. 91. 20. Ad Aurelium Carthag. Ep. altera de Paſchate. 92. 21. Ad Alexandrum Antioch. reſcribit. 101. 10. Item ad Acacium Bæreæ Ep. & Bonifacium in Urbe Regia Apocryſarium. 102. 11. Epiſt. altera ad Julianum. 108. 17. Item ad Macedoniæ Epp. 122. 18. Dioſpolitanam Synod. confirmare recuſat. 137. 11. Quinque Epp. epiſtola ad eumdem. 150. 3. Tres Innoc. epiſtolæ ad Africanos *ibid*. 4. Quanta æſtimatione habitæ. *ibid*. Ejus obitus. 155. 3. Epiſtolæ ejusd. ad varios datæ. 156. 4. Zoſimum ſucceſſorem habuit. 157. 6.

Joannes Antioch. Ep. Neſtorium rogat, ut errorem ſuum retractet, ſed fruſtra. 343. 22. Ejus epiſt. ad Synod. Epheſ. & Cyrillum. 350. 11. Epheſum ingreſſus, Synodi Legatos male excipit. 359. 25. Synodum cum ſuis celebrat, & Cyrillum ac Memnonem Epheſior. Epp. cum ceteris Epp. excommunicat. 360. 26. & 27. Ejus conteſtatio ad eumd. Cyrillum & alios. 362. 28. Sententiam ſuam Cyrillo denunciandam curat. *ibid*. An ejus Synodo adfuerint Pelagiani, aut Synodus eisd. faverit. 363. 29. *& ſeqq*. Synodi acta a Theodoſio rejecta. 265. 31. Joan. & alior. epiſt. ad Imperatorem. *ibid*. 32. Aliæ Orientalium epiſtolæ. 366. 33. Joan. ab Epheſ. Synodo excommunicatur. 369. 36.

Joannes Caſſianus. vid. *Caſſianus*.

Joannes poſt Honorii obitum Imperium in Occidente occupat. 250. 3. Ejusd. interitus. 273. 1.

Isdegerdes Perſar. Rex an Theodoſii Jun. tutelam ſuſceperit. 2. 2. Chriſtianos perſequitur. 223. 1. & 224. 3.

Iſidori Peluſiotæ vita, geſta, & ſcripta, 297. 4.

Judæor. temeritas in Oriente repreſſa. 7. 10. Judæus paralyticus per baptiſmum curatur. *ibid*. Immania eor. facinora in Chriſtianos. 142. 16. *& ſeqq*. Privilegia revocantur. 144. 19. A militia & honorib. Honorii edicto excluſi. 198. 23. Judæus ſæpe baptizatus miraculo detegitur. 222. 30.

Juliani patria, mores, & geſta. 176. 26. Epiſcopus ordinatus in hæreſim labitur. 179. 27. S. Auguſt. ſcribit. 180. 28. Cujus Eccleſiæ fuerit Ep. 181. 29. Scripta ejusd. pro defenſione hæreſis Pelagianæ. 191. 13. Epiſt. ad Rufum Theſſal. Ep. adverſus Zoſimum Pap. & Auguſt., ejuſque calumniæ & querelæ adverſus Catholicos. 193. 14. Una cum ſociis in Ciliciam tranſit. 258. 13. Libros octo contra Auguſt. ſcribit. *ibid*.

Juvenalis Ep. Hieroſolym. ordinatur,

tur, ac Praylo ſuccedit. 280. 11.

L.

LEporii Monachi errores de Incarnatione, & Gratia. 268. 8. Eorum cauſa in Galliis damnatus, in Africam tranſit, ubi errores retractat. 269. 9. De ejus retractatione Africanor. Epp. epiſtola ad Epp. Galliæ. *ibid.* 10.
Lirinenſes Monachi doctrinæ Auguſtin. obtrectatatores. 287. 10.
Longi Nitriæ Monachi quid egerint vid. *Monachi*.
Luciani epiſt. de revelatione Corporis S. Stephani, & alior. 126. 3.
Luminum accenſio præ lætitia fieri ſolita. 148. 24.
Lupus Trecenſis Ep. in Britanniam cum S. Germano ad confutandos Pelagianos tranſit. 313. 3. Quid ibid. egerit. 314. 4.
Lutheri & Baſnagii cenſura in Epheſ. Synod. & Cyrillum refellitur. 35[illegible]. 15.

M

MAcedonii ad Auguſt. conſultatio. vid. *Auguſtinum*.
Macrobius Ep. Circumcellionum ductor. 75. 3.
Marcellæ quid acciderit, ejuſque obitus. 18. 8.
Marcellinus Comes Epp. Cathol. & Donat. ad collationem invitat. 58. 2. Alia ejuſd. geſta pro reconcilianda pace. *ibid. & ſeqq.*
Sententia adverſus Donatiſtas. 67. 11. Donatiſtar. mendacia & calumniæ in eumdem. 68. 12. A Marino occiſus, & inter ſanctos relatus. 95. 3. *& ſeqq.*
Marius Mercator adverſus Neſtorium ſcribit. 316. 7. Ejus commonitorium contra Pelagianos Theodoſio Imp. oblatum. 324. 18. Neſtorii anathematiſmos confutat. 342. 21.
Martyrum 40. Reliquiæ inventæ. 122. 17.
Maruthæ Ep. Legatio ad Perſas. 92. 22.
Maximianus in Neſtorii locum Ep. CPtanus ordinatur. 385. 59. Ejus epiſt. ad Epp. Epiri. 386. 60. Item ad Cyrillum, & Cæleſtinum Pap. *ibid.* 61.
Melania ſenior cum ſociis in Siciliam tranſit. 11. 14. Africam cum eiſd. petit. 31. 24. Tagaſtam, deinde Hipponem. 32. 25. In Africa filium amittit, & Hieroſolymis obiit. 34. 28.
Miraculum de ſubſcripto chirographo. 57. 26.
Monachi Adrumetini, vid. *Adrumetini*. Monachor. Nitriæ imprudentia, & crudelitas. 143. 17. *& ſeqq.*
Mortuor. res pretioſæ cum cineribus a barbaris condebantur. 36. 1. Pro mortuor. animabus ſacrificia in Eccl. oblata. 316. 3.
Mulieris Chriſtianæ in pudicitia ſervanda conſtantia. 20. 10.

Neſto-

N

Neſtorius CP. Ep. ordinatur, 301. 4. Ejus vita & geſta, *ibid.* Hæreticos omnes perſequitur, 302. 5. & 6. Pelagianos fovet, 303. 7. In quibus Neſtoriani cum Pelagianis convenirent, 304. 8. Errores ſuos vulgat, 305. 9. Quænam eſſet illius hæreſis, an excuſari poſſit, 307. 10. *& ſeqq.* Hæreſim vulgare pergit, 316. 6. Ab Euſebio, aliiſque redarguitur, 316. 7. *& ſeqq.* Contra Cyrillum Alex. ſtilum acuit, 318. 11. Epiſtola ad eumd. Cyryllum, 319. 12. Catholicos tamquam Manichæos damnat, 330. 10. Œcumenicam Synodum fieri petit, 333. 14. Ad Cæleſtinum Pap. ſcribit, 336. 17. Hæreſim ſuam obſtinato animo tuetur, 337. 18. & 19. Ejusd. ſermones *ibid.* Anathematiſmis Cyrilli ſuos opponit, 339. 20. Epheſum cum ſuis advenit, 346. 4. Synodo adeſſe recuſat, 353. 17. Ejus cauſa agitur, 18. A Synodo damnatur, *ibid.* 19. *& ſeq.* Quo plauſu depoſitionis ejus ſententia excepta fuerit, 357. 22. Ejus epiſt. ad Theodoſium, qua Epheſi Synodum criminatur, 358. 23. Reliq. vid. *Synod. Epheſina.* In ejus locum Maximianus Ep. ordinatur, 385. 59.

Nitriæ Monachi, vide Monachi.

O

Olympius apud Honorium ſtilichonis locum occupat, 5. 6.

Ordinandorum regulæ ab Innoc. Pap. præſcriptæ, 156. 4. *& ſeqq.*

Origenes Adamantius Pelagiani erroris aſſertor, 78. 7.

Oroſius ad Auguſtinum pergit, 112. 7. De ejus libris, 119. 13. Hiſtoriam ſuam abſolvit, 182. 30.

P

Palladii Urbis Præfecti edictum adverſus Pelagianos, 191. 12.

Palladius Pelagianus an fuerit Ep. Helenopolis, 79. 8.

Palladius Rom. Eccl. diaconus a Cæleſtino Pap. in Britanniam mittitur, 312. 2. Ejus Legatio, & Epiſcopatus, 390. 66.

Parabolani quinam dicerentur, 154. 8.

Patroclus Arelat. Ep. occiditur, cui Honoratus ſuccedit, 294. 19.

Paulini diaconi libellus ad Zoſimum Pap. pro condemnatione Pelagii, 82. 11.

Paulinus Nolæ Ep. ordinatus a barbaris illæſus ſervatur. 26. 17. Ejus epiſtolæ ad Auguſtinum, & viciſſim, 123. 19. Item ad Hieronymum, alioſque; *ibid.* Ejusdem obitus, 391. 67. De ipſius conſulatu, & captivitate, 392. 68.

Paulus Samoſatenus & Theodorus Mopſueſtenus Pelagianor. Parentes, 79. 8.

Pelagianæ hereſis initia, & auctores,

res, 78. 7. & ſeqq. De Pelagio hæreſis auctore, 80. 10. Ejus patria, profeſſio, & mores, 81. 11. Pelagii duo diſtinguendi, 82. 12. De Cæleſtio altero Pelag. hæreſis corypʜæo, vid. *Cæleſtius*. Ejusmodi hæreſis præcipua capita, 85. 14. Epiſtola ad Demetriadem, 106. 15. Eadem a Sanctis Viris confutata. 107. 16. Item de hæreſi Pelagiana, 136. 10. Pelagianor. ſævitia in Hieronymum, aliosſque, 141. 15. An Milevitani Patres Canones contra eos ediderint, 153. 7. Pelagius Catholicam fidem ſimulans a Zoſimo Pap. abſolvitur, 159. 8. Pelagiani ab Africanis PP. condemnati, 185. 4. Item a Zoſimo Pap. 188. 7. & 8. Roma ad Comitatum confugiunt, 190. 10. Conſtantium Urbis Vicarium interficiunt, *ibid.* 11. Roma ejiciuntur, *ibid.* 12. Eorum querelæ & calumniæ adverſus Catholicos, 193. 14. De Synodis in Pelagianor. cauſa celebratis, 277. 7.

Perſarum bellum cum Romanis, ejuſque cauſæ, 225. 7.

Perſecutio Chriſtianor. vid. *Chriſtianorum*.

Petrus Saracenor. Ep. ordinatur, 239. 9.

Philippi Sidetis geſta & opera, 281. 2.

Pinianus ab Auguſt. presbyter ordinatus, 33. 26. Hippone recedit, 34. 27.

Placidia cum Ataulpho matrimonio copulatur, 37. 2. Poſt viri obitum Honorio fratri reſtituta, 146. 21. Secundas nuptias cum Conſtantio celebrat, 155. 1. CPolim miſſa, 250. 1. In Italiam cum Valentiniano redit, 263. 1.

Pœnitentia publica multati ad ordines non admittendi, 157. 5.

Praylus Hieroſolym. Ep. obiit, cui ſuccedit Juvenalis, 280. 11.

Proba in Africam tranſit, 21. 12.

Proclus Ciſicenus Ep. a Siſinnio ordinatus, inde excluſus CPlim redit, 282. 4. Neſtorium coram redarguit, 317. 9.

Proſperi & Hilarii epiſt. ad Auguſtinum, 285. 8. De eisd. Proſp. & Hilar. 286. 9. Proſperi elogium de Cæleſtini epiſtolis, 390. 65.

Pulcheria & Sorores Archadii Imp. filiæ, 1. Auguſta a Theodoſio declaratur, 120. 14. Ejus in Deum pietas, & in Imperii adminiſtratione prudentia, *ibid.* 15.

R

Reliquiar. inventio & translatio, vid. *Martyrum*. 40. & *S. Stephani*.

Rhegini Conſtantien. Ep. expoſtulatio ad Synod. Epheſ. contra Joan. Antioch. 371. 39.

Roma a Gothis obſeſſa, 8. 11. Auro liberatur, & templa deorum expoliantur, 10. 12. Romanorum ad Honorium Imp. legatio, 13. 1. Apoſt. Petri & Pauli baſilica a barbaror. furore illæſa ſervatur, 16. 5. & 6. Item, 20. 10. Multi Urbe relicta Hieroſolym. petunt,

tunt, *ibid.* 11. Romæ & domorum amplitudo, 23. 14. Tribus diebus traditur diripienda, 24. 15. Romani Circenſium ſtudioſſimi *ibid.* Cum Perſis bellum aggrediuntur, 225. 7. Eorum victoriæ, 235. 2. A Vandalis in Africa victi, 312. 1.

Ruffini Aquilejen. obitus, ejuſque fama vindicata, 35. 29. An idem ac Syrus & Pelagianus, 79. 9.

S

SImeon Stylita Perſar. furorem avertit, 236. 4. Ejus fama apud barbaras gentes, *ibid.*

Siſinnius CP. Ep. ordinatur, 281. 1. De illius geſtis & Synodo contra Meſſalianos, 283. Ejusdem obitus 297. 3.

Sixtus Rom. Eccl. presbyter, poſtea Pont. Pelagianos confutat, & averſatur, 189. 9.

S. Stephani Protom. reliquiæ inventæ, 125. 1. Quorum pars in Hiſpaniam mittitur, 126. 2. & *ſeqq.* Miracula tunc edita, 129. 5. Mira Dei conſilia in ejuſmodi Reliquiar. revelatione, 130. 6.

Stilichonis conſilium & perfidia, 3. 4. & 5.

Suenis Perſæ, & Benjamin martyrium, 225. 5.

Sulpicii Severi patria, ſtudia, & vita, 71. 17.

Symmachi Præf. Urbis relatio ad Honorium de Ordinatione Bonifacii & Eulalii in Rom. Pontifices, & de ſchiſmate exorto, 198. 22. Altera ad eumd. Imp. de geſtis Bonifacii & Eulalii, 200. 2.

Syneſius Ptolemaidis Ep. Eunomianor. bona occupari prohibet, 49. 16. Ex philoſopho Ep. ordinatur, *ibid.* 17. Ejus conteſtatio de uxore retinenda, 51. 18. Quæ fuerit illius mens, cum Ep. eſt ordinatus, *ibid.* 19. Studio & orationi vacat, 52. 20. Ejus in Theophilum obſervantia, & viciſſim, 53. 21. Andronicum cum Tonante excommunicat, 54. 22. Ejus querelæ de curis ſæcularibus, 56. 24. Charitas ejusd. commendatur, *ibid.* 25.

Synodus *Alexandrina* contra Neſtorium, 332. 12.

Antiochena ſub Joan., vid. *Joan. Antioch.*

Bracharen. utrum ſit genuina, 70. 15.

Carthaginenſ. unde legatio ad Imp. deſtinatur, 38. 3. Reliq. vid. *Marcellinus*. Cæleſtium damnat. 87. 16. *Altera* adverſus Pelagianos, 148. 1. *Iterum* in ead. cauſa, 184. 3. Ejus canones vid. *Canones*. Epiſtola ad Zoſimum Pap. 187. 6. *Tertia* in cauſa Appiarii presbyteri, 206. 14. Ejuſdem acta, 208. 16. Zoſimi Pap. commonitorium traditur, *ibid.* Africani Epp. Nicænorum canonum exemplaria conſulenda eſſe petunt, *ibid* 17. De presbyteror. appellationibus cauſa agitur, 210. 18. Nicænum Symbolum, & canones recitantur, *ibid.* 19. Synodica epiſt. ad Bonifacium Pap. *ibid.* Ejusdem Concilii ſeſſio alte-

altera, & canones editi 212. 20. Nicæni canones ex CPtana Eccl. recepti, *ibid.* 21. Collectio canonum Eccl. Africanæ vulgatur, 213. 22. Appiarii cauſa retractanda proponitur, 255. 8. Synodica epiſt. ad Cæleſtinum Pap. *ibid.* 9. De frequenti appellationum abuſu ad Rom. Sedem Africanor. Epp. querelæ, & ne Legati a latere mitterentur, rogant, 256. 11.

Cirtbenſis adverſus Donatiſtas, 78. 6.

Dioſpolitana contra Pelagium, 133. 8. Illius geſta, 134. 9. Ab Innocentio Pap. non probata, 137. 11.

Epheſina indicitur, 334. 15. Quid eidem præfuerit, ac de numero Epiſcopor. 348. 7. & 8. Quis in ſeſſione prima geſtum, 350. 12. *& ſeqq.* Neſtorium vocat, eumque abſentem damnat, 353. 17. *& ſeqq.* Synodica epiſt. ad Theodoſium de Neſtorii condemnatione, 356. 21. Synodi ſententia cum plauſu excipitur, 357. 22. Neſtorii, & Candidiani relationes ad Imp. 358. 23. *& ſeq.* Synodi acta a Theodoſio reſciſa, 365. 31. Cæleſtini Legati Epheſum adveniunt, actioque ſecunda & tertia, 368. 34. Synodi epiſt. ad Imp. *ibid.* Actio quarta, & Cyrilli querelæ adverſus Joan. Antioch. *ibid.* 35. Action. 5. Joan. a Synodo excommunicatur, 369. 36. Quæ ab utriuſq. partis Letis CP. geſta fuerint, 370. 37. Actione 6. Chariſius presbyt. abſolvitur, 371. 38. Rhegini Conſtantien. Ep. ad Synod. expoſtulatio, *ibid.* 39. Joannes Comes Epheſum advenit, 372. 40. Cyrillus, & Neſtorius in cuſtodiam traditi, 373. 41. Synodi epiſt. ad Imp. *ibid.* 42. Altera Cyrilli ad Clerum CP. & ad alios 374. 43. Synodi Legati ad Urbem Reg. vocati, *ibid.* 44. Orientalium legatio, & mandata, 375. 45. Epiſtolæ CP. a catholicis miſſæ, *ibid.* Synodi altera ad Clerum CP. & Cyrilli ad Epp. Ægypti CPoli, *ibid.* Item Epiſcopor. ad Synodum, *ibid.* 46. Aliæ Synodi epiſt. ad Epp. CPoli degentes, & Alypii presb. ad Cyrillum, *ibid.* Orientalium epiſt. ad Imp. *ibid.* 47. Ipſorum aliæ ad Antiochenos, 377. 48. Chalcedone Legati ſiſtere juſſi, *ibid.* 49. Epiſt. dimiſſoria ad Neſtorium, 378. 50. Neſtorii Litteræ ad Præf. Prætorii, *ibid.* Theodoſius utriuſque partis Epp. Chalcedone audit, *ibid.* 51. Orientalium epiſt. ad Legatos ſuos, 379. 52. Imperator cathol. fidei patrocinatur, *ibid.* 53. Theodoreti colloquium cum Imp. 380. 54. Imp. catholicis ſavet, 381. 55. Orientalium in Cyrillum querelæ, *ibid.* Ipſor. libelli ad Imp. 382. 56. Tertia eorum ad Imp. conteſtatio, 383. 57. Neſtoriana hæreſis, & Pelagiana ab Epheſinis PP. condemnantur, 384. 58. Maximianus CP. Ep. ordinatur, 385. 59. *& ſeqq.* Orientalium conatus poſt Synodum, 387. 62. *& ſeqq.*

Hieroſolymitana adverſus Pelagium, 130. 7.

Mace-

Macedoniæ Synod. & Innocentii Pap. epiſt. ad Epp. ejuſdem Provinciæ, 122. 18.

Milevitana contra Pelagianos, & Synodi epiſt. ad Innocentium Pap. 149. 2.

Romana adverſus Neſtorium, 320. 13. & 331. 11.

Zellenſis in Africa celebratur, 195. 19.

T

THeodoreti ortus, ſtudia, & geſta uſque ad Epiſcopatum, 260. 14. Quo anno Ep. ordinatus ſit. 261. 15. Ejus colloquium cum Theodoſ. Imp. 380. 54.

Theodorus Mopſueſthen. Pelagianor. patronus, 175. 25. Ejus geſta, & errores, 309. 13. Neſtorio viam monſtravit, *ibid.* Illius Præfatio in Libros Pentalogii, 387. 62.

Theodoſius Jun. Arcadii Succeſſor. 1. 1. Isdegerdem Perſar. Regem curatorem habuit, 2. 2. Hæreticos exagitat, 48. 14. Ejus religio, & morum probitas, 121. 16. Judæor. privilegia revocat, 144. 19. CPoli Eccleſiam reſtaurat, 147. 23. De Lege contra Paganos, & Parabolanos lata, 154. 8. Eudoxiam uxorem ducit, 234. 1. Ejus vitæ ratio, & in Deum pietas, 237. 6. Injuſtam etiam excommunicationem timet, 238. 7. Illyricum CP. Epiſcopo ſubjicit, 245. 6. Rom. Pont. auctoritas in Illyrico lege altera reſtituitur, *ibid.* 7. Leges adverſus Judæos, Paganos, & hæreticos, 251. 4. Spectacula in diebus feſtis prohibet, & Eccleſ. privilegia ſervari jubet, 274. 3. & 4. Aliæ contra hæreticos, & ſchiſmaticos, 276. 5. De ſtudiis Artium liberalium lex alia, *ibid.* 6. Alia adverſus hæreticos omnes, exceptis Pelagianis, 303. 6. & 7. Judæor. Patriarchas dignitate privat, & tributa iis præſtari ſolita Fiſco tribuit, 324. 19. Univerſalem Synodum fieri jubet, 334. 15. Epiſtolæ ob eam cauſam ſcriptæ, *ibid.* & *ſeq.* Reliq. vid. *Synod. Epheſina*.

Theodotus Antioch. Ep. poſt Alexandrum, 230. 12. ejus geſta & obitus, 310. 14.

Theophili Alex. Ep. obitus, & ſcripta, 89. 17. Cyrillum ſucceſſorem habuit, 90. 18.

V

VAlentinianus III. Imp. naſcitur, 223. 31. Imperator a Theodoſio declaratur, & in Italiam mittitur, 274. 2. Spectacula dieb. feſtis edi prohibet, & Eccleſ. privilegia ſervari jubet, 274. 3. & 4.

Vallias poſt Sigerichum Gothor. regno potitur, 146. 21. Gallam Placidiam Honorio reddit, *ibid.* In Hiſpania pro Romanis pugnat. 147. 22.

Vandali Hiſpanias vaſtant, 280. 12. Romanos in Africa vincunt, 312. 1. Hipponem obſident, 325. 1.

Zel-

Z

Zellenſis Synodus in Africa; vid. *Synodus*

Zoſimus Rom. Pont. poſt Innocentium quandiu in Pontificatu vixerit, 157. 6. Pelagii epiſt. ad Prædeceſſorem datæ eidem traduntur, 158. 7. Pelagium abſolvit, 159. 8. Prayli Hieroſym. Ep. epiſtola ad eumd. Pont. 160. 9 Cæleſtium audit, & abſolvit, 161. 10. *&* *ſeq.* Ejus epiſt. ad Epp. Africæ, 162. 12. Qua ratione excuſari poſſit, 164. 13. Ejus geſta & fama vindicata, 165. 14. Epiſtola ad Epp. Galliæ de privilegiis Arelaten. Ep. 167. 15. *&* *ſqq.* Altera ad Epp. Galliæ, Hiſpan. & Africæ, 168. 17. Item ad Epp. Provinciæ Viennen. & Narbonen. 169. 18. Ad Patroclum quoque Arelaten. Ep. ſcribit, *ibid.* 19. Item ad Aurelium Carthag. Ep. 183. 2. Tractoria, ſeu univerſalis adverſus Pelagianos, 188. 7. Eoſdem damnat. *ibid.* 8. Ad Epp. Bizacenos ſcribit, 196. 19. De ejus obitu, 197. 20. Succeſſorem habuit Bonifacium, *ibid.* 21. Ejus fama iterum vindicata, 207. 15. Ejuſd. commonitorium ad Epp. Africæ quid contineret, 209. 16.

	ERRATA	CORRIGE.
Pag. 28.	Scripturæ auctoritate	Scripturæ auctoritati
50.	*Siqua eſt aliu res*	*Siqua eſt alia res*
54.	*Pecuniæ redemit*	*Pecunia.....*
58.	Bibliothecæ Petrum	Bibliothecæ Patrum
72.	Uſus eſt; elegantia	Uſus eſt elegantia
74.	Conati ſunt	Conatæ ſunt
92.	Aut difficiores	Aut difficiliores
118.	De natura & gratiæ	De natura & gratia
ibid.	Curis deſtinaretur	Curis diſtineretur
119.	Tiennio poſt	Triennio poſt
152.	*Grudum convertit*	*Gradum.....*
158.	Cum Origeniſtis ejebant	Cum Origeniſtis ajebant
168.	*A quu in totum*	*A qua.....*
184.	*Ad Pontificem Zoſimus*	*Ad Pontificem Zoſimum*
185.	Filicem ait	Felicem....
235.	Decem millum	Decem millium
241.	De Conſtantii decretum	Conſtantii decretum

F I N I S.

Mac 2021608

RESTAURO
Via A. [illegible] n. 5